LIBRARY
OF THE
Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.

BX 5037 .U8 1864 v.12
Ussher, James, 1581-1656.
The whole works of the most
Rev. James Ussher, D.D....


Digitized by the Internet Archive
in 2014 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/wholeworksofmost12ussh

THE

WHOLE WORKS

OF THE

MOST REV. JAMES USSHER, D. D,

LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH,

AND

PRIMATE OF ALL IRELAND.

VOLUME XII.

THE

WHOLE WORKS

OF THE

MOST REV. JAMES USSHER, D.D.,

LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH, AND PRIMATE OF ALL IRELAND.

NOW FOR THE FIRST TIME COLLECTED,

WITH A LIFE OF THE AUTHOR,

AND

AN ACCOUNT OF HIS WRITINGS,

BY

CHARLES RICHARD ELRINGTON, D.D.,

LATE REGIUS PROFESSOR OF DIVINITY IN THE UNIVERSITY OF DUBLIN,
AND RECTOR OF ARMAGH.

IN SEVENTEEN VOLUMES.

VOL. XII.

DUBLIN:
HODGES, SMITH, AND CO.,
PUBLISHERS TO THE UNIVERSITY.
1864.

DUBLIN:
Printed at the University Press,
BY M. H. GILL.

CONTENTS

OF

THE TWELFTH VOLUME.

PAG.

Chronologia sacra 1

Historia Dogmatica Controversiæ inter Orthodoxos et Pontificios de Scripturis et Sacris Vernaculis 145

Dissertatio de Psuedo-Dionysii scriptis 497

Dissertatio de epistola ad Laodicenses 521

The Reduction of Episcopacy into the Form of Synodical Government received in the ancient Church 527

The Judgment of the Archbishop of Armagh, what is understood by Babylon in Apoc. cap. xvii. and xviii. 537

The Judgment of the Archbishop of Armagh, what is meant by the Beast that was, and is not, and yet is 548

The Judgment of the Archbishop of Armagh of the Time, Intent, and Extent of Christ's Death and Satisfaction upon the Cross . 551

An Answer to some Exceptions taken against his aforesaid Letter 561

A Letter to Dr. Twiss concerning the Sabbath 573

Part of a Letter to Mr. Ley of the Sabbath 587

Part of a Letter in Answer to Dr. Heylin's History of the Sabbath 591

JACOBI USSERII

ARMACHANI

CHRONOLOGIA SACRA,

SIVE

ANNORUM ET ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΣ PATRIARCHARUM, ΠΑΡΟΙΚΙΑΣ
ISRAELITARUM IN ÆGYPTO, ANNORUM ETIAM JUDICUM,
REGUM JUDÆ ET ISRAELIS
ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ

CHRONOLOGICA.

OPUS POSTHUMUM HUCUSQUE ΑΝΕΚΔΟΤΟΝ.

1660.

CHRONOLOGIA SACRA.

PAG.

Caput nonum 1
Caput decimum 30
Caput undecimum 43
Caput duodecimum 64
Caput decimum tertium 81
De Annis Regum Israelis et Judæ 93

CHRONOLOGIA SACRA.

CAPUT IX.

De duplice Abrahami vocatione, ex Ure Chaldæorum et Charane, et temporis spatio inter utramque interposito. A posteriore incipiendos esse annos 430. peregrinationis Hebræorum, quum 75. fuisset ille annorum; non quum aut 70. aut etiam 76. 85. 99. vel 100.

Non ab Israelis et totius familiæ suæ descensione in Ægyptum, multoque minus a Josephi vel venditione vel sublimatione, sed a patris Abrahami et suorum peregrinatione in terra Chanaanitide, 430. Israeliticæ peregrinationis annos fuisse deducendos, in præcedente capite est ostensum. Cum iis nobis nunc agendum est, qui sub Abrahamo quidem epocham hanc constituendam esse agnoscunt; sed vel ante ejus e Charane et Chanaan profectionem, vel post eam alio quam nobis constitutum est tempore, figendam eam esse statuerunt.

Priorem sententiam amplexus est Quintus Julius Hilarion: in libello de mundi duratione, ita hac de re scribens: "Abraham annorum 70. de terra sua profectus est in Carram. A peregrinatione Abrahæ usque ad profectionem Israel ex Ægypto ad eremum, anni sunt 430." quos et in ipsa Ægypto annos 210. egisse, postea adjicit. Eadem est et Hebræorum sententia, in Seder Olam Rabba, capite primo et tertio, Mechilta Rabbah, El Pharao, Schemoth Rabbah, et Tanchuma, Schemoth, Chaldaica pa-

raphrasi Jonathanis in Exod. cap. XII. ver. 40. quemadmodum a R. Azaria in Meor enajim habetur annotatum: ut et in Cabbala historica R. Abrahæ, et vulgari Judæorum computo. Eandemque ex recentioribus secuti simul Cajetanus, Naclantus, Genebrardus, Arias Montanus, Bonfrerius, Bibliander, Beza, Tremellius, Vignerius, Temporarius, Cappellus, Lydiatus, Lansbergius, Pawellus et alii. In ea vero asserenda præcipuam posuerunt operam, Thomas Pius in Clepsydra sua Anglice conscripta, et Henricus Harvillæus sub finem sectionis 13. tertiæ temporis periodi; quorum prior, probationes a se productas, et "matutino solis jubare clariores, et quam ut ab hominum vel authoritate vel argumentis infringi possint validiores" esse opinatur: posterior, multo modestius, "cæteris sententiis probabiliorem" hanc esse concludit.

Ad ista discernenda, primo, cum Chrysostomo[a], Abulensi[b], et aliis, notandum est, Abrahami in Scriptura vocationem haberi geminam: unam Ure Chaldæorum, patre adhuc vivente[c]: alteram Charane, post Tharæ patris excessum, factam[d]. Priori vocationi obtemperavisse Abrahamum, illis verbis docet protomartyr Stephanus: "Tunc[e] egressus ille est ex terra Chaldæorum." Posteriori, Moses: "Egressus[f] est itaque Abram sicut præceperat illi Dominus, et fuit cum eo Lot: et septuaginta quinque annorum erat Abram quum egrederetur Charane." Conrado enim Pawello neminem hic assensurum existimo: qui in quarto suo Scopulo, (in quem, cum aliis nautis Tremellium etiam et Junium impegisse scribit; quos cum ipso tamen constat, primam evangelii promissionem Abrahamo factam, non 75. sed 70. ejus ætatis anno attribuisse;) duo hujus versiculi membra ita a se invicem divellit, ut prius ad primam Abrahami ex Ure Chaldæorum, posterius ad secundam ejusdem ex Charane profectionem referat;

[a] Chrysost. in Gen. homil. 36.

[b] Tostat. in Gen. cap. 12. quæst. 1. 12. et 18.

[c] Gen. cap. 15. ver. 7. Josu. cap. 24. ver. 2, 3. Nehem. cap. 9. ver. 7. Act. cap. 7. ver. 2, 3, 4.

[d] Gen. cap. 12. ver. 1. 4. Act. cap. 7. ver. 4.

[e] Act. cap. 7. ver. 4. [f] Genes. cap. 12. ver. 4.

quam diversam profectionem a priore esse, particula adversativa *autem*, quæ in textu tamen originali completivam, *et*, sibi habet respondentem, designare autumat. In priore vocatione Thara, qui a Chaldæis seductus idolorum cultui sese mancipaverat[e], intellecta, ex filio, Dei voluntate, ab[f] idololatria resipiscens, itineris ducem sese præbuit: assumptoque secum filio Abrahamo, Loto, et nuru Sara, Ure Chaldæorum cum iis egressus est, ad proficiscendum in terram Chanaanis[g]; nam, "quia ipse erat pater familias, ideo migrationis negotium illi adscribitur, non filio familias:" ut recte in Elencho Pareano scripsit Scaliger. In posteriore vero, patrefamilias Charane jam mortuo, ipse Abrahamus Saram et Lotum assumpsisse, et cum iis recta in terram Chanaanis abiisse, dicitur[h].

Observandum secundo est, in utraque vocatione, indefinite a Deo iter suscipiendum præcipi: ad terram quam ipse esset ostensurus[i]: et tamen tum in prioris executione a Thara[k], tum in posterioris ab Abrahamo[l], in Chananæam profectionem memorari institutam: quod varii interpretes varie cum verbis illis apostoli conciliare nituntur: "Per[m] fidem vocatus Abraham auscultavit, ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem, et exivit, nesciens quo esset venturus." Nam ut præteream quæ hac de re habet Laurentius Codomannus, in chronologiæ suæ libri primi capite tertio; Nicolaus Abramus[n] in verbis illis: "Tulit[o] itaque Thara filium suum, et Lot filium Haran filium filii sui, et Sarai nurum suam; et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Charan, et habitaverunt ibi;" particulam *ut* non causam et intentionem, sed duntaxat eventum rei denotare affirmat, "perinde atque si diceret: Eduxit eos de Ur

[e] Josu. cap. 24. ver. 2.
[f] Vid. Torniell. anno mundi 2113. num. 2.
[g] Gen. cap. 11. ver. 31.
[h] Ibid. cap. 22. ver. 5.
[i] Act. cap. 7. ver. 3. et Gen. cap. 12. ver. 1.
[k] Gen. cap. 11. ver. 31.
[l] Ibid. cap. 12. ver. 5.
[m] Hebr. cap. 11. ver. 8.
[n] Abram. in Pharo veter. Testam. lib. 7. cap. 21.
[o] Genes. cap. 11. ver. 31.

Chaldæorum, quo factum est ut in terram Chanaan pervenirent. In Charane vero Abrahamum, qui jam ante, quamvis nesciens quo iret, sed Deo simpliciter obtemperans, a Chaldea discesserat, iterato divinæ vocis oraculo, monstrataque sibi terra Chanaan, in eam profectum fuisse dicit, divinis sibi promissionibus destinatam." Ita ille: non observans, in secunda quoque illa vocatione indefinite dixisse Deum: "Veni[n] in terram quam monstrabo tibi;" neque uspiam significavisse Mosem, magis in Charane monstratam Abrahamo fuisse terram Chanaan, quam in Ure Chaldæorum. Ideoque, quum de Abrahamo Charane exeunte dicitur: "Tulitque[o] Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Charan: et egressi sunt, ut irent in terram Chanaan;" in hoc quoque loco, particula *ut* non intentionem, sed rei eventum denotatum dicere potuisset: et eo quidem in hoc, quam in altero illo rectius, quod in hoc intentioni eventus plane responderit, in illo non item; quum ductor itineris Thara, Charane mortuus, in Chananæam nunquam pervenerit. Itaque multo rectior est illa Tornielli[p] explicatio, ad utramque vocationem se extendens; "bene fieri potuisse, quod Abram, quando exivit, sciret Deum velle ut ipse iret in terram Chanaan; sed nesciret num vellet ipsum ibi requiescere, an etiam ultra ad remotiorem aliquam regionem progredi, ac propterea venisse illum in Charan, non animo ibidem sistendi, sed transeundi versus terram Chanaan, certo credentem, quod ibi Dominus monstraturus esset terram, ad quam pergere, et in qua morari deberet: quemadmodum mox revera factum fuit; quum enim Sichemum in terra Chananæa venisset, audivit a Domino: *Semini*[q] *tuo dabo terram hanc.*"

Tertio deinde loco est observandum; in posteriore ista migratione speciatim Mosem significasse, fuisse "Abrahamum 75. annorum" quum proficisceretur Cha-

[n] Gen. cap. 12. ver. 1. [o] Genes. cap. 12. ver. 5.
[p] Torniell. anno mundi 2113. num. 3.
[q] Gen. cap. 12. ver. 7.

rane[p]: addidisse postea, traditam fuisse Abrahamo Hagaram ancillam, exactis "decem[q] annis ex quo habitabat in terra Chanaanis." Quod non ob alium finem ab eo factum credere par est, quam ut a migratione Abrahami in Chananæam, initium 430. annorum peregrinationis Israelitarum, qui habitaverunt in Ægypto, arcessendum indicaret: quam et Græci idcirco loci illius paraphrastæ, "ἐν[r] γῇ Αἰγύπτου καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, in terra Ægypti, et in terra Chanaan," peractam fuisse memorant: quum migrationi ex Ure Chaldæorum nulla temporis nota habeatur apposita. "De ætate enim Abrahæ tempore istius vocationis," inquit Abulensis, "nihil ponit sacra Scriptura, neque ex aliquo loco determinate colligere possumus."

Considerandum quoque quarto et illud est; quum eo animo Urem Chaldæorum reliquerit Thara, ut in terram Chananæam progrederetur[s], et Charane subsistens morte sublatus fuerit, post quam Abrahamus iterum a Deo monitus recta inde in Chananæam perrexerit: an non ipsa hujus historiæ series postulet, ut statuamus senem 205. ætatis annum jam agentem, morbo detentum in Charane moram fecisse, indeque vita illius ibidem finita, filium Abrahamum iter in Chananæam cœptum absolvisse; ita ut in unum et eundem annum Abrahami 75. et gemina ipsius vocatio, et inter utramque interjecta mors patris incideret, atque ab ineunte demum anno illius 76. tempus peregrinationis ipsius in terra Chanaanis initium ceperit. Quid enim, præter morbum et corporis infirmitatem, Tharam, quem erga Deum pietas patrium solum et proprios lares relinquere coegerat, ab incepto itinere peragendo detinere poterat? aut quid præter pietatem erga moribundum parentem, qui, religionis causa, peregrinationis hujus et comitem et ducem illi se adjunxerat, Abrahamum, cujus tam prompta in divina vocatione sequenda tantopere laudatur obedientia, impedire poterat, quo minus recta in Chananæam pergeret? Nam de Tha-

[p] Gen. cap. 12. ver. 4.
[q] Ibid. cap. 16. ver. 3.
[r] Exod. cap. 12. ver. 40.
[s] Gen. cap. 11. ver. 31.

ra, quod vel loci amœnitate captus, ut Aben Ezra, vel in veterem idololatriam relapsus, ut alii sentiunt, in Charane ille manserit, neque filium sequi voluerit, quis persuaderi sibi patiatur? Neque omnino satisfacit, quod de Abrahamo ab Harvillæo hic obtenditur: "si prompta illius obedientia non obstitit, quin patri suo et aliis parentibus comes esset, nec in Chanaan recta prorsus iret; ita neque obstare debuisse, quin jam extra Chaldæam egressus, cum eodem patre moribundo aliquot annis habitaret." Quasi eodem hic recideret, patrem habere comitem, vel morbo in itinere implicitum per unam hyemem, quæ ipsa quoque anni tempestas grandævo seni, etiamsi sanus fuisset, ad iter faciendum per se fuisset incommoda, non deserere; et per aliquot annorum spatium moram cum eo facere: aut quasi perinde esset, utrum per aliquot menses, an per integrum quinquennium, Tharam moribundum fuisse existimaremus.

Sed monet ille hic "advertendum primo, præceptum Dei fuisse magis de exeundo ex Chaldæa, quam de recta eundo in aliquam promissam terram;" atque ad id probandum, Pauli illum locum producit: "Fide[u] qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; et exiit nesciens quo iret." Deinde et illud advertendum esse ait; "ex Judith. cap. V. ver. 9. haberi præceptum æque, ut habitaret in Charan, ac ut exiret de Chaldæa." Resp. Ad primum, præceptum Dei non magis fuit de exeundo ex Ure Chaldæorum, quam de eundo "in[w] terram quam ipse ei esset monstraturus," non illam utique per quam esset ille transiturus, sed in qua ex Dei voluntate esset permansurus, et quam suo tempore posteri ipsius jure hæreditario essent possessuri. Quam Chananæam fuisse, licet profectionem eo dirigeret[x], dum esset in itinere, plane nescivit: quemodmodum in observatione secunda ex Torniello jam est dictum. Ad secundum, in libro Judithæ recensentur tantum verba Achjoris ducis Ammonitarum: qui, quid Abrahamo Deus de habitando in Charan præceperit, non

[u] Hebr. cap. 11. ver. 8.
[w] Act. cap. 7. ver. 3.
[x] Gen. cap. 11. ver. 31.

magis cognovit, quam ipse Harvillæus, quem hic potissimum verborum apostoli[y] de Abramo, quum "exiret, nesciente quo iret," meminisse oportebat; eorumque cum Achjoris effatis illis, de migratione ex Chaldæa in Charanem, atque inde in Chananæam expresse a Deo mandata, conciliationem aliquam excogitare. In cujus oratione et illud notari potest; Dei præceptum de habitatione in Charan, in editione tantum vulgata Latina haberi, quam ex Chaldæo convertit Hieronymus; ubi etiam aliqua potest esse suspicio, ut postea indicabitur, Charan pro Chanaan esse suppositam, in Græco vero legi, "Καὶ ἔφυγον εἰς Μεσοποταμίαν, καὶ παῳκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλὰς. Et fugerunt in Mesopotamiam et habitaverunt," vel peregrinati sunt "ibi dies multos." Quæ ipsa etiam verba a Petavio[z], Harvillæo, et Bonfrerio[a], ad diuturniorem Abrahami in Charane moram confirmandam, adducuntur: quam et aliis argumentis illi frustra adstruere nituntur; quorum ista sunt præcipua.

I. Stephanus dicit Abrahamum "κατοικῆσαι[b] ἐν Χαῤῥὰν habitavisse in Charran; quod vocabubum, haud adeo breve fuisse intervallum, arguit:" inquit Petavius et Harvillæus. "Sane improbabile est, per verbum habitandi, non denotari nisi aliquam et modicam partem anni: probabile potius denotari plures annos." Similiter et Bonfrerius, ex Geneseos cap. XI. versu penultimo, Abrahamum cum patre aliquot annis mansisse colligit: quod dicti illi fuerint "ibi habitasse, hoc est firmum ibi domicilium collocasse. quod de eo dici non potest, qui paulo post ulterius progressus est, animumque retinet mox abeundi." Resp. Ponamus, Tharam, et Abrahamum Ure Chaldæorum discessisse, sequente hyeme Tharam infirmitate Charane detentum fuisse, eoque demum ibidem vita functo, sub initium veris Abrahamum Charanem reliquisse: satis Abrahamo relinquitur spatii, ut in Charane habitavisse dici possit. Qui enim ad sex tantum menses domum con-

[y] Heb. cap. 11. ver. 8.
[z] Petav. de doct. temp. lib. 9. cap. 18.
[a] In Gen. cap. 15. ver. 13. [b] Act. cap. 8. ver. 4.

duxit, licet minori tempore, non minus tamen habitavisse dicitur, quam qui per sex annos habitationem in ea continuaverit, cujusmodi brevior illa fuit Jacobi in Bethele habitatio[c]: quam sex mensium fuisse statuunt Hebræi in Seder Olam Rabba, capite secundo, et Thamaræ viduæ in "domo[d] patris sui." Ipseque demum in Numerorum cap. XIV. ver. 25. scribens Bonfrerius, ultro agnoscit, "etiam apud Latinos esse in usu, ut habitare dicatur quis, qui in aliquo loco est, et ad aliquod tempus ibi statuit commorari; multo vero magis vocem Hebræam ישב et Chaldæam יתיב, quæ non tantum significat habitare et commorari, sed etiam sedere: ut brevissimi temporis commoratio, absque animo etiam moræ longioris, sufficiat ut quis dicatur יושב habitans, vel locum aliquem insidens."

II. Abrahamus in digressu cum fortunis omnibus suis, etiam "animas[e], quas fecerat in Charan," transtulisse dicitur in Chananæam: quibus verbis mancipia significantur, et pecora vel jumenta, quibus dum Charris habitaret, aucta ipsius bona fuerant. Proinde "ibidem aliquandiu consedisse:" neque potuisse dici, "ibi ad pauculos dies, vel etiam menses constitisse," concludit hinc Bonfrerius. Dicere enim animas illas, vel conceptas fuisse in Ur Chaldæorum, et enatas in Charan, ac tandem translatas in Chanaan; vel conceptas et enatas fuisse in Charan, et deinde translatas in Chanaan, hæcque intra unum eundemque annum, omnino est improbabile: inquit Harvillæus, qui et reliquas illas facultates, אשר רכשו quas Abrahamus et Lotus, aut eorum etiam domestici sibi compararunt, ad opes ab eis in Harane congestas trahit. In his autem congerendis, necesse esse ait consumptos fuisse multos annos. Resp. At vero ut de congestis opibus, et animabus vel animalibus domi enatis, ut ista comminisceretur Harvillæus, nihil erat necesse. Abrahamum certe et Lotum ad domesticam Tharæ familiam pertinuisse, ex Geneseos cap. XI. colligitur. Qua per mortem patris familias soluta, Abrahamum cum Loto, et reliqua

[c] Genes. cap. 25. ver. 1. 16.
[d] Ibid. cap. 38. ver. 11.
[e] Genes. cap. 12. ver. 5.

sua familia in Chananæam perrecturum, priusquam Charane discederet, patrimonium sibi relictum, et facultates suas veteres, novorum aliquot mancipiorum, et jumentorum, et rerum aliarum ad vitæ usum necessariarum acquisitione, augere eum voluisse, maxime est credibile. Quæ ut persoluto pretio compararentur omnia, quantulum, quæso, temporis spatium sufficiebat.

III. Abraham vocat Charan terram suam: "Ad[f] terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac." "Atqui," inquit Harvillæus, "Abraham non vocasset Charan terram suam, nisi aliquot annis in ea habitasset: quis enim suam vocet terram, per quam solummodo transeat, et in ea nullam veram habitationem annorum faciat." Unius Harvillæi hoc argumentum est; minime considerantis, illam pro qua ille contendit quinque annorum habitationem efficere non posse, ut Charan terra Abrahæ vocaretur. Multo enim longius ad hoc requirebatur commorationis in ea tempus: cujusmodi Servatoris nostri erat in Nazaretha, ut ea patria ipsius haberetur. Unde et Judæi aliam ante hanc in Charanem Abrahami migrationem confinxerunt, ut in Josepho capite primo עבודה זרה et principio Cabbalæ historicæ R. Abrahæ Levitæ, videre licet: a qua rediisse eum volunt ætatis anno 52. exacto, qui juxta ipsorum calculum, ad 70. Tharæ annum nativitatem Abrahami referentium, secundum annorum mundi millenarium complet, et spatium quod תהו sive Inane appellant, terminat. Post octodecim vero exinde annos Abrahamum iterum in Charanem profectum fuisse perhibent, ut Scriptura[g] narratur, ibique per quinquennium esse commoratum. Quorum sententiam non satis assecutus Gerardus Mercator, et eum secutus Henricus Buntingus, in chronologia sua, Abrahamum ex Ure Chaldæorum cum patre suo Thara egressum fuisse existimavit, quum annos ætatis 52. complevisset: petiisse tum eum Charanem, et in ea consequenter per totos 22. annos permansisse, existimans, quo tempore a Charane cum recessisse Judæorum ferebat

[f] Genes. cap. 24. ver. 4. [g] Gen. cap. 12. ver. 13.

traditio. Sed ut Judaicas omittamus fabulas: terra ad quam Abraham servum suum proficisci jubebat, Mesopotamia erat[e], in qua et Urem Chaldæorum, et Charanem sitam fuisse ad undecimum caput Geneseos docet Abarbinel. Quam sententiam verisimilem esse agnoscit Manasses Ben Israel in Conciliatore suo, quæstione 40. in Genesin; et esse omnino veram, nos mox pluribus comprobabimus. Ad argumenta enim pro principali causa adducta, jam progrediamur; quibus D. Pius, et alii evincere conantur, ab anno Abrahami 70. et vocatione ex Ure Chaldæorum, peregrinationis ipsius et posterorum ejus initium esse deducendum: quorum,

Primum, hoc ipsum esto. Peregrinatio Abrahami ab eo tempore est inchoanda, quo ille terram et natale suum solum reliquit. At quamprimum ex Ure Chaldæorum excessit, non quum ex Charane demum est egressus, Abrahamus terram et natale suum solum reliquit. Itaque illud: "Exi[f] ex terra tua, et ex loco nativitatis tuæ," inquit in Elencho Pareano Josephus Scaliger[g], licet et ipse nobiscum a 75. Abrahami annos peregrinationis dinumeret, "non potest referri ad Charran. Non enim natus est in Charran, sed in Ur Chaldæorum." Et Thomas Pius similiter. "Abrahamus," inquit, "jussus est egredi e nativo suo solo, sive terra nativitatis suæ, quæ non fuit Charran, sed Chaldæa: atque ibi Abrahamus incipit peregrinationem suam; ab ipsa nimirum terra in qua natus fuerat[h]." Et Conradus Pawellus, in Scopulo suo quarto: "Hæc descriptio loci non convenit alteri loco, quam Uri Chaldæorum, certe non Charani, ubi ipse cum patre et familia sua tota, peregrinus erat." Resp. Aliud est אדצ מולדתך aliud ארצך ומולדתך cum conjunctione interposita. Prius terram nativitatis denotare potest; ut in Geneseos cap. XI. ver. 28. videre licet; posterius vero "terram et cognationem" semper significat. Unde et in hoc ipso loco[i], editionem vulgatam Græcam reddidisse videmus, ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σοῦ, et Latinam, "Egredere de terra tua, et

[e] Genes. cap. 24. ver. 4. 13.
[f] Ibid. cap. 12. ver. 1.
[g] Pag. 49.
[h] Genes. cap. 24. ver. 7.
[i] Genes. cap. 12. ver. 1.

de cognatione tua." Quod quidem Charani convenire, quis melius nos docuerit quam ipse Abrahamus; servum eo suum cum hoc mandato ablegans? "תלך[k] אל־ארצי ואל־מולדתי. Ad terram et cognationem meam proficiscaris." Nam et Nachor senior ipsius frater cum familia ibidem manserat, et Charan æque ac Ur in eadem Mesopotamiæ regione est positum: ut ex Abarbinele, omnium inter Judæos acutissimo Scripturarum interprete, jam est dictum.

Et Charanem quidem, quæ Carræ illæ sunt clade Crassi nobilitatæ, in Mesopotamia fuisse sitam, nullus dubitat. Eam Scriptura in "Aram[l] naharajim," id est, "Syria duorum fluviorum" collocat; et in Padan Aram[m], quæ in vulgata editione Græca et Latina Mesopotamia, et Mesopotamia Syriæ, licet illud Syriæ in Græca sub asterisco fuisse additum, in libro locutionum in Genesin Augustinus monuerit, est reddita; atque a Tremellio et Junio ea pars Mesopotamiæ fuisse existimatur, quam Ptolemæus vocat Ancobaritida, et Chaborras fluvius in Euphratem labens dissecat. Tota igitur quæstio de "Ure Chaldæorum" manet: quam "Ur castellum," vocat Ammianus Marcellinus, libro vigesimo quinto; "Uram Chaldæorum" Josephus[n]; qui et Haranis fratris Abrahami sepulchrum ad sua usque tempora ibi ostensum memorat; Septuaginta interpretes "*χώραν τῶν χαλδαίων*, regionem Chaldæorum;" Eupolemus in libro de Judæis, Uriam et Camarinam: Abrahamum enim natum fuisse dicit, "*ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἣν τίνας λέγειν πόλιν Οὐρίην, εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην, χαλδαίαν πολιν*, in urbe Babyloniæ Camarina; quam nonnulli urbem Uriam dixerint, quod interpretatum Chaldæorum urbem significet:" ut ex eo refert Alexander Polyhistor, apud Eusebium, libro nono de Præparatione Evangelica, capite decimo septimo; ad quem locum Græco-Latini Eusebii editor Franciscus Vigerus, ex Josepho Scaligero, in notis ad fragmenta veterum operi suo De emendatione temporum adjecta, "Chaldæo-

[k] Gen. cap. 24. ver. 4. [l] Ibid. ver. 10.
[m] Gen. cap. 25. ver. 20. cum cap. 27. ver. 43. et cap. 28. ver. 5, 6, 7.
[n] Lib. 1. Antiqu. cap. 7.

rum urbem" nominis Camarinæ hic potius, quam Uriæ vel Uræ continere explicationem asserit: ut per Chaldæos, Eupolemus "non tam populum, quam sacerdotes, seu philosophos intelligat, quos Hebræi כמרים Chaldæi כומרוא vocabant; quibus hæc urbs proprie attributa sit, ideoque Camarine dicta. Cemarim enim vocabulum Atratos significans, idololatricos sacerdotes pullis vestibus incedentes denotat[n].

Sacerdotes autem apud Chaldæos, uti apud Ægyptios, astrologiæ divinatrici præcipue vacabant: quam Chaldaicam astrologorum nationem, in Babylonia ad Mesopotamiam pertinente, fuisse collocatam, in notis ad Actorum cap. VII. indicavit doctissimus Camerarius. Eam vero hoc tempore negant Hebræi a Cashdim sive Chaldæis fuisse habitatam: quippe quos, non ab Arphaxad Semi filio, cum Josepho, quod minus esse verisimile docet Salianus[o], sed a Cesed Nachoris, fratris Abrahami, filio[p], originem duxisse existimant; ut ex Hieronymi traditionibus Hebraicis in Genesin, et R. Saadia Gaone in caput secundum Danielis intelligimus. Unde Aben Ezra in Geneseos cap. XI. ver. 28. Ur Cashdim, sive Urem Chaldæorum per anticipationem a Mose dictam fuisse putavit; quod ipsius tempore ita vocaretur. Verum quum ipsum quoque Deum ad Abrahamum dixisse Moses referat: "Ego[q] sum Dominus, qui eduxi te de Ure Chaldæorum:" dicendum potius fuisset, vocabulum Cashdim, non gentis hic esse proprium, sed appellativum hariolos et magos denotans, quos a דים denominatos Hebræi volunt, quod dæmonum opera divinationes suas et præstigias illi perficiant. Nam et in ipsa Chaldæa, Cashdim hoc nomine notos eos fuisse, in Annalibus nostris[r] ex Daniele ostendimus: et apud exteros, Chaldæorum nomen obtinuisse est notissimum. De quo videndus Drusius, in notis ad illud Severi Sulpicii, in libro primo historiæ sacræ, de Pharaone: "Facientibus

[n] 4 Reg. cap. 23. ver. 5. Hos. cap. 10. ver. 5. Zeph. cap. 1. ver. 4. Et Chal. Paraph. Genes. cap. 47. ver. 22.

[o] Salian. ann. mundi 1931. num. 89.

[p] Genes. cap. 22. ver. 22. [q] Ibid. cap. 15. ver. 7.

[r] Ad ann. mundi 2083. Works, vol. 8. pag. 22.

similia Chaldæis, magicas esse artes, quæcunque per Moysen fierent, potius quam Dei virtutem, pronuntiabat; donec superductis ciniphibus terra oppleta est, Chaldæis fatentibus majestate divina ista fieri."

Babyloniæ autem partem aliquam, imo et Babylonem ipsam, intra Mesopotamiæ terminos fuisse comprehensam, docet Plinii ille locus: "Babylon[s] Chaldaicarum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe: propter quam reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est." Et paulo post: "Sunt etiamnum in Mesopotamia oppida, Hipparenum, Chaldæorum et hoc, sicut Babylon, juxta flumen Narragam, qui dedit civitati nomen. Muros Hipparenorum Persæ diruere. Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina, in eodem situ locantur, ad meridiem versi." Orchoen autem Tremellius et Junius Urem nostram fuisse existimant. Ipsam vero "Mesopotamiam ab oriente Tigri, ab occasu Euphrate, a septentrione Tauro, a Meridie mari Persico inclusam," in ejusdem libri capite vigesimo septimo refert idem Plinius: ita videlicet, ut non inter duo flumina tantum inclusa, sed etiam ad eorum ripas apposita omnia, Mesopotamiæ deputanda intelligantur; quod illa ejusdem, in præcedente capite, satis ostendunt: "Est etiamnum oppidum Mesopotamiæ in ripa Tigris circa confluentes, quod vocant Digbam. Item Mesopotamia tota Assyriorum fuit vicatim dispersa, præter Babylona et Ninum: Macedones eam in urbes congregavere." Cumque Euphrates "Babylonem, quondam Chaldææ caput, mediam permeet:" ut apud eundem[t] legitur, ut Babylonem ipsam, ita quicquid ultra orientaliorem Euphratis ripam Babylonicæ ditionis erat, non minus, (imo etiam magis) ad Mesopotamiam, quam ad Chaldæam fuisse referendum, nemini potest esse dubium; ne quis Urem in terra Chaldæorum simul et in Mesopotamia fuisse positam, deinceps miretur: quum de ipso Chaldææ capite Babylone vere hoc dici potuisse, Plinius nos docuerit.

[s] Libro 6. cap. 26.

[t] Libro 5. cap. 26.

Et certe de Ure, ante illum, clarissime hoc ipsum nos docuit protomartyr Stephanus, dicens: "Deus[w] gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charran; et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan." Ex quibus verbis manifestum est, terram illam Chaldæorum, quæ terra seu patria Abrahami est dicta, in ipsa Mesopotamia fuisse positam. Quo spectant et Josephi[x], de eodem Abrahamo, ista: "*Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν στασιασάντων πρὸς αὐτὸν, μετοίκειν δοκιμάσας κατὰ βούλησιν καὶ βοήθειαν τοῦ θεοῦ, τὴν χαναναίαν ἔσχε γῆν.*" Cum Chaldæi et Mesopotamitæ cæteri contra ipsum insurgerent, consilium migrandi cepit, et voluntate ac favore Dei fretus, terram Chananæam tenuit." Quæ ille non scripsisset, si non Chaldæos illos Mesopotamitarum portionem aliquam fuisse credidisset.

Secundum argumentum, ex protomartyris jam dictis verbis, a D. Pio ita deducitur: "S. Stephanus[y] affirmat peremptorie, celebre illud לך-לך[z] consignatum, Egredere de terra tua, et de cognatione tua, &c. Abrahamo fuisse dictum, antequam venisset in Charan: quod et ipse Moses sufficienter insinuat[a], affirmans Abrahamum cum Thara ex Ure venisse, ut iret in Chananæam." Resp. Quum Abrahamum ex Ure in Chananæam a Deo vocatum fuisse, tum ex obscuriore illa insinuatione[b], tum ex clarioribus Scripturæ testimoniis[c], B. Stephanus intelligeret, et verbis aliquibus significatam illam vocationem fuisse non dubitaret, verba quidem et ipse, ut sæpius in Psalmis David, ex ipso argumento deducta, Deo attribuit; quæ ad Mosaica illa[d], quibus eandem vocationem iteratam exprimi viderat, conformanda esse censuit. Nec idcirco tamen, vel peremptorie, vel omnino verba illa[e] Abrahamo

[w] Act. cap. 7. ver. 2.
[x] Libro 1. antiqu. cap. 8.
[y] Act. cap. 7.
[z] Gen. cap. 12. ver. 1.
[a] Gen. cap. 11. ver. 31.
[b] Ibid.
[c] Genes. cap. 15. ver. 7. Josu. cap. 24. ver. 2, 3. et Nehem. cap. 9. ver. 7.
[d] Genes. cap. 12. ver. 1.
[e] Ibid.

dicta fuisse affirmat, antequam venisset in Charan: neque vero affirmare potuit, quum ipse Moses, vocationis verbis eo in loco citatis, immediate subjecerit: "Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, et fuit cum eo Lot: et 75. annorum erat Abram cum egrederetur de Charan." Non præcepit autem illi in Chaldæa Dominus, ut exiret de Charan, in quam nondum ingressus fuerat: ut recte a Saliano[f] est hic notatum. Quod adeo clarum est, ut ipse Salomo Jarchius a recepta suorum sententia recedere hic cogatur, et verba vocationis[g] Abrahamo dicta fuisse fateri, quum esset in Charan.

Tertium argumentum, præcedenti hypothesi falsæ innixum, a D. Pio ita proponitur: "S. Paulus Stephano[h] se adjungit, et omnia plana reddit: asserens, legem fuisse datam 430. annis post promissionem. Illam videlicet de benedicendis in Christo, ab Abrahamo orituro, omnibus tribubus terræ; eam vero dictam fuisse Abrahamo, quando e terra sua egredi est jussus, docet Moses[i]: idque fuisse antequam Abrahamus habitaret in Charan, affirmat Stephanus." Resp. Id Stephanus minime affirmat: qui priorem tantum Abrahami vocationem ex Ure Chaldæorum exponit; idque verbis nudum egressionis præceptum continentibus[k]. Moses vero alteram ex Charane vocationem explicat: in qua, præcepto promissionem illam adjunctam fuisse docet[l]; quam ante legislationem 430. annis factam fuisse Paulus asserit[m]. Sed Pio nostro ignoscendum est, qui semel tantum vocatum fuisse Abrahamum est opinatus. Harwillæo vero quid facias? qui duplice nobiscum, "Ex Scriptura et claris authoribus," ut ille agnoscit, Abrahami vocatione constituta, "omnem rationem dictare" ait, promissionem illam in priore vocatione ipsi pariter fuisse factam; atque hoc posito, annos 430. promissioni tributos[n], ab illa promissione, ut primitus

[f] Salian. ann. mundi 2114. num. 2.
[g] Gen. cap. 12.
[h] Galat. cap. 3. ver. 8. 14. 17.
[i] Gen. cap. 12. ver. 3.
[k] Act. cap. 7. ver. 3.
[l] Genes. cap. 12. ver. 3.
[m] Galat. cap. 3. ver. 17.
[n] Gal. cap. 3.

facta, computandos esse concludit. Et omnis sane dictat ratio, ut quæ ad præcepti de migratione substantiam spectant omnia, utrique pariter sint communia: sed ut illa de benedicendis in Christo omnibus gentibus promissio, ad vocationem ipsam per se nihil attinens, sed secundo migrationis præcepto appendix addita, absque omni Scripturæ sacræ testimonio, atque ex imaginatione solum propria, primo itidem præcepto apposita non credatur solum, sed etiam pro computationis chronologicæ fundamento supponatur; haud scio an quisquam rationis satis compos persuaderi sibi patiatur.

Quartum argumentum, illud esse poterit, quo usus est D. Pareus[o], ut probaret oraculum illud non in Charane accepisse Abrahamum, sed in Ure Chaldæorum, dum pater adhuc viveret. Jubetur enim ibi exire "e domo patris sui." Patrem ergo adhuc superstitem habebat: inquit Pareus. Qui tamen a Nicolao Lyrano, in eundem locum scribente, discere potuisset: "Bene denominari domum ab aliquo, etiam postquam mortuus esset, ut patet ex Scriptura, in pluribus locis." Et nominatim, in Geneseos cap. XXIV. ver. 67. ubi Isaacus sponsam suam Rebeccam introduxisse dicitur in tentorium "Saræ matris suæ;" quæ tamen ante triennium vitam suam finierat. Ita Thara in Charane mortuo, et patrimonio inter ejus filios Nachorem et Abrahamum diviso; Abraham Deum vocantem secutus in Chananæam migravit, senior vero frater Nachor, veteri idololatriæ adhærescens, cum sua et paternæ familiæ majore parte, in Charane permansit. Indeque in capite illo XXIV. Geneseos urbs Charan et civitas Nachoris, etiam tum defuncti, in commate decimo invenitur appellata; et in commate trigesimo octavo, quod ad rem præsentem unice facit, domus Tharæ, quem tum tamen fuisse mortuum agnoscunt omnes. Unde et alii ex iisdem vocationis verbis colliguunt, in Ure eam non fuisse factam: quia tum, non ex domo patris, sed cum domo patris sui ille exierit; et illud "לך־לך Vade tibi," non tam, "pro utilitate tua vade," significet, ut cum R. Salomone

[o] In comment. ad Gen. cap. 12. ver. 1.

Lyranus exposuit, quam "vade tumet ipse," independenter scilicet a patre, qui in priore illa ex Ure profectione, itineris dux et princeps fuerat.

Quintum argumentum, a testimonio Achjoris Ammonitæ, in libri Judithæ capite V. est petitum: "Achjor," inquit D. Pius, "qui mendacium de ore suo non exiturum protestatur, evidentissime orditur παροικίαν et peregrinationem ab Abrahami itinere ex Chaldæa in Mesopotamiam: et totius peregrinationis tres facit partes, vel παροικίας distinctas tres; unam in Charane, alteram in Chananæa, in Ægypto tertiam." Resp. De Ammonita hoc verum est illud, quod de Servatore nostro a Pharisæis falso est dictum, "Tu[p] de teipso testaris, testimonium tuum non est firmum." Ecce enim in primo statim orationis suæ limine ille impingit, primis Hebrææ gentibus apostasiæ quandam notam inurens, quod noluerunt sequi[q] deos patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum," quasi Eber, Phaleg, Ragau, et cæteri (recta linea) patres ad Tharam usque (quem in illo alienorum deorum cultu a patrum religione descivisse, ex Josuæ cap. XXIV. ver. 2. novimus) stercoreos illos Chaldæorum deos ecluissent. Quænam vero ipsius Achjoris verba fuerint, cujuscunque tandem authoritatis illa sint, vix satis constat: quum de commoratione Abrahami in Mesopotamia, non eadem in editione vulgata Latina ab Hieronymo ex Chaldaico, et in vetustiore Italia ex Græco conversa, reperiantur posita; ut ex subjecta utriusque collatione potest perspici. Ita enim se habent Achjoris ad Holophernem verba, ex textu,

GRÆCO.	CHALDAICO.
5. Audiat Dominus noster verbum de ore pueri sui, et referam tibi veritatem de populo qui habitat juxta montana hæc: et non exibit mendacium de ore servi tui.	5. Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat: et non egredietur verbum falsum ex ore meo.
6. Hæc enim progenies populi Chaldæorum est.	6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est.
7. Et antea habitaverunt Mesopota-	7. Hic primum in Mesopotamia ha-

[p] Joh. cap. 8. ver. 13.

[q] Judith, cap. 5. ver. 7, 8.

miam, quia noluerunt sequi deos patrum suorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum gloriosi.

8. Sed declinaverunt de via patrum suorum, et adoraverunt Deum cœli, quem cognoverunt: et projecerunt eos a facie deorum suorum, et fugerunt in Mesopotamiam et habitaverunt[r] ibi dies multos.

9. Dixitque illis Deus eorum ut exirent de[s] habitatione sua, et irent in terram Chanaan: et habitaverunt ibi, &c.

bitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.

8. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum cœli coluerunt.

9. Qui et præcepit eis ut exirent inde, et habitarent in Charan[t].

Translatio ex Græco extat apud Augustinum[u]. Qui licet ibi inde colligat, "Manifestum esse domum Tharæ persecutionem passam fuisse a Chaldæis pro vera pietate, qua unus et verus ab eis colebatur Deus:" tamen in eo quod ad rem nostram potissimum spectat, verborum illorum authoritate nihil permotus, diuturnam Abrahamo moram in Mesopotamia non attribuit, sed in capite decimo sexto, eodem anno Abrahami et ex Ure Chaldæorum et ex Charane profectionem factam fuisse existimat. Cujus hac in re sententiam Henricus Philippi Jesuita[w] amplexus, ad objectum Achjoris testimonium, inter alia respondet; "Eum gentilem fuisse, et sic in sua narratione facile errare circa quasdam circumstantias potuisse." Et ad Augustini sententiam confirmandam, Josephi illum locum citat[x], scribentis Abrahamum annos natum 75. reliquisse Chaldæam; quod verum esse non potuisse ait, si non eodem anno et Ure Chaldæorum et Charane ille decessisset. Cui addere potuit et Philonis locum in libro de Somniis, Abrahamum "μὴ πολὺν χρόνον non multum temporis" moræ in Charane tribuisse confirmantis. Quid autem posteriores Judæos moverit, ut toto quinquennio

[r] Παρῴκησαν. [s] Ἐκ τῆς παροικίας.

[t] Ubi, nisi Charan, vel interpretis vel primorum librarium incuria, pro Chanaan irrepsisse dicatur, peregrinationis Hebræorum in terra Chanaanis nullum hic reperietur vestigium.

[u] Libro 16. De civitate Dei, cap. 13.

[w] Henr. Philip. quæst. chronol. in Gen. cap. 12.

[x] Lib. 1. Antiqu. cap. 8.

cum in Charane detinerent, sequens argumentum declarabit.

Sextum enim hoc affertur argumentum. Annorum 75. erat Abraham quando relicta Charane in Chananæam est profectus[y]: centum, quando natus ei est Isaac[z]; unde liquet, a discessu Abrahami ex Charane usque ad nativitatem Isaaci exactos esse annos 25. Abrahami semen[a] peregrinum futurum in terra non sua per annos quadringentos," a Deo est prædictum: qui anni a nativitate Isaaci incipiunt[b], et in exitu posterorum ejus ex Ægypto desinunt. Quum igitur a discessu Abrahami ex Charane usque ad discessum posterorum ipsius ex Ægypto, 425. tantum annorum spatium intercesserit; et totius peregrinationis anni fuerint[c] 430. ut integræ summæ constet ratio, quinquennio ante profectionem Abrahami ex Charane horum annorum calculus est ineundus; et ad illud tempus profectio Abrahami ex Ure Chaldæorum referenda. Resp. A nativitate Isaaci usque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, anni fuerunt 405. quos usitato omnibus more, Scriptura pleno et rotundo 400. annorum numero potuit exprimere. " Quadringenti sane dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius sint:" inquit Augustinus[d], in Exodum: " Quia scriptum est, In Isaac vocabitur tibi semen, ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni 405. Cum ergo de 430. detraxeris 25. qui sunt a promissione usque ad natum Isaac, non mirum est, si 405. annos, summa solida 400. voluit appellare Scriptura; quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur." Qua ratione et populi Israelitici numerum 600000. Mosem facere videmus[e]: neglecto minori numero excrescentium[f] 3550. et centumviros a Romanis fuisse dictos, qui numero erant 105.

[y] Gen. cap. 12. ver. 4.
[z] Ibid. cap. 21. ver. 5.
[a] Gen. cap. 15. ver. 13.
[b] Act. cap. 7. ver. 6. 8.
[c] Exod. cap. 12. ver. 40.
[d] Libro 16. De civitate Dei cap. 24. et quæstione 47.
[e] Numer. cap. 11. ver. 21.
[f] Num. cap. 1. ver. 46. et cap. 2. ver. 32.

Quod si 400. horum annorum numerum ut præcisum et exactum accipere hic libeat, et ex retrograda supputatione, horum exemplo, eventus alicujus, cujus annus alias in Scriptura non habeatur expressus, certum tempus eruere liceat: quid ni, ablactato Isaaco et a fratre Ismaele irriso, ejectum fuisse ancillæ filium annos 19. et filium liberæ annos 5. jam natum, promissionis semen fuisse declaratum, dicamus? atque a solenni hac utriusque seminis discretione 400. annos peregrinationis promissi seminis in terra non sua, posse deduci existimemus? Quo facit et Hieronymi ille locus, in traditionibus Hebraicis in Genesim: "Inter Hebræos varia opinio est: asserentibus aliis quinto anno ablactationis tempus statutum, aliis duodecimum annum vindicantibus. Nos igitur, ut breviorem[g] eligamus ætatem, post decem et octo annos Ismael supputavimus ejectum esse cum matre." Et illo Bedæ: "Potest et sic intelligi; quod a quinto Isaac anno, quo per filium ancillæ cœperit affligi, labor quadringentorum comprobetur (vel computetur) annorum;" et lusum quidem, sive illusionem et irrisionem illam, cujus in Geneseos cap. XXI. ver. 9. ut seminis promissi persecutionem interpretetur apostolus[i]. Sed cum universum illud 400. annorum spatium, peregrinationem seminis respiciat, eaque illius pars quæ servitutem et afflictionem conjunctam habebat, in[k] terra Ægypti eventum sortita fuerit: ut ex illis vaticinii verbis liquet: "Et[l] gentem illam cui servies ego judicabo; et egredientur ipsi cum facultatibus multis:" a determinatione seminis illius quod peregrinaturum fuerat in terra non sua, potius quam ab afflictione aliqua quæ in terra Chananæa illi obvenerit, horum annorum epocham deducere magis convenit. Atqui ante separationem hanc, inquiunt[m], et semen Abrahæ

[g] Quinque annorum. Vid. Salian. ad ann. mundi 2143.
[h] In cap. 7. Act. apost. [i] Galat. cap. 4. ver. 29.
[k] Vid. Harvillæum, sec. 43. col. 471, 472.
[l] Genes. cap. 15. ver. 14.
[m] Harvil. sec. 43. pag. 464. Henr. Philippi, quæst. chron. in Gen. cap. 15. ver. 13.

erat Isaac, et peregrinum in terra non sua. Resp. Ismael quoque ante separationem hanc, et semen erat Abrahæ, et peregrinabatur in terra non sua. Tum demum vero, quum ejecto Ismaele solus in Abrahæ familia maneret Isaac, pronunciatumque illi esset a Deo: "In[m] Isaaco vocabitur tibi semen:" effectum est, ut ad solum Isaacum et ejus progeniem, neutiquam vero omnino ad Ismaelem et ejus posteros, spectare intelligeretur oraculi illius sententia, "Peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, et subjicient servituti et affligent, 400. annis." Ut illud Sanctii[n] adjicere non fuerit necesse: quod pueri ante quinquennium vix advertant, an sint peregrini nec ne: quinquennes autem peregrinationis incommoda dicere incipiant. "At Isaacum ablactatum fuisse anno ætatis suæ quinto, quamvis opinetur Hieronymus et post eum Beda, veruntamen res non est valde certa; nedum aliquod habens indicium in Scriptura:" inquit Harvillæus[o]. "Quis autem probet epocham adeo celebrem assignari anno sic incerto?" Resp. Non minus, et multo etiam magis, propter rationem in consideratione quarta redditam, est incertum, Abrahamum tantummodo 70. annos fuisse natum quum exiit de Ure Chaldæorum, et habitavisse quinque annis in Charan. Et huic tamen incertitudini sic objectæ respondit Harvillæus: "Incertum[p] non debere dici, quod colligitur ex Scriptura, quantum probabilius aliquid potest ex ea colligi." Multo vero probabilius ex Scriptura colligi posse dicunt alterius sententiæ patroni, 430. peregrinationis Hebræorum annos, ab ineunte anno 76. Abrahami, quo relicta Charane in terra Canaanis peregrinari ille cœpit, esse dinumerandos; et cum inde ad natum Isaacum annos tantum 25. effluxisse constet, 400. annos peregrinationi seminis ipsius præfinitos, si stricte illi fuerint accipiendi, ab ineunte anno Isaaci sexto necessario esse inchoandos; et per consequens, quantum probabilius aliquid ex Scriptura potest colligi, eo tempore utriusque Abrahami seminis discretionem, et ejecto Ismaele

[m] Gen. cap. 21. ver. 12.
[n] In Act. cap. 7.
[o] Col. 464.
[p] Col. 485.

electi seminis, ad quod oraculum illud pertinebat, in solo Isaaco determinationem contigisse[p].

In hac vero sententia expendenda diutius sumus immorati, quod non Judæorum modo communis ea fuerit, sed etiam in multorum Christianorum animis locum habere cœperit. In sequentibus igitur, quæ paucos habent assertores, breviores erimus: quarum prima est R. Mosis Latiph Hierosolymitani, in concionibus suis, 430. annorum calculum ab anno 76. Abrahami deducentis; quia tunc descendit ille ad peregrinandum in Ægyptum, post ipsius ex Charane exitum, referente R. Azaria, in Meor enajim[q], et inter Christianos, Johannis Benedicti, in annotationibus ad Exodi caput XII. ver. 40. scribentis, "illos 430. annos computandos esse a primo anno repromissionis Abrahæ in valle illustri, secundo anno post egressum de Haran, cum cœpit peregrinari in Ægyptum." At eodem quo ex Harane, sive Charane migratum est anno, illa Abrahamo in valle illustri, sive planitie Mamræ, a Deo facta est promissio: "Semini[r] tuo dabo terram hanc:" quam eandem cum illa ab apostolo, Galat. cap. III. ver. 16, 17. commemorata, Benedictus fuisse statuit; et ad alterum ab illa migratione annum retulit, quo propius eam cum peregrinatione Abrahami Ægyptiaca conjungeret. Quam ipsam quoque peregrinationem Laurentius Codomanus[s] ad eundem annum, qui ætatis Abrahami 77. numerabatur, retulit: atque ab ea etiam, ut "haud[t] longo intervallo post promissionem" cœpta, exorditur 430. annos peregrinationis illius, "propter quam, illis ipsis 430. annis, titulus mansionis Israelitarum in Ægypto assignatur[u]." Rectius vero in chronologia sua Gerardus Mercator, intra ejusdem anni Abrahami 76. ambitum, et adventum ipsius in Chanaan contigisse existimat, et profectionem ejusdem Ægyptiacam; ad quam locum illum, Exod. cap. XII ver. 40. refer-

[p] Vide Torniellum, anno mundi 2118. num. 16. ann. 2144. num. 1. et ann. 2329. num. 16.

[q] Cap. 35. [r] Genes. cap. 12.

[s] Codoman. chronolog. lib. 2. quæst. 12.

[t] Genes. cap. 12. ver. 3. et Galat. cap. 3. ver. 17.

[u] Exod. cap. 12. ver. 40.

endum esse putat. "Velle enim Moysem," ille ait, "non continuam habitationem significare, sed totum tempus quo habitata est Ægyptus comprehendere; quod hinc usque ad egressum exacte 430. annos continet." Eodemque Abrahamum anno et ex Charane egressum, et in Ægyptum esse ingressum, ab Hebræis quoque in Seder Olam Rabba[x] habetur traditum.

Utcunque autem res se habeat, inter nostram, et hanc Benedicti atque Codomani sententiam, unius tantum anni intercedit differentia: cum proxima, Davidi Pareo viro clarissimo probata, toto decennio a nostris rationibus recedat. Ille enim in oratione chronologica anno 1605. Heidelbergæ habita, chronologiæ sacræ synopsin proponens, suam hac de re sententiam de horum 430. annorum principio hunc in modum explicat: "Chronologi uno prope consensu id numerant ab egressu Abrahami ex Harane cum esset annorum 75. Hoc vero cum loco apostoli[y] stare non potest: ubi expresse dicitur διαθήκην προκεκυρωμένην, pactionem cum Abrahamo sancitam esse ante legem latam annis 430. Atqui incipiendo ab egressu ex Haran, lex non 430. sed 440. annis post fœdus confirmatum lata fuisset: quia egressus ab Haran fœderis confirmationem decennio antecessit. Testante enim Mose, fœdus cum Abrahamo pepigit, et fœderali ritu confirmavit Deus, non in egressu ex Haran, anno ætatis 75. sed decennio post, anno ætatis ejus 85. Sic enim ibi expresse Moses: *Illo*[z] *die pepigit Jehova fœdus cum Abrahamo, dicendo: Semini tuo dabo terram hanc, &c.* Neque ante id tempus, ulla fœderis initi aut confirmati cum Abrahamo, legitur facta mentio." Indeque 430. hosce annos inchoandos esse concludit ab oraculo illo de semine per annos 400. in terra altera peregrinaturo, et pactione cum Abrahamo solemni ritu sectionis hostiarum, הבתרים Hebræi, διχοτομήματα Græci appellant, confirmata, Geneseos capite XV.

Et ne solus hic incedere putaretur, in chronologicæ

[x] Cap. 1.
[y] Galat. cap. 3. ver. 17.
[z] Gen. cap. 15. ver. 19.

hujus synopseos defensione, ex Paulo Fagio, R. Salomonem, sententiæ suæ testem advocat. Et quidem non solius R. Salomonis[a], sed communis fere cæterorum Hebræorum est opinio, ab eo tempore 430. annorum initium esse capiendum, quo inter dissectas hostias Abrahamo Deus est locutus: sic tamen, ut quinquennio ante, non decennio post Abrahami ex Charane profectione id factum fuisse simul existiment: quemadmodum ex Chaldaica paraphrasi, quæ Jonathani tribuitur, in Exodi cap. XII. ver. 40. Seder Olam Rabba cap. 1. et initio Cabbalæ historicæ R. Abrahæ Levitæ, inter se collatis, intelligere licet. Etsi enim post relictam ab Abrahamo Urem Chaldæorum, visionem hanc ipsi fuisse exhibitam, verba illa Dei satis indicent: "Ego[b] sum Dominus qui eduxi te de Ure Chaldæorum:" ibidem tamen colloquium hoc cum patriarcha fuisse habitum, quum septuagenarius inde evocaretur, Judæi somniant. In temporum quodam canonio, Nicephori[c] Constantinopolitani patriarchæ chronographiæ temere inserto, "ἀπὸ τῶν διχοτομημάτων ἕως τοῦ τέλους Ἀβραὰμ ἔτη οϛ'. a victimis dimidiatis usque ad finem Abrahami annos 76." numerat*os* invenio. Unde est consequens ex hujus quidem chronologi, non magnæ sane authoritatis, sententia, ab Abrahami obitu ducendum esse 430. istorum initium; facta vero fuisse διχοτομήματα, quum annorum ille 99. fuisset, quo tempore fœdus cum Abrahamo fuisse instauratum, et instituto circumcisionis sacramento obsignatum, ex Scriptura constat[d]. Unde et in 99. isto Abrahami anno, Henricus Swyetzerus, verbi divini in agro Tigurino minister, 430. nostrorum annorum caput constituisse dicitur.

Sed et hunc, et Pareum pariter duo ista in errorem induxerunt. I. Quod ad fœdus, cum Abrahamo vel initum vel confirmatum, tantum respexerint, nulla initii peregrinationis ipsius ratione habita; quod utique in anno illius 85. vel 99. frustra ab ipsis fuisset quæsitum. At non a

[a] In Exod. cap. 12. [b] Gen. cap. 15. ver. 7.
[c] Edit. Græc. Jos. Scaligeri, pag. 309. et Græco-Latin. Jac. Goar. pag. 404.
[d] Genes. cap. 17. ver. 1, 2. 10.

fœdere aliquo, sed a cœpta Hebræorum peregrinatione, vel habitatione in terra non sua, horum annorum epocham deducendam fuisse Moses significaverat: cum qua fœdus[e] quoque conjunctum fuerat, ab illo etiam usque ad legislationem per legitimam consequentiam annos 430. effluxisse Paulus intulit[f]. II. Quod "διαθήκην et ἐπαγγελίαν, fœdus et promissionem" a se invicem illi distinxerint: quum unam et eandem rem, utroque illo nomine fuisse significatam, ex Psal. CV. ver. 8, 9, 10, 11. et aliis Scripturæ locis manifestum est. Ut minus considerate a D. Pareo illud urgeatur: nullam fœderis initi et confirmati cum Abrahamo legi factam mentionem, ante illam: "Illo[g] die pepigit Jehova fœdus cum Abrahamo, dicendo: Semini tuo dabo terram hanc." Quid enim aliud fuit fœdus illud quam promissio? et quidem promissio, jam ante[h] iisdem verbis edita? "Semini tuo dabo terram hanc;" et quid amplius quærimus cum in loco illo[i] cui D. Parei argumentum est superstructum, "διαθήκην προκεκυρωμένην ἀκυροῦν, fœdus prius sancitum facere irritum," per "τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν, vacuam reddere promissionem," ab ipso apostolo explicatum videamus. De quo consulantur, quæ ad eum locum in præcedente pluribus disseruimus. Ut illud præterea non urgeamus, quo fundamentum totius argumenti ex Paulo deducti Pawellus subruisse se existimat, Geneseos XV. "per totum caput, inter Deum et Abrahamum tantum tractatum fuisse de successore in temporalibus, qui a suo semine illi promittitur, cum spe successionis, vel possessionis totius istius regionis. De promissione evangelii, et de semine benedicto, ne jota quidem in eo capite toto reperiri."

Tigurini vero ministri sententia Pareanam in eo longe superat, quod certum principium in anno Abrahami 99. a Scriptura determinatum habeat, unde 430. annorum supputatio deduci queat: quum definitus annus fœderis cum

[e] Gen. cap. 12.
[f] Galat. cap. 3. ver. 17.
[g] Gen. cap. 15. ver. 18.
[h] Gen. cap. 12. ver. 7.
[i] Galat. cap. 3. ver. 17.

Abrahamo per dissectas victimas sanciti, ex sacris literis nulla ratione possit elici. In oratione quidem sua Pareus mira quadam confidentia, "Mosem id expresse prodidisse" asserit, verbis illis: "In[k] fine decem annorum, ex quo habitare cœperat Abraham in terra Chanaan." Et quasi res extra omnem controversiæ aleam esset posita, subdit etiam; "hoc decennium ab omnibus chronologis, quasi vero dicis causa scriptum esset, secure esse præteritum, manifesto errore." Quum nihil tamen possit esse manifestius, quam a Mose historiæ, de Hagara ancilla a Sara Abrahamo in uxorem tradita, hanc temporis notam esse appositam, non illi de fœdere cum Abrahamo a Deo inito, quæ in capitulo præcedenti explicata fuerat. Nam quod in defensione sua ait Pareus, "immediate cohærere illa duo capita," nimis leve est. Hoc enim modo, ut inquit in Elencho Scaliger, Joseph patriarcha fuerit annorum 30. Geneseos XL. quia capite XLI. ver. 46. totidem annorum est. Illud vero probandum fuerat, capita ista duo temporum ordine ἀμέσως cohærere: quod tantum abest ut probari possit, ut ex eorum collatione poterat potius contrarium. In capite enim XV. promiserat Abrahamo Deus, filium eum esse geniturum qui ipsi futurus esset hæres; et multiplicandum esse semen ipsius, sicut stellas cœli. Crediditque Abraham Deo; et imputatum est ei ad justitiam. "Ideo procul dubio," inquit in responsione ad D. Pareum Sethus Calvisius, "ne videretur in Deum peccare et promissioni diffidere, expectavit annum unum vel alterum, vel etiam plures, an fortassis ex conjuge Sarai filium suscipere posset. Cum textus post illam promissionem expresse dicat Saram, quum videret se a Domino conclusam esse ne pareret, tum demum quæsivisse concinnam interpretationem sive διάνοιαν promissionis illius de prole futura, et ut susciperet Abraham liberos, dedisse ipsi ancillam in uxorem." Eodem ipso certe anno, quo de seminis multiplicatione promissionem accepit, Abrahamum ad ancillam se recepisse, non est credibile. Nec quicquam rem juvat, quod

[k] Genes. cap. 16. ver. 3.

in defensione profert Pareus; ante scivisse Abrahamum, Saram fuisse sterilem. Nam, ut recte Johannes Bohemus[m] reponit, ex divina illa promissione, externo ritu confirmata, et id scire Abraham potuit, Deum istam Saræ *νέκρωσιν τῆς μήτρας*, omnipotenti modo vividam reddere potuisse. Et de Pareana quidem sententia hactenus.

Ab eo tempore quo Abrahamo, 100. annorum existenti, natus est Isaac, annos 430. supputat R. Chananiel[n]: ut refert R. Bechai, in eundem locum, et Abarbinel, in locis a R. Azaria citatis[o]. Et quia ab eo tempore 400. anni peregrinationi seminis Abrahæ a Deo leguntur attributi[p], annos 30. additos iis postea fuisse, Gerundensis et Abarbinel[q] existimant, ob Israelitarum in Ægypto peccatum; uti etiam in deserto detenti iidem fuerunt, propter exploratorum iniquitatem. Licet aliter quoque minorem illum numerum sub majore comprehendi potuisse, Procopius Gazæus significet; ad verba illa, Genes. cap. XV. ita annotans: "Non pugnat hic locus cum eo quem in libro Exodi habemus; ubi dicitur post 430. annos populum Hebræum egressum fuisse ex Ægypto. Non enim hoc loco dicitur, statim decursis expletisque 400. annis, Judæos ex Ægypto egressuros; sed simpliciter traditur, eos post annos 400. egressuros esse, quibus verbis reliqui etiam 30. anni comprehendi possunt." Quod clarius nostro tempore Gulielmus Langius[r], (a nativitate Isaaci annorum 430. exordium deducendum esse contendens) proponit dicendo, "Annos quadringentos numeravisse Deum, non exacte, sed sicut historici solent, numero rotundo usum." Hic enim, cum Rabbinis illis, a nativitate Isaaci annorum 430. epocham deducens, eorumque finem, non autem initium, cum iisdem et Grotio, in Ægypto actum fuisse statuens; orationem Exod. cap. XII. ver. 40. ellipticam esse vult, atque

[m] Joh. Bohem. chronolog. lib. 2. tit. 2. cap. 7.
[n] R. Moses Gerundensis in Exod. cap. 12. ver. 40.
[o] In Meor enajim, cap. 35.
[p] Genes. cap. 15. ver. 13.
[q] In Exod. cap. 10.
[r] Libro 2. de annis Christi, cap. 10.

ita supplendam: "Habitatio filiorum Israel, qua habitarunt in Ægypto, fuit עד" usque ad annum 430.

Et si quidem in loci illius Geneseos codicibus aliquibus, sicut in alterius inde traducti Act. cap. VII. ver. 6. rarioribus quibusdam Latinæ editionis exemplaribus, anni 430. pro 400. scripti reperirentur: ellipsis ista (quam in Scripturis frequentissimam esse, juvenis ille eruditus nimis facile sibi persuaderi est passus) aliquo hic modo ferri potuisset. Verum quum ibi, et in textu Hebræo, atque Samaritico, et in antiquis omnibus versionibus, Græca, Latina, Chaldaica, Syriaca, Illyrica, Persica, Arabica, tricenarii illius numeri nullum compareat vestigium: neque numeri rotundatio, neque de mutato postea Dei consilio Rabinicum illud commentum efficere valet, ut 430. anni in Exodi ἀναφορικῶς interpretationem suam mutuari debeant ex annis illis 400. in Genesi. Deinde quum Isaaci nativitas nullam divinam promissionem conjunctam secum attulerit: quomodo cum Pauli explicatione[u], annos hos 430. a promissione Abrahamo de Christo facta dinumerantis, interpretatio ista conveniat? Respondet Langius, "Fœdus a Deo confirmatum esse in Christum," juxta apostoli sententiam, cum Isaac natus est, de quo scriptum est: "In Isaac vocabitur tibi semen:" hoc est, (ut ille exponit) "Quamvis multi alii tibi filii sint, per quos semen tuum multiplicabitur; tamen nobilissimum illud semen, in quo omnes generationes terræ benedicentur, non ab alio quam Isaaco proveniet." Indeque concludit: "Quando Isaac diu et maximo desiderio expectatus in lucem prodiit, pactum et promissionem Dei confirmata fuisse." Sed, præterquam quod ab ipsa promissione Abrahamo facta, non a promissionis confirmatione, numerationem suam instituisse apostolum, jam ante ostenderimus: ut Isaaci aut Jacobi, a quo Christus oriturus erat, ipsa nuda nativitas, pro confirmatione promissionis de benedicendis in Christo gentibus, fuerit habenda, nullam omnino veri præ se fert similitudinem. A Judæorum vero illorum sententia, qui propter peccata filiorum supra annos 400. additos

[u] Galat. cap. 3. ver. 17.

fuisse 30. sunt opinati, tam alienum se fuisse ostendit Chaldæus paraphrastes in Cantic. cap. II. ver. 8. ut propter merita patrum et justitias matrum annos 190. illis detractos fuisse dixerit; peregrinationi Ægyptiacæ, cum vulgo Hebræorum, annos 210. tribuens.

CAP. X.

Annorum 430. peregrinationis Hebræorum, in duas æquales partes distributio; et 215. in Chananæa a patriarchis peractorum declaratio: in qua Jacobi et posterorum ejus tempora, usque ad descensum in Ægyptum describuntur; et Benjaminem cum decem filiis, Judam cum duobus nepotibus Hesrone et Hamule eo simul descendisse, ostenditur.

Ex tot sententiis de initio 430. annorum peregrinationis Hebræorum, a nobis hactenus productis, ut verissima, ita et communissima ea est, quæ ab exitu anni 75. Abrahami illud arcessit. De quo in chronico suo Georgius Syncellus[a]: "Ἡ τῶν υλ'. ἐτῶν ἀπαρίθμησις τῆς ἐν γῇ Χαναὰν παροικίας τοῦ Ἰσραήλ, (ubi nota, sub Israelis nomine ab ipso quoque Georgio comprehendi et Abrahamum et Isaacum) καὶ ἐν Αἰγύπτῳ κατὰ τὴν πρὸς Ἀβραὰμ τοῦ Θεοῦ πρόρρησιν, κατὰ τοὺς πάντας ἑρμηνεύσαντας καὶ ἱστορικοὺς, ἀπὸ τῶν ε'. καὶ ο'. ἔτους ἀριθμεῖται. Supputatio 430. annorum peregrinationis Israelis in terra Chanaanis et in Ægypto, juxta prædictionem Dei Abrahamo factam, communi cum interpretum tum historicorum suffragio, a 75. Abrahami anno ducit exordium." Et Josephus Scaliger: "Quia[b] a descensu Kahath vix dimidium annorum 430. colligi potest, propterea vetustissimi Judæi, tam ante quam post Christum, item Paulus apostolus ad Galatas, Josephus, interpretes Christiani, omnes uno ore, ab anno promissionis, qui est septuagesimus quintus Abrahami, illos 430. annos ordiuntur. Adversus tot sententias aliter pronunciare, id fuerit, ut Lyricus dicebat, ὁμόσε χωρεῖν τῷ χρόνῳ, cum rationibus temporis manum conserere: ne addam, hoc facto verbum divinum contumeliæ exponi, et libidini furiosorum, stolidorum, impudentissimorum interpretum vex-

[a] Pag. 114.

[b] Canon. Isagog. lib. 3. part. 2. cap. 2.

andum objici. Quare contenti simus hac simplicissima interpretatione, quæ authoritate, non demonstratione nititur. Qui negant Paulum apostolum in illo celebri ad Galatas loco, initium annorum 430. ab anno promissionis deducere, ne, quo digni sunt, audiant, fruantur suo sensu, *εἰ[c] δέ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδε αἱ ἐκκλησίαι τοῦ θεοῦ.*"

Pari quoque consensu, non Eusebius solum et alii Christiani chronographi, sed etiam Josephus Judæus, et ex exteris ante Christi tempora Demetrius, eumque secutus Alexander Polyhistor[d], horum 430. annorum spatium in duo æqualia partiuntur intervalla: prioribus 215. annis, peregrinationi Hebræorum in terra Chanaanis, simul etiam comprehensa breviore illa Abrahami in Ægypto mora, posterioribus 215. peregrinationi eorum in terra Ægypti assignatis. Josephi, de egressu ipsorum ex Ægypto agentis, verba sunt ista: "*Κατέλιπον[e] δὲ τὴν Αἴγυπτον μηνὶ ξανθικῷ, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην, μετὰ ἔτη τριάκοντα καὶ τετρακόσια ἢ τὸν πρόγονον ἡμῶν Ἀβραμον εἰς τὴν Χαναναίαν ἐλθεῖν· τῆς δὲ Ἰακώβου μεταναστάσεως εἰς τὴν Αἴγυπτον γενομένης, διακοσίοις πρὸς τοῖς δεκάπεντε ἐνιαυτοῖς ὕστερον.* Reliquerunt Ægyptum mense Xanthico, luna quintadecima, annis quadringentis et triginta postquam sator noster Abrahamus in Chananæam venit: post migrationem vero Jacobi in Ægyptum annis ducentis et quindecim."

Alexander vero Polyhistor, ex Demetrio refert: "*ἀφ' οὗ ἐκλεγῆναι Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐλθεῖν ἐκ Χαρρὰν εἰς Χαναὰν, ἕως ἂν εἰς Αἴγυπτον τοὺς περὶ Ἰακὼβ ἐλθεῖν. ἔτη σιε'.* Ex quo electus est e gentibus Abraham, et ex Charan in Chanaanem venit, usque ad Jacobi in Ægyptum adventum, annos fuisse 215." Annis deinde 17. post Jacobi adventum in Ægyptum, Levin genuisse Caathum, Caathum quum esset 40. annorum genuisse Amramum, Amramum quum 78. esset annorum genuisse Mosem. Qui *παιδογονίας* anni, licet pro libitu excogitati, ut legitimi

[c] 1 Corinth. cap. 11. ver. 16.

[d] In libro de Judæis, ab Eusebio in libro 9. præparationis evangelicæ citato.

[e] Joseph. antiqu. lib. 2. cap. 6.

admitti non debeant, additi tamen annis 80. quos tempore exodi Mosem egisse Scriptura indicat[e], numerum 215. annorum complent; quem Hebræorum commorationi in Ægypto fuisse tributum, non est dubium. A Demetrio, inquam: non, uti Johannes Morinus[f] et Nicolaus Abramus putarunt, Phalereo illo, qui sub secundo Ptolemæo cum Septuaginta divinæ legis interpretibus est conversatus; sed juniore altero, quem Ptolemæi quarti in scripto suo meminisse docuit nos, in primo Stromatum suorum libro, Alexandrinus Clemens.

Prioris vero 215. annorum summæ, a Demetrio commemoratæ, partes singulares diserte in Scriptura habentur explicatæ. Quum enim 75. annorum fuerit Abraham quum ex Charane in Chananæam est profectus[g], et 100. quum natus est ei Isaac[h]; colliguntur

A profectione Abrahami in terram Chananæam usque ad nativitatem Isaaci, anni	25
A nativitate Isaaci, usque ad nativitatem Jacobi[i],	60
A nativitate Jacobi, usque ad descensum ipsius cum tota familia in Ægyptum[k],	130
Summa	215

Jacobi filius Josephus, 30. erat annorum, quum Pharaonis somnium exponens, septem primum annos saturitatis, ac totidem deinde famis instare prædixit[l]. Ineunte vero anno famis tertio, Jacob cum familia sua descendit in Ægyptum[m]: quum filius Josephus jam esset annorum 39. ut ab Augustino[n] etiam est notatum. Quibus 39. ab annis, quos tunc agebat pater, 130. deductis, relinquuntur 91. quot annorum Jacobum esse oportebat, quando ei natus est Josephus. In lucem autem editus est Josephus, quum finiti essent anni illi 14. quibus Jacobus avunculo

[e] Exod. cap. 7. ver. 7.
[f] Joh. Morin. exercit. bibl. N. Abram. in append. lib. 9. Phari et V. Test.
[g] Gen. cap. 12. ver. 4.
[h] Ibid. cap. 21. ver. 5.
[i] Gen. cap. 15. ver. 26.
[k] Ibid. cap. 47. ver. 9
[l] Genes. cap. 41. ver. 46.
[m] Cap. 45. ver. 6.
[n] In libro 16. de civitate Dei cap. 40.

suo Labani servivit pro duabus suis uxoribus[o]. Quos ipsos 14. annos si a 91. iterum subduxeris, manebunt 77. quæ Jacobi ætas erat, quum in Mesopotamiam veniens, Labani servire cœpit; ductis in ipso servitutis initio, duabus illius filiabus, Lea et Rachela: quemadmodum in annalibus nostris, ad annum mundi 2245. est ostensum. Neque aliud certe innuunt verba illa[p]: "Ita servivit Jacob pro Rachela septem annos; qui visi sunt in oculis ejus tanquam dies paucissimi, propterea quod amabat eam." Inde enim (ut a Lydiato nostro in Adversariis suis est notatum) apparet, "Eum potitum esse amata: alioquin enim visi essent plures non pauciores. Nam desiderium facit ut quæ revera sunt momentanea, videantur diuturna: quemadmodum apud nos quoque vulgari proverbio dicitur, iis qui alicujus rei desiderio tenentur, unumquemque diem videri annum, donec potiantur." Et Prov. cap. XIII. ver. 12. "Spes protracta ægrum efficit animum;" ideoque quod in commate 21. statim sequitur, "Et dixit Labani Jacob, Da mihi uxorem meam;" per conjunctionem causalem et verbum temporis plusquam perfecti (quo Hebræi carent) rectius exprimeretur: "Dixerat enim Labani Jacob, Da mihi uxorem meam;" ut ostenderetur quo pacto, jam inde a servitutis initio, Jacobus Lea simul et Rachela potitus fuerit: quod in subsequente historia plenius explicatur.

Datam vero fuisse Jacobo utramque uxorem, quum restaret adhuc peragendum septennium servitutis alterum, consentiunt omnes fere interpretes: illud commatis 27. "Imple hebdomadem hujus," cum Hieronymo in traditionibus Hebraicis et Augustino, quæstione 89. in Genesim, de septem diebus nuptialis convivii interpretantes. Sed in prioris itidem septennii exordio æque id fieri potuisse, minus advertentes, in unius septennii spatium duodecim liberorum Jacobi natalia conjicere coacti sunt, quum ipsa Lea continuatis partubus Rubenem, Simeonem, Levin et Judam, enixa fuerit: et quum parere desiisset, Rachelæ sororis exemplo incitata Zelpham ancillam marito substi-

[o] Gen. cap. 30. ver. 25, 26.

[p] Ibid. cap. 29. ver. 20.

tuerit; quæ Gadem primo, et, sequente anno, Asherem illi peperit; ipsaque iterum Lea, Issacharem primum, deinde Zabulonem, ac postremo Dinam filiam pepererit. Quas novem conceptiones et partus, si non alio quam 40. dierum puerperii, ex more[q], interposito intervallo, sese invicem subsecuti, et novem mensium solarium spatio, unumquemque fœtum in utero materno gestatum fuisse posuerimus; ipsum septennium, tot liberis in lucem producendis, non suffecturum deprehendemus. Ac Scriptura, præter Josephum ultimo in loco a Rachela in lucem editum, Danem quoque et Naphtalin, ex ancilla ipsius Bala prius susceptos, commemorat. Quibus Jacobus Salianus, (nihil necesse esse putabat ad septimestres partus, cum chronico Hebræorum et Genebrardo, hic confugere) ut locum commodum invenire posset, jam tum, quum Lea gravida incederet, ancillam ipsius Zelpham ad Jacobi lectum denuo admissam, indeque Asherem ancillæ, post Issacharem dominæ filium, natum fuisse statuit: quemadmodum in ejus schemate nativitatis patriarcharum, anno mundi 2283. subjecto, videre licet. Quod incommodum Dionysius Petavius ut evitaret, et ordinem natalium patriarcharum in historia præmonstratum, conservaret; paulo post admissam secundo Zelpham, ipsam quoque Leam concepisse vult: indeque, "anno[r] 13. servitutis natum fuisse ex Zelpha Asher; e Lea vero Issachar ineunte anno, et exeunte Zabulon." Verum sacra historia natalium non ordinem solum, sed interstitium quoque simul nobis exhibet. Quis enim dubitet, si Lea eodem ferme quo Zelpha tempore partui fuisset vicina, quin suo potius, quam ancillæ filio, Asheris nomen indidisset? Dicebat enim: "Beate est mihi, nam beatam prædicabunt mulieres:" ideoque vocavit nomen ejus Asher[s]: et interposita inter natum Asherem et conceptum Zabulonem, de mandragoris a Rubene primogenito in agro inventis et ad Leam allatis, narratio, non modo interstitium jam dictum confirmat, sed etiam grandioris tum

[q] Levitic. cap. 12. ver. 2. 4.

[r] Petav. doct. temp. lib. 9. cap. 19. et lib. 13. ad ann. mundi 2927.

[s] Gen. cap. 30. ver. 13.

Rubenem ætatis fuisse evincit, quam Petavianæ rationes eum fuisse patiantur; quæ annorum tantum trium cum dimidio eum constituunt, quum abiens in agrum, flores illos colligeret.

A nativitate Josephi usque ad Jacobi reditum in Chananæam, anni fuerunt sex, in quibus Labani ille servivit pro mercede[t]. A Jacobi in Chananæam adventu usque ad ortas inter Josephum, annorum[u] septemdecim existentem, et fratres inimicitias, anni fuerunt undecim, atque inde usque ad Jacobi et suorum in Ægyptum descensum, quando annorum 39. fuisse Josephum est ostensum, anni 22. Quo tempore cum Benjamin decem filiorum fuerit pater[x]; etiamsi eorum aliquos gemellos fuisse ponamus, polygamiæ enim suspicionem ætatis ejus ratio vix admiserit, plurium tamen quam 22. annorum eum tum fuisse oportuit, et quinquennio circiter, ante medii intervalli finem in lucem editum; quum Jacobus pater 104. fuisset annorum, frater Josephus 13. Ante nativitatem Benjaminis, raptus Dinæ et Sichimitarum cædes accidit[y]; eamque mox secuta Jacobi in Bethele habitatio[z]; quam Hebræi, in Seder Olam Rabba[a], sex tantum mensium fuisse dicunt. Neque diuturnam hic moram, hinc nativitas Benjaminis, illinc Simeonis et Levi ætas, ad perpetrandam Sichimitarum cædem idonea, facile est admissura. In apocrypho duodecim patriarcharum testamento, Levi se quasi annorum viginti fuisse ait, quando cum fratre Simeone Sichimitas cæcidit. Alexander Polyhistor ex Demetrio[b], eumque Petavius et Salianus secuti, Levin tunc annorum 20. cum dimidio, Simeonem annorum 21. mensium 4. fuisse volunt. Quæ ætas ad tam audax facinus aggrediendum minus videtur fuisse idonea. Sed hi, integro licet decennio post Jacobi in Chananæam reditum, Sichimitarum cædem peractam statuant, fratrum tamen natalia in secundum servitutis septennium conjiciunt: quum ex nostra sententia, horum natalia ad primum referente, Sichimitarum cædem sexennio post Jacobi re-

[t] Gen. cap. 31. ver. 41.
[u] Ibid. cap. 37. ver. 2.
[x] Gen. cap. 46. ver. 21.
[y] Ibid. cap. 34.
[z] Gen. cap. 35. ver. 1. 16.
[a] Cap. 2.
[b] Apud Euseb. lib. 9. Præparat. evang.

ditum factam supponente, a Levi annum ætatis 24. et Simeone annum 25. agente, cædem illam fuisse peractam consequatur.

Porro eorum, qui cum Jacobo descenderunt in Ægyptum, numerus a Mose[c] ita habetur explicatus: "Omnes animæ quæ ingressæ sunt cum Jacobo in Ægyptum, egressi e femore ejus, præter uxores filiorum Jacobi, omnes animæ sexaginta sex erant. Filii autem Josephi qui editi sunt ei in Ægypto, sunt animæ duæ: sic omnes animæ domus Jacobi, quæ venit in Ægyptum, sunt septuaginta." De quo Hieronymus, in traditionibus Hebraicis in Genesin: "Manifestum est, omnes animas, quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta: dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, et repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus; septuagesimus autem ipse fuerit Jacob." Sed cum scripsisset Moses, Josephum "vidisse Ephraimi filios usque ad tertiam generationem, et filios Machiris filii Manassis, in genibus suis suscepisse," cap. L. ver. 23. editionis vulgatæ Græcæ, quæ Septuaginta interpretibus tribuitur, authori placuit ista hujus XLVI. capitis Geneseos commati 20. adjicere: "Fuerunt autem filii Manassis, quos ei peperit concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manassis, Suthalaam et Taam. Filii autem Suthalaam, Edom;" et quinque hisce catalogo Mosaico additis, commate 27. concludere, "Omnes animas, quæ cum Jacob ingressæ sunt in Ægyptum, fuisse septuaginta quinque."

Quandoquidem vero quinque isti superadditi in rerum natura "nullo modo esse potuerunt, quando Jacob in Ægyptum venit, et filios Joseph, nepotes suos, avos istorum, minores quam novem annorum pueros invenit:" Augustinus[d] vera Scripturæ verba ista fuisse existimans, ad violentam illam expositionem hic se recipere est coactus: "Introitum Jacob in Ægyptum, quando eum in septuaginta quinque hominibus Scriptura commemorat, non

[c] Gen. cap. 46. ver. 26, 27.

[d] Lib. 16. de Civit. Dei, cap. 40.

unum diem vel unum annum, sed totum illud esse tempus, quandiu vixit Joseph per quem factum est ut intrarent." Quum tamen ob alias quasdam difficultates occurrentes, ad ipsam quoque Hebraicam veritatem, eamque hic secutam editionem vulgatam Latinam, accommodandam censuerunt, Abulensis, Pererius, Delrius, Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Menochius, Tirinus[e], Salianus, ad annum mundi 2329. numerum 11. et alii: ex ipsis illis 70. a Mose in textu originali commemoratis, eo quo in Ægyptum descendit Jacobus tempore, nondum natos fuisse defendentes. Quorum sententiam diligenter expendit et refellit Torniellus, ad annum mundi 2329. a numero 4. ad 8.

Verum alios hic omnes Nicolaus Abrahamus[f] longe superat. Illa enim commatis 8. verba; "Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum," non de 70. aliis Jacobi posteris, sed de filiis proprie dictis intelligenda esse asserit. "Qui autem," inquit, "e filiis ejus propagati recensentur, non ideo nominantur, quod jam nati fuerint, et cum Jacobo in Ægyptum descenderint, neque enim uspiam id Scriptura dicit: sed occasione filiorum commemorantur præcipui quique, qui partim cum ipso venerunt, partim post ejus descensum nati sapientiæ laude rerumque gestarum gloria, præ cæteris florucrunt." Atque in hoc commento adeo ille sibi placet, ut sic demum rem concludat: "Hic explicandi modus, si alium, præter me, authorem haberet, cæteris anteponendus videretur: quod nullam vim adferat Scripturæ, nec aliter verba sumat, quam ut pure sonant, quod potissimum in historia sacra spectandum est, et omnes difficultates evolvat, quibus intricantur ii, qui aliam ineunt rationem." Præclare sane: quum illud ipsum, in quo primarius difficultatis nodus consistit, omnino non attingat: qua ratione septuagenarius animarum in Ægyptum intrantium numerus salvari possit, si plures vel pauciores eo ingressæ fuisse dicantur. Septuagenarius enim ille

[e] In Gen. cap. 46.

[f] Abram. in Pharo Veter. Testam. lib. 9. cap. 27.

numerus in tribus diversis locis a Mose diserte legitur expressus.

Eorum primus ille est, quem jam produximus: "Omnes[g] animæ domus Jacobi, quæ venit in Ægyptum, sunt septuaginta." Secundus habetur in ipso libri Exodi initio: "Hæc sunt nomina filiorum Israelis qui venerunt in Ægyptum: venerunt autem cum Jacobo, quisque cum domibus (vel familiis) suis;" tum, recensitis Jacobi filiis proprie dictis, in commate quinto subjicitur: "Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacobi septuaginta." Tertius ille est: "In[h] septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum: et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli." Ex quo videre licet, eos qui certum et definitum Israelitarum numerum, reipsa in Ægyptum descendentium, in septuagenario isto calculo nolunt agnoscere, non modo vim Scripturæ verbis inferre, sed etiam ipsum Mosis scopum plane evertere; qui non alius erat, quam ut, ex quam paucis in Ægyptum descendentibus, quam multi deinceps orti fuerint, dilucidius intelligeretur: juxta illam confessionis formulam, primitias offerentibus a Deo præscriptam, "Syrus[i] periens erat pater meus, qui descendit in Ægyptum hominibus paucis, ut peregrinaretur illic; evasit autem illic in gentem magnam, robustam, et amplam."

Ex tribus vero exemplis, quibus Nicolaus cum aliis adstruere est conatus, aliquos ex 70. illis a Mose commemoratis, nondum fuisse natos, quum Jacob in Ægyptum descenderet, (Er enim et Onan in Chananæa pridem mortui, et Josephi nepotes quinque, in Græca editione superadditi, ad numerum hunc septuagenarium non pertinent) primum a numero filiorum Rubenis est petitum quod ab illo sic urgetur: "Ruben duos tantum liberos ante migrationem susceperat, ut probat Salianus ex illis Rubeni verbis: Duos[k] filios meos interfice, si non reduxero illum tibi; qui si jam plures liberos sustulisset, non dixisset, duos filios meos, sed, duos e filiis meis interfice.

[g] Gen. cap. 46. ver. 27.
[h] Deuteronom. cap. 10. ver. 22.
[i] Deuter. cap. 26. ver. 5.
[k] Genes. cap. 42. ver. 37.

Ejus tamen filii quatuor[l], in Jacobi familia numerantur." Resp. Non probat hoc Salianus, sed[m] ut suspicionem proponit, paraphrasi illa Philonis, in libro de Joseph, suffultam: "Εἰς ὁμηρείαν σοὶ δύο υἱοὺς δίδωμι, οὓς καὶ μόνους ἐγέννησα, τούτους ἀπόκτεινον. Do tibi duos filios obsides; quos solos genui: hos interfice, nisi, &c." Simul tamen monet, Abulensem contendere quatuor illos jam tum fuisse genitos; et duos Rubenem dixisse filios, ut eos uni opponeret: "Et forte satius est ita dici; ne difficultates hoc loco sine necessitate augeamus:" inquit ipse Salianus. Et verba hunc in modum reddidit Tremellius: "Hos duos filios meos morti tradito:" ac si ex quatuor filiis duos tantum, qui tunc præsentes aderant, pater indicasset.

Secundum exemplum est filiorum Benjaminis; de quo Nicolaus idem. "Benjamin," inquit, "vix ad tertium ac vicesimum ætatis annum pervenerat; jam tamen undecim, (decem volebat dicere,) in ejus familia recensentur, quorum aliquos ejus nepotes fuisse, Septuaginta viri tradiderunt." Sed Benjaminem vix ad 23. ætatis annum tum pervenisse, probari non potest; quum Scripturæ rationes, ut jam vidimus, 27. eo tempore illum fuisse annorum facile patiantur: qua ætate, liberorum decem potuisse illum esse patrem, nihil impedit. Ex his quidem editio vulgata Græca, quæ Septuaginta illis verbis tribuitur, tres tantum immediatos Benjaminis facit filios, e reliquis, sex nepotes, et unum pronepotem constituens. Ita enim ea habet: "Υἱοὶ δὲ Βενιαμὶν, Βαλὰ, &c. Filii autem Benjamin, Bala, et Bochor, et Asbel. Fuerunt autem filii Balæ, Gera, et Noeman, et Anchis, et Rhos et Mamphim, et Ophim;" quod nomen in Romana editione est omissum, "Gera autem genuit Arad." Quæ nepotum hic distinctio, non minus quam quinque Josephi nepotum superadditio, Augustinum ad duriorem illam explicationem confugere compulit: "Quia[n] in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis; et per Joseph

[l] Gen. cap. 46. ver. 9.
[m] Salian. ann. mund. 2329. num. 7.
[n] Augustin. quæst. 173. in Genesin.

cum constat in Ægyptum intrasse: introitus ejus accipiendus est, quandiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. Toto quippe illo tempore nasci et vivere potuerunt omnes qui commemorantur, ut septuaginta quinque animæ compleantur usque ad nepotes Benjamin."

In textu vero Hebraico, sicut etiam in Chaldaicis paraphrasibus Onkelosii et Jonathanis, versione Syra, editione vulgata Latina, et Josepho[o], omnes isti decem ut immediati Benjaminis filii recensentur. Tremellius tamen in notis ad 1 Chronicorum cap. VIII. ver. 1. et Bonfrerius ad Geneseos cap. XLVI. ver. 21. etiam nepotes in filiorum numero promiscue hic recenseri existimant: quod in Numerorum cap. XXVI. ver. 40. Ard et Naaman, et in 1 Chronicorum cap. VIII. ver. 3, 4. Gera et Naaman, filii Belæ esse dicantur. Sed nihil obstat, quominus dici potest tres filios habuisse Belam, patruis suis cognomines. In loco certe Chronicorum, textus Hebræus duos ejusdem nominis habet Geras: textus vero Syrus, duos Geras simul et Naamanes: alteros Benjaminis filios, alteros ejusdem ex filio Bela, vel Bala nepotes.

Tertium exemplum est Hesron et Hamul nepotum Judæ patriarchæ ex filio Phares: "qui cum hoc descensus tempore vix primum annum exegisset ætatis suæ, non possunt filii ejus geniti esse, nisi post viginti circiter annos, nedum ingressi esse Ægyptum cum avo et proavo." Ita Salianus[p]: probationis suæ fundamentum a Geneseos cap. XXXVIII. ver. 1. deducens; ubi "Scripturam aperte docere" asserit, "Judam accepisse uxorem eodem tempore quo Joseph abductus est in Ægyptum." Et cum Augustinus, quæstione 128. in Genesim, difficultati huic emergenti aliquatenus occurreret, dixisset, fortasse Mosem, hic recapitulatione usum, posterius narrasse quæ ante aliquot annos facta essent; admittendam esse hanc *ἀνακεφαλαίωσιν*, ille[q] negat: tum quia Scriptura dixerit id factum "בעת ההוא in tempore ipso," vel *illo* potius, tum quia, si hoc conjugium venditionem antecessisset, nihil

[o] Libro 2. antiquit. cap. 4.

[p] Salian. ad ann. mundi 2329. num. 10.

[q] Salian. ad ann. mundi 2306. num. 45.

erat causæ, cur non etiam ante venditionem narraretur, ne præcipua Josephi historia inutiliter interrumperetur, quod fusius ab Abulensi contra Aben Ezram disputatum esse monet.

Et Aben Ezra quidem, quem multo, sed irrito, conatu Abulensis hic ivit oppugnatum, recapitulationem sive hysterosim hanc non observavit solum, sed etiam exceptionibus adversus eam a Saliano jam allatis studiose simul occurrit. Causam enim intersertæ hoc in loco historiæ reddit istam; ut magis inde elucesceret, quam longe aliter se Josephus gesserit in negotio heri sui, quam frater ipsius Judas hic se gesserit: locutionem autem istam, "in tempore illo," eodem modo in Deuteronom. cap. X. ver. 8. usurpari notat; quomodo et ab aliis est observatum, "in die illo," sine determinata aliqua temporis notatione, sedecies in vetere et novo Testamento esse positum. Hocque ipso in loco, "in tempore illo," non ad illud, quo in Ægyptum venditus est Josephus, sed quo ipse Judas in Chananæam cum patre advenit, referendum esse defendimus. Ex nostra vero hypothesi, primi paternæ servitutis septennii anno quarto natus Judas, ætatis 18. egisset annum, quo tempore in Chananæam primum est ingressus: sub finem videlicet æstatis, exeunte anno mundi, juxta nostras rationes, 2265. Mox ibi uxore ducta Chananitide, in anni 2266. æstate, Erem; in 2267. sub veris exitum, Onanem; et in anno 2268. post veris initium Selam, suscipere ex ea potuisset.

Apparens deinde Jacobo Deus, eandem fœcunditatis benedictionem soboli ejus impertiit, quam antea Noachi filiis communicaverat[r], dicendo: "Cresce[s] et multiplicare, gens et cœtus gentium erit ex te." Unde, ut tunc apud primos orbis renovati instauratores, quemadmodum in quarto operis hujus capitulo a nobis est ostensum, sic et nunc apud Jacobi posteros, ut statim ab ineunte pubertate opera liberis daretur, in usu esse cœptum videatur. Ita sub exitum veris anni 2280. Eri, annum ætatis decimum quintum et pubertatis primum ingresso, similiterque

[r] Gen. cap. 10. ver. 1. 7. [s] Ibid. cap. 35. ver. 11.

sub exitum veris anni 2281. Onani uxorem Thamaram dare pater potuisset. Mox vero Onane ob scelus a Deo morte affecto, edixit Judas Thamaræ nurui suæ, ut tantisper vidua in domo patris maneret, donec Sela tertius filius adolesceret. Quo paulo post initium veris anni 2282. pubertatem assecuto, Judah a morte uxoris sese consolaturus, Thimnam, ad tondendum gregem suum, sub æstatis sequentis initium abiit. Ibi Thamara, soceri mente de filio Sela ipsi non dando satis percepta, scortum se simulans, ex ipso Juda duorum liberorum mater est effecta. Hac ratione sub finem hyemis anni 2283. gemelli illi Phares et Zara in lucem fuerint editi: annis quindecim cum quadrante, prius quam Jacob cum sua familia in Ægyptum descenderet. Ita sub initium anni decimi quinti Pharesi nasci potuit Hesron, sub finem Hamul; vel, si gemelli fuerunt, sub finem ambo; et infantes simul cum patre in Ægyptum ingredi. Qua in re tota cum nihil sit quod vel naturæ vel rationi repugnare deprehendatur; æquo lectori relinquimus judicandum, an non hæc potius admittenda fuerit, quam sententia illa altera, quæ Hesronem et Hamulum, licet longe postea in Ægypto natos, a Mose tamen inter eos qui cum Jacobo descenderunt in Ægyptum numeratos fuisse, statuit?

CAP. XI.

De annis 215. peregrinationis Israelitarum in Ægypto. Argumenta pro diuturniore eorum mora allata solvuntur: in quibus, de B. Iobi et Iobabi Idumæorum regis temporibus, ac Josuæ genealogia agitur. Anni exodi incerti characteres.

A PROFECTIONE Abrahami ex Charane, usque ad Jacobi descensum in Ægyptum, annos 215. peregrinationis Hebræorum in terra Chanaanis effluxisse Scripturæ testimoniis comprobatum est. Quibus ex integræ 430. annorum peregrinationis summa subductis, æqualis 215. annorum relinquitur numerus, Ægyptiacæ ipsorum peregrinationi assignandus. Quo vero tempore in Ægyptum Jacobus descendit, filium ejus Josephum 39. fuisse annorum est ostensum: quos si a totius vitæ 110. annis[a] subtraxeris, supererunt,

A descensu Jacobi in Ægyptum, usque ad mortem Josephi, anni	71
Inde ad Mosis nativitatem usque,	64
A nativitate Mosis usque ad exitum Israelitarum ex Ægypto[b],	80
Summa,	215

Anni 71. et 80. quos ex Scriptura habemus, simul juncti, 151. efficiunt: qui ex 215. totius peregrinationis Ægyptiacæ deducti, 64. relinquunt annos, interstitio, inter Josephi obitum et Mosis ortum, tribuendos. Judæi, quinquennio ante Abrahami profectionem ex Charane 430. annorum initium collocantes, moræ Israelitarum in terra Ægypti, 210. tantum annos tribuunt: quos Chaldaica quæ Jonathani tribuitur paraphrasis cum Hierosolymitana in

[a] Gen. cap. 50. ver. 22. [b] Exod. cap. 7. ver. 7.

Exodi cap. XII. ver. 40. per "תלתין שמטין דשנין triginta sabbata sive hebdomadas annorum" exprimit. Ejus annorum numeri signum in Pirke Eliezer[c], et passim apud Rabbinos est vox "רדו descendite;" qua ad filios usus est Jacobus[d], posterorum suorum in Ægypto moram, annorum 210. quot literæ illæ conficiunt, futuram fuisse innuens; ut notat ad eum locum R. Salomo Jarchi, interpres Talmudicis nugis plus nimio deditus. In Seder Olam Rabbah[e], Job, patientiæ illud exemplar, natus fuisse dicitur, quum Israelitæ descenderunt in Ægyptum, et mortuus quum inde ascenderunt. Et cum post flagella, annos illum 140. exegisse, et quicquid ipsi fuerat duplo Deum auxisse, sit scriptum[f]; ante hæc, annos 70. et in universum, annos 210. quanta fuerit Israelitarum mora in Ægypto, vixisse illum, inde colligitur.

Et quidem in synopsi Athanasiana, passum etiam fuisse Job legimus, cum esset annorum 70. quod etiam ex ipso textu Græco[g] colligitur, ut quidem Romana eum editio nobis exhibet; in qua Job post plagas annos 170. in universum autem annos 240. vixisse dicitur. Cum qua exacte quadrat ille calculus Hesychii, vel quicunque author fuit ineditarum in libros quos Sapientiales vocant Hypothesium; "ὢν ἑβδομήκοντα, ἐπέζησε δὲ μετὰ τὰς πληγὰς ἔτη ρό. ὡς εἶναι πάντα ζωῆς αὐτοῦ ἔτη σμ'. Passus autem est Job, quum esset annorum 70. supervixit vero post plagas, annos 170. ita ut fuerint omnes vitæ ipsius anni 240." quanquam et hujus textus duæ aliæ reperiantur lectiones: rarior una, in B. Hieronymi ex Origenica editione versione: "Vixit autem Iob post plagas centum quadraginta annis:—et omnes anni vitæ ejus fuerunt 248." Cum qua consentit et Græca editio Complutensis, in Bibliis polyglottis, tum Antuerpianis tum Parisiensibus, retenta: priore membro uti in Hebræo inveniebatur expresso; altero, (quod in eo non erat et idcirco præfixo obelo ab Origene notabatur,) penitus præ-

[c] Cap. 48.
[d] Gen. cap. 43. ver. 2.
[e] Cap. 3.
[f] Job. cap. 10. ver. 16.
[g] Job. cap. 42. ver. 16.

termisso. Altera vero communis, et ab omnibus maxime recepta lectio, non in Aldina solum editione, et Germanicis omnibus, sed etiam in antiquissimo Alexandrino, quem in Anglia habemus, codice, reperitur: "Vixit vero Job post plagam annos 170. omnes annos vixit 248." Anni 170. ex 248. deducti, relinquunt 78. quot Jobum, quum primum pateretur, egisse ait author commentariorum in Job, quos Origeni perperam adscriptos Latine vertit Perionius. Annorum 170. quos post passionem Job hic vixisse dicitur, pars dimidiata est 85. Cum igitur Jobo post tentationem duplicia reddita fuisse referantur omnia, in quibus et anni fuerint numerandi, 85. eum fuisse annorum quum certamina finiit, iisque ad 170. quos postea vixit additis, universæ vitæ annorum summam 255. extitisse, Olympiodorus, vel quis alius in Catena ad Job[h], colligit. Quod autem in textu vitæ illius anni 248. tantum commemorantur, eo septem passionis ipsius annos mystice innui asserit; quos in vitæ annis non recensitos arbitratur ille, *διὰ τὴν ἐκ τοῦ πάθους οἱονεὶ νέκρωσιν*, quod ærumnosa vita mors esset potius quam vita existimanda. Neque alia fuit septennii, Jobi calamitatibus tum temere assignari soliti, aut origo aut ratio. De quo vide, si placet, Salianum in anno mundi 2398. numero 1. et 2544. numero 751. 752. ubi in priore loco, nota obiter; non, ut ille opinatur, apud Origenem Perionii 70. pro 78. sed apud Cyrillum Anastasii numerum 78. pro 70. esse reponendum.

Ut igitur de ætate Jobi certius aliquid statuatur, primo ante exitum Israelitarum ex Ægypto, ex ætate Eliphazi Themanitæ sodalis ejus, ostendendum est, non eorum in Ægyptum ingressu, et consequente ipsius Ægyptiacæ peregrinationis tempore, certaminum Jobi historiam contigisse. Et primum, ante legem a Deo Mosi traditam, Jobum extitisse, manifestum esse docet Chrysostomus: "*ἀπὸ τοῦ μακροβιώτατον τοῦτον γεγονέναι, καὶ ὑπὲρ τὰ διακόσια ἔτη βεβιωκέναι· οὐδεὶς γὰρ τῶν μετὰ τὸν νόμον τοσαῦτα ζήσας ἱστόρηται.* Ex eo quod longævam vitam

[h] Cap. 42. ver. 16.

vixerit, et supra ducentesimum annum prorogaverit. Post legem enim qui tandiu vixerit, de nullo memoriæ est proditum." Ætate hominum ordinaria ad 70. vel 80. annos redacta: quemadmodum[i] ipse Moses confirmat. Addunt alii[k], historiam hanc accidisse, antequam insignia Dei miracula, quæ in Exodo scripta sunt, Israelitis exhiberentur et passim celebrarentur: quia alias hæc intra cætera Dei opera, quæ in Jobi libro prædicantur, etiam recenserentur. Præsertim autem Deus ipse nequaquam capite quidem XXXVIII. maris, XL. autem Jordanis, ita mentionem faceret, tanquam inauditum fuerit quod homines super eorum fundo ambulassent. Et quoniam Dominus inquit ad Jobum: "Quis[l] præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagientes, eo quod non habeant cibos?" Haud dubie interrogasset, quis Israelitis quadraginta annos victum præbuit in deserto, nisi historia Job vetustior esset actis Exodi. Neque ulla hic usquam legis, nisi per manus traditæ, mentio: et quæcunque hic veterum historiarum attinguntur, antiquorum sunt temporum. Ex eo quoque hoc eliciunt quod[m] post latam legem nemini licuit alibi, quam coram arca vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari: ideoque Job aut non fecisset contra præscriptum legis sacrificans[n], aut Scriptura non commendasset illius sacrificia, si venisset contra legem.

Porro frater Jacobi Esau, quum esset 40. annorum, uxorem duxit Basmatham, sive Adam filiam Elonis Hittæi, atque ex ea suscepit Eliphazum, patrem Themanis[o]; a quo Eliphaz Themanites, qui cum Jobo est collocutus, duxit originem. Subductis annis 40. Esaui sive Jacobi, gemelli enim fuerant, ab 130. quot Jacobus agebat, quando cum familia sua in Ægyptum est profectus[p]; restant 90. inter primas Esaui nuptias et Israelitarum

[i] Psal. 90. ver. 10.
[k] Codoman. chronolog. lib. 4. cap. 35.
[l] Job, cap. 38. ver. 41.
[m] Tremell. et Jun. in Job, cap. 1. ver. 1.
[n] Job, cap. 1. et cap. 42.
[o] Gen. cap. 26. ver. 34. et cap. 36. ver. 2. 4. 11.
[p] Gen. cap. 47. ver. 9.

descensum in Ægyptum, interpositi. Unde colligere licet, Eliphazum Themanitem, a Themane, Esaui ex filio primogenito Eliphazo nepote oriundum, eodem vixisse tempore quo in Ægypto peregrinati sunt Hebræi: maximeque esse probabile, Jobi, æqualis ipsius, historiam post Josephi mortem, tempore inter Genesin et Exodum interjecto, contigisse; quando ipsis Israelitis ad Ægyptiacorum idolorum cultum deficientibus[q], de universa terra peragrata et sibi subdita Satanæ gloriandi data est occasio[r]. Ipso vero ingressus Israelitarum anno natum fuisse Jobum, et egressus denatum, Judaicum commentum est.

Hæc de ætate Jobi quæstio diligentius a nobis est tractata, quia ex ea Nicolaus Abramus[s] moram Israelitarum in Ægypto neque 210. neque 215. sed 430. fuisse annorum probare nititur: sed hoc satis debili substrato fundamento; quod Job idem fuerit cum Jobab Zaræ filio, secundo Idumæorum rege, cujus meminit Moses in Genesi[t], ubi et Zaram hunc, ex Idumæorum ducibus unum, filium facit Rehuelis, filii Esaui et Basemathæ, sororis Nabajoth, et filiæ Ismaelis[u]. Hanc vero Nabajoth, Nabathæorum patris, sororem Ismaelis filiam, Basematham et Mahalatham dictam, Esauum eo tempore uxorem duxisse idem refert, quo frater Jacobus, accepta patris benedictione, ex Chananæa in Mesopotamiam est profectus[x]: a quo, usque ad Jacobi et familiæ ipsius descensum in Ægyptum, annos decurrisse 53. ostendimus. Unde et sub id tempus Jobabum natum fuisse Nicolaus colligit: quod vix ante annum ab inito matrimonio quinquagesimum, ad pronepotes soleat, ac generationem tertiam perveniri. Considerandumque postea nobis ille proponit, quomodo sex post Jobabum Idumææ reges, alios aliis morte sublatis suffectos, Moses numeraverit; eo præsertim ævo, quo mortales vitam diutius propagabant, et post hanc regum

[q] Josu. cap. 24. ver. 14. Ezechiel. cap. 20. ver. 8.
[r] Job, cap. 1. ver. 7. cap. 2. ver. 11.
[s] Abram. Phar. vet. Testam. lib. 9. cap. 22.
[t] Gen. cap. 36. ver. 33. [u] Comm. 3. 10. 17.
[x] Gen. cap. 28. ver. 6. 9.

seriem duces undecim recensuerit; quos ex 1 Paralipomenωn cap. I. ver. 51. satis constat non sub regibus, sed post eos, reipublicæ gubernacula tenuisse.

At certe anni 215. commorationis Israelitarum in Ægypto, et 40. fere in deserto, tempus suppeditabunt satis amplum, quod et octo illis regibus, qui regnaverunt in Idumæa, "antequam[y] haberent regem filii Israel," id est, ut exponit doctissimus Grotius, priusquam Israelis posteri terram Chananæam ac vicinas sunt adepti, ante quod tempus regem ipsis facere non licuit[z]; et undecim etiam ducibus recipiendis suffecerit: si modo duo ista admittamus; quibus non admissis, ne 430. quidem anni habitationi Israelitarum in Ægypto attributi, illis capiendis essent suffecturi. I. Cum reges istos ex diversis fuisse civitatibus Moses memoret; non jure hæreditario regnum eos obtinuisse, ex quo contingere poterat, ut adolescens regnum adeptus, in longæva illa hominum vita, ad centum annos illo potiretur; sed vel populi suffragiis, vel vi armorum, uti Esauo a patre Isaaco fuerat prædictum[a], "Gladio tuo vives," ad regium fastigium fuisse evectos: at jam ætate seniores, et usu rerum instructi eo pervenientes, non ita diuturnum in imperio tempus necessario exegerint. II. Eos qui sub regibus, singularum provinciarum duces extiterunt, sed supremo illo imperio subditi, sublatis postea regibus iisdem provinciis liberam et ἀνεύπευθυνον potestatem obtinuisse: ita ut undecim illi a Mose memorati duces, non, ut in regibus factum, alii aliis ordine successerint, sed simul omnes et eodem tempore provinciarum suarum administrationem obiisse. Atque hinc Moses, quum in ipso ex Ægypto exitu, ducum Idumææ in cantico suo meminisset[b]; post annos tamen 39. sub regio adhuc imperio Idumæam fuisse indicat[c]; ex quo ulterius colligimus, I. Regem illum, qui Israelitis transitum per terram suam denegavit, fuisse Hadarum, postremum Idumæorum regum a Mose memoratorum. II. Idumæorum erga fratres suos Israelitas inhumanitatem

[y] Gen. cap. 36. ver. 31.
[z] Deuteron. cap. 17. ver. 14.
[a] Gen. cap. 27. ver. 42.
[b] Exod. cap. 15. ver. 15.
[c] Num. cap. 20. ver. 14. Judic. cap. 15. ver. 17.

hanc cito Deum fuisse ultum: eodem anno et rege per mortem, et ipso regno per politiæ mutationem sublato. III. Mosem, anno 40. post exitum ex Ægypto, librum Geneseos vel scribentem vel saltem interpolantem, undecim illorum ducum ex stirpe Esaui ortorum, qui regibus in summo imperio successerunt, nomina recensuisse, "Secundum[d], familias suas et secundum habitationes in terra possessionis suæ;" utpote diversis provinciis in eadem Idumææ regione, eodem tempore, uti dictum est, præfectorum.

Sed hypothetice hic disputat Nicolaus Abramus. Si Jobabus Idumæorum rex idem fuerit cum B. Jobo, quem post tentationes suas 140. annos vixisse Scriptura testatur; intra angustias 215. annorum, moræ Israelitarum in Ægypto et 40. in deserto, non posse contineri quatuor illorum regum tempora, quos Jobabo in regno, ut et illis alios in ducatu, antequam a Mose liber Geneseos conscriberetur, successisse apparet. Quæ consequentia vera si fuerit: non diuturniorem, quam 215. annorum Israelitarum in Ægypto fuisse moram, inde probabitur. Sed falsitas illius hypotheseos, quæ Jobum eundem facit et Jobabum, inde convincetur, quod duo illa argumenta, quibus hypotheseos hujus patroni veritatem ejus ostendere sunt conati, alterum a nominum Jobi et Jobabi similitudine, alterum ab authoritate "appendiculæ," ut loquitur Abramus, "quam Septuaginta seniores libro Job velut laciniam attexuerunt," petitum, jamdudum a Nicolao Lyrano sunt soluta, ad caput primum Jobi ita scribente: "Nec motivum aliorum valet, de similitudine nominis Job et Jobab, quia frequenter contingit duos homines valde diversos non modo simili, verum etiam prorsus eodem appellari nomine. Supponitur etiam falsum, quod prædicta nomina sint valde similia: cum secundum scripturam Hebraicam, sint multum dissimilia. Hoc enim nomen Job, in Hebræo incipit per Aleph, אִיּוֹב, nomen vero Jobab per Jod, יוֹבָב." Deinde, de lacinia illa respondet, quæ in Bibliis Græcis ad finem libri est adjecta, et cujus pars in Latinis,

[d] Gen. cap. 36. ver. 40. 43.

ex Jobo, ab Hieronymo e Græca lingua translato, desumpta, in libri initio, argumenti loco, inter Hieronymi prologos poni solebat: "Similiter additio quæ allegata est non valet: quia, sicut dicit Hieronymus in libro de Hebraicis quæstionibus, non est in Hebræo, et ideo non est ei adhærendum secundum ipsum; dato quod inveniatur aliquando in fine libri Job. Et ex hoc patet, quod si ponatur in fine prologi Hieronymi, non est hoc de intentione sua; sed hæc additio et consimiles, ab aliquibus minus expertis in historiis et genealogiis Hebræorum, appositæ sunt: propter quod de ipsis non est curandum."

Et certe appendiculam hanc esse apocrypham, Cardinalis Bellarminus[e] confirmat. Cui frustra authoritatem ex eo conciliare nititur Abramus; quod "Septuaginta, quæ ad calcem libri Job addiderunt, se non suopte finxisse ingenio, sed de codicibus Syriacis, unde quidam ab ipso Mose librum Job in Hebraicam linguam translatum putant, deprompsisse testentur." Quasi verba illa in calce libri, "Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, Hic interpretatus est ex Syriaco libro," ad sequentem appendiculam referenda essent, et non ad librum ipsum, qui præcesserat: et quasi res esset extra omnem posita plane controversiam; Syriacum hic sermonem distinctum fuisse ab Hebraico, in Græca Catena[f] contrarium observandum inveniamus: "Συριακὴν νῦν, τὴν Ἑβραίων (vel Ἑβραίαν,) διάλεκτον καλεῖ διὰ τὸ γειτνιάζειν ταύτην τῇ τῶν Σύρων, (al. τὴν διάλεκτον τῶν Σύρων τῇ Ἑβραίδι) καὶ εἰκοσιδύο στοιχεῖα ἔχειν, καθάπερ οἱ Ἑβραῖοι· καὶ Συρίαν δὲ τὴν Ἰουδαίαν, καὶ Σύρους οἱ πολλοὶ τοὺς Παλαιστίνους ὀνομάζουσι· Hebraicam dialectum hoc loco Syriacam vocat: quia Syrorum lingua proxime ad eam accedit, et viginti duabus literis Hebræi et Syri pariter utuntur; Judæam etiam Syriam, et Palæstinos plerique Syros appellant." Hæc Olympiodorus, vel quicunque alius in Catena illa: cum quo et author commentariorum

[e] In libro 1. de Verbo Dei, cap. 20.
[f] Caten. in Job, per Patricium Junium, pag. 612.

in Job consentit, quos falso Origenis nomine Latine a se conversos edidit Perionius.

Pro nobis vero faciunt Hebræi, tum antiqui (apud Hieronymum, in epistola ad Evagrium, et traditionibus Hebraicis[g]) tum posteriores omnes, Isaacide (quomodo R. Salomonem Jarchi, ab Isaac uno e majoribus, fuisse cognominatum, a Judæis se didicisse refert Scaliger[h]) uno excepto: de quo Aben Ezra: "גם יובב בן זרח אימו[i] איוב אשר אמה היצחדי המהבול. Etiam Jobab filius Zerach, non est Ijob, quemadmodum dixit Isaacides, vane seu fatue agens." Pro nobis quoque ex Latinis facit Hieronymus, in quæstionibus sive traditionibus in Genesim, cap. XXII. et post eum Philippus presbyter, atque Beda: falso creditus Hieronymus, libri Jobi interpretes; cum Ruperto Tuitiensi[k], Petro Trecensi[l], historiæ scholasticæ authore super librum Genesis, et recentioribus aliis. Neque enim audiendus hic vel Petavius, "Satis[m] exploratum" esse objiciens, "quæ in traditionibus Hebraicis ab Hieronymo memoriæ prodita sunt, magis ex Hebræorum mente, quam ex sententia sua plerumque proferri;" vel Abramus, "alios sola Hieronymi authoritate permotos," hanc sententiam esse amplexos affirmans. Ex propria enim sententia locutum hic fuisse Hieronymum, verba hæc ipsius clarissime ostendunt: "Male igitur quidam æstimant Job de genere esse Esau, siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro sermone translatus est, et quartus sit ab Esau, et reliqua quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur." Alios autem ut in eandem concederent sententiam, non tam authoritas Hieronymi, quam ratio ab ipso allata, permovit; quod appendix illa, cujus præsumpta authoritate veteres in errorem sunt inducti, "in Hebræis voluminibus non haberetur," et canonicam consequenter authoritatem haudquaquam obtineret.

Quæ eadem ratio et Græcorum quosdam permovit, ut eam appendicem rejicerent: de quibus ita Poly-

[g] Gen. cap. 36.
[h] Scalig. Canon. Isagog. lib. 3. part. 2. cap. 1.
[i] Ad Gen. cap. 36.
[k] Lib. 6. comment. in Gen. cap. 34.
[l] Cap. 5.
[m] Petav. doctrin. temp. lib. 9. cap. 20.

chronius: "Παραγράφονται[n] τὴν ἐν τῷ τέλει γενεαλογίαν; ὡς μὴ ἐμφερομένην ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, τοῦδε τέλους ὄντος ἄχρι τοῦ, Καὶ ἐτελεύτησεν Ἰὼβ πρεσβύτερος καὶ πλήρης ἡμερῶν. ἀλλ' ἀπάτης, φασὶ, γενομένης ἀπὸ τῆς ὁμονομίας τῆς ἐν Γενέσει φερομένης εἰς τὴν κατὰ τὸν Ἡσαῦ γενεαλογίαν, ἔνθα μέμνηται Ἰωβὰβ, τὸ τοιοῦτόν τινες ἐσχολιογράφησαν· καὶ λοιπὸν ἕτεροι τῷ χρόνῳ ὡς ὑφὴν τοῦ παντὸς βιβλίου εἰργάσαντο τὰ παραγεγραμμένα. Genealogiam quæ in fine est rejiciunt, quia in Hebræo non reperitur: et liber iis verbis clauditur: Et mortuus est Job senior et plenus dierum: nominis autem similitudinem in genealogia Esau, quæ in libro Geneseos extat, ubi Jobabi mentio fit, ansam erroris et hujusmodi scholii quibusdam præbuisse; tractuque temporis postea, quæ margini adscripta erant, in libri textum ab aliis assumpta esse asserunt." Et Olympiodorus[o], ut quidem Græci capita distinguunt: "Φασὶ μέν τινες μὴ εἶναι τῆς ἱερᾶς ταύτης γραφῆς, ἀλλὰ παρεγγεγράφθαι τῷ βιβλίῳ τὰ ῥήματα· Ἡμεῖς δὲ ἐν πᾶσι τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις οὕτως εὑρηκότες γεγραμμένην τὴν βίβλον, πάντα τὰ ἐγγεγραμμένα οὕτω δεχόμεθα ὡς παρὰ τῶν πατέρων παρειλήφαμεν. Quæ in fine libri sunt, dicunt quidem nonnulli non esse sacræ hujus Scripturæ, sed libro huic assuta et adscripta esse verba. Nos vero cum in omnibus Græcis exemplaribus librum sic scriptum invenerimus, ita omnia quæ in eo scripta sunt recipimus, prout a patribus nobis tradita sunt."

Argumentum, quod a rebus gestis Assyriorum deducit Nicolaus Abramus[p], nos omnino non ferit. Neque enim contra nos probat, longius quam 215. annorum spatium Ægyptiacæ Israelitarum peregrinationi esse tribuendum; sed Amraphelem tantum, Senaaris sive Babylonis regem, longe ante Nini tempora, ab Abrahamo patriarcha profligatum fuisse demonstrat: quod nos libentissime concedimus. In Assyriorum enim imperii duratione Herodoti rationes Ctesianis et Eusebianis præferentes (quas et jure præferendas, in libro sexto, quem "Nearchum, sive de regno Assyriorum" inscripsit, ipse agnoscit Nicolaus) Abraha-

[n] Proœm. Caten. Græc. in Job.

[o] In Protheoria cap. 33. et ultimi libri Job.

[p] Abram. Phar. vet. Test. lib. 9. cap. 19.

mi illam victoriam 645. annis ante Nini exordium, in Annalibus nostris collocavimus: ut ad hoc efficiendum, Israelitarum in Ægypto commorationem ad annos 430. extendere, nihil nobis fuerit necesse.

At posse, putat Nicolaus, "Ex[q] annis Caath demonstrari, moram filiorum Israel in Ægypto fuisse plus quam 215. annorum."

Sed quomodo hoc ille demonstret, videamus. Cum fuerint "anni Caath centum triginta tres," ut[r] dicitur: "quamvis eum jam puberem facimus, cum Ægyptum ingressus est, necesse tamen est, ut in Ægypto annos centum et viginti præterpropter exegerit; qui si 80. Mosis annis[s] accedant, ducentorum annorum summam colligent. Aut igitur Israelitæ plusquam 215. annis in Ægypto manserunt, aut quindecim duntaxat annorum spatium inter Caathi mortem et Mosis exortum interfuit. Hoc autem posterius dici non posse liquet ex iis quæ, cum inter illius obitum et hujus ortum gesta narrentur, haudquaquam tamen, tam angusta temporis intercapedine, claudi potuerunt." Atque inter hæc, Israelitarum multiplicationem et oppressionem, simul cum Amrami et Jocabedæ matrimonio reponit: et ex eo quod Mosis infantuli soror העלמה vocetur[t], adolescentulam et nubilem eam fuisse colligit; indeque "Amrami et Jocabedæ nuptias, multis licet annis ab obitu Caathi, non paucis tamen ante Mosis exortum, fuisse contractas" concludit "et audiendos non esse qui moram Israelitarum in Ægypto 215. annorum angustiis circumscribunt."

Nos vero eam de Cahathi in Ægyptum descendentis prima pubertate hypothesin, quam pro libertate sua videri ille vult ultro nobis esse largitus, nos minime recipimus. Cum enim juxta rationes nostras, inter nativitatem Levi patris Cahathi et migrationem in Ægyptum, anni 50. intercesserint, quid obstat, quominus Cahathus in Ægyptum descendens non modo pubertatis, sed etiam virilis ætatis annos attigisse posset putari? ita ut 30. annorum eo ingressus 103. annos ibi exegerit, et 32. ante natum

[q] Abram. Phar. vet. Test. lib. 9. cap. 14.
[r] Exod. cap. 6. ver. 18. [s] Ibid. cap. 7. ver. 7.
[t] Exod. cap. 2. ver. 8.

Mosem annis vitam finierit. Nam potuisse hoc fieri, satis fuerit nobis obtendere, qui respondentium hic partes sustinemus; factum non fuisse, nisi certo aliquo indicio demonstrator noster ostenderit, in quindecim illorum angustias impellere nos non poterit; quibus sublatis, simul et totam argumentationis illius vim concidere necesse est.

Certe quæ in sacra historia, de servitute et afflictione Israelitarum ante Mosis nativitatem, referuntur, intra 32. annorum spatium potuisse peragi, mihi non est dubium. Multiplicationem vero populi Israelitici, vivente adhuc Cahatho, conspicuam et maxime potuisse esse observabilem, res ipsa monstrat. Nam Amrami et Jocabedæ nuptias, post Pharaonis de submergendis Hebræorum infantibus edictum, fuisse initas, non aliunde habetur quam ex duobus illis verbulis, "Post[u] hæc," in editione vulgata Latina additis: quæ in textu Hebraico, Græco, Chaldaico, Syriaco, Persico, et Arabico, nusquam apparent. Quin et ipsam multiplicationem Israelitarum tam observabilem, eamque insecutam servitutem eorum et afflictionem durissimam, Cahathi morte fuisse posteriorem, non aliunde quam ex eadem Latina versione loci, Exod. cap. I. ver. 6. colligitur. "Quo (Josepho) mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa, filii Israel creverunt," &c. quum in textu originali Hebraico, pro cognatione, legatur דור quæ vox non sanguinis propinquitatem, sed generationem hic denotat, id est hominum, Ægyptiorum præsertim, universitatem qui Josepho et fratribus ejus ætate æquales extiterunt. Ita ætas et progenies in Horatianis illis sumitur:

> Ætas[y] parentum, pejor avis, tulit
> Nos nequiores, mox daturos
> Progeniem vitiosiorem.

Et generatio[z]: "Quæ patres nostri narraverunt nobis, non celabimus filios eorum, generationem alteram:" et "Mandavit[a] patribus nostris, nota ea facere filiis suis,

[u] Exodi cap. 2. ver. 1.
[y] Horat. Carm. lib. 3. Od. 6.
[z] Psal. 78. ver. 3, 4.
[a] Psal. 78. ver. 5, 6.

ut cognoscat generatio altera, filii nascituri; exurgentesque enarrent filiis suis:" ubi, quum filii alteram constituant generationem; ad paternam non magis hic referendus fuerit Cahathus, quam soror ejus Jocabeda, Levi ipsius filia, ut in capite octavo ex Numerorum cap. XXVI. ver. 59. est ostensum, quam persecutione maxime sæviente Mosem peperisse constat. Unde et Hebræi in Seder Olam[b], non a Caathi obitu servitutis Ægyptiacæ tempus deducunt, sed a morte patris ejus Levi: a qua ad nativitatem Mosis annos 48. in Annalibus nostris numeratos invenies; spatium iis omnibus quæ ad hanc historiæ partem pertinent capiendis sufficientissimum.

A Latinæ quoque editionis authoritate potissimum dependet argumentum illud alterum a Nicolao ex Josuæ genealogia deductum: quæ in ea[c] hunc in modum habetur proposita: "Porro filius ejus Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan. Hujus quoque filius Ammihud, qui genuit Elisama; de quo ortus est Nun, qui filium habuit Josue." Cui nos integrum posterorum Ephraimi catalogum subjiciemus, prout in textu Hebræo legitur.

EPHRAIM.

Shuthelah, Beriah.	Sheerah filia.	Rephah בני
Bered בני		Resheph.
Tahath בני		Tela בני
Eladah בני		Thaan בני
Tahath בני		Laadan בני
Zabad בני		Ammihud בני
Shuthelah בני		Elishma בני
Ezer.		Nun בני
Elead.		Josua בני

His, qui in prima serie sunt nominati, a viris Gath interfectis, Ephraimo natum fuisse Beriam, ex sacra quum Nicolaus confirmasset historia; de cladis hujus tempore, quod in Scriptura reticetur, subjicit: "Quo sane tempore, ut res ipsa docet, annus ab ingressu Jacobi in Ægyptum, saltem septuagesimus quartus effluxerat, su-

[b] Cap. 3.

[c] 1 Chron. cap. 7. ver. 25.

pererantque ad exodum 140. duntaxat anni; si 215. tantum annis filios Israel in Ægypto versatos esse statuamus." Deinde, ut confessum sumens, tres primos in ultima serie nominatos Beriæ fuisse filios, Josuam octavum ab Ephraim, septimum a Beria fuisse colligit. Tum ex Josua[d], Josuam annos 110. vixisse addit: quum post Mosis obitum rempublicam administrasset annis 10. ut placet Melchiori Cano et Cajetano, aut 14. ut putat Pererius, aut 17. ut Beda et alii tradiderunt. Juxta quam postremam sententiam, cum ex Ægypto egressus est, Josua annorum fuisset 53. "quos 53." inquit Nicolaus, "si ab 140. deduxeris, invenies inter Beriæ et Josuæ exortum 87. duntaxat annos interesse, qui præcoci quadam fœcunditate septem aut octo generationibus tribuantur, ut singuli Josuæ majores, liberos duodecimo circiter ætatis anno, susceperint; undecimo generarint. Quæ si merito displiceant; certe præstabat tempus mansionis in Ægypto producere, quam tot generationum capita, tam arctis temporum limitibus cohibere." Ita ille.

Nos vero dicimus Hebraicum בנו quod toties in hac genealogia occurrit, tum "filium ejus, tum filium ejusdem" denotare: et priore modo sub finem, posteriore in principio et medio genealogiæ accipi. In prima enim serie articulum non ad præcedentem personam, sed ad primum stirpis authorem, ipsum Ephraimum esse referendum, neque Nicolaus negat; et si negaret, eandem vel etiam majorem fœcunditatis præcocitatem hic agnoscere cogeretur, quam in nostra sententia tantopere improbat. Nam cum Josephus ex filii sui Ephraimi progenie, tres tantum generationes vidisset[e], ipse Ephraimus hac ratione visurus fuisset decem, et quidem novem ex iis aptas armis ferendis, quod nisi prole ante annum 12. suscepta, ægre credere possimus contigisse. In ultima quoque serie, ubi Repha dicitur "בנו filium ejusdem," Ephraimi scilicet, similiter accipiendum esse contendimus: tum quia nomen proxime antecedens erat fœminæ, quum si affixum respexisset, בנה dicendum fuisset, non בנו, tum

[d] Cap. 24. ver. 29. [e] Gen. cap. 50. ver. 23.

quia Tahan tertius in eadem serie nominatus, inter immediatos Ephraimi filios a Mose recensetur[f]. Tantumque abest, ut cum Nicolao filium Beriæ Rephiam constituamus, ut et Rephiam et Tahanem, ante ipsum Beriam in lucem fuisse editos, existimemus. Neque enim primos illos, a scriptore sacro idcirco primo in loco nominatos fuisse putandum est, quod reliquis seniores extitissent, sed quod communem ab hominibus Gathi cladem pertulerint, per eam patri Ephraimo nomen Beriæ proximo filio imponendi occasionem dederint: quod in afflictione ille fuisset propter familiam suam[g].

Quod si Tahani non in prima, sed in tertia post Ephraimum generatione, quam et Joseph[g] vidisse dicitur, sedem assignare cuiquam magis placeat: ne sic quidem ad chronologicas nostras rationes aliquod accederet detrimentum. Si enim Ephraimum, annis 22. post descensum Jacobi in Ægyptum, Tahanis avum procreavisse, et Josuam annos 53. natum ex Ægypto excessisse, admiserimus; et septem, inter Ephraimum et Josuam interpositarum, generationum parenti cuique annos ætatis viginti, quum filium suum susciperet, simul tribuerimus: tota summa 215. annorum numerum non est excessura. Ut ad præcocem illam fœcunditatem restringi hic nos non fuerit necesse, quam Nicolaus sibi fingit. Quem interim meminisse oportuerat, in hac eadem Ephraimi genealogia, filiæ ipsius Sheeræ mentionem fuisse factam, quæ Beth-horon inferiorem et superiorem ædificavit[i], ideoque post 7. annum Josuæ, quo terra Chananæa Israelitis est divisa, superstes fuerit. Eam, etsi 130. patris anno genitam fuisse dicamus, plures tamen quam 140. ut ipsa vivendo exegerit necesse est, moræ Israelitarum in Ægypto 215. tantum annis assignatis; quod etsi mirum, incredibile tamen non est habendum. Sed ut plures illam quam 355. vel saltem 333. annos vixisse credamus, quod Nicolai postulat hypothesis; nescio qui stomachus possit concoquere.

[f] Numer. cap. 26. ver. 35.
[g] Gen. cap. 50. ver. 23.
[g] 1 Chron. cap. 7. ver. 23.
[i] 1 Chron. cap. 7. ver. 24.

Superest adhuc argumentum a multiplicatione filiorum Israel in Ægypto petitum: "quod sine miraculo, quod sane fingere necesse non est, vix potuerint in tantam multitudinem excrescere, ut cum ingressu septuaginta capita censa fuerint, ducentis post annis armatorum sexcenta millia numerarent." Ita Nicolaus[k] paulo diffidentius: cum ante eum Stapletonus[l] multo confidentius: "fieri non potuisse absque ingenti miraculo, ut 210. annorum spatio 72. homines, qui in Ægyptum descenderunt, sic multiplicarentur, ut ex illis sexcenta[m] millia hominum armatorum, præter innumerabilem aliorum multitudinem, invenirentur, quum Ægyptum exirent." Quod B. Augustino tamen mirum non est visum, quæstione 47. in Exodum, hac de re scribenti: "His annis quantum multiplicari potuerint Hebræi, si fœcunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non esse mirum, quod et sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Ægypto: excepto cætero apparatu, ubi et servitia erant et sexus muliebris, et imbellis ætas." His vero additis, ad 1800000. vel 2000000. numerum excrescere potuisse censet Bonfrerius[n]: quod ille tamen adeo non miratur, ut potius sibi mirum videri dixerit, quod non plures extiterint. Hoc vero ut ostendat, ex descendentibus in Ægyptum non 70. sed 50. tantum sumens, ipsorumque et posterorum unicuique tres liberos masculos duntaxat assignans; masculos 150. oriri potuisse colligit, ex secundo 450. ex tertio 1350. ex quarto 4050. ex quinto 12150. ex sexto 36450. ex septimo 109350. ex octavo 328050. ex nono 984150. in ultimo 2952450. qui numerus, masculorum duntaxat, fere tertia parte superat numerum 2000000. supra assignatum, masculos simul et fœminas comprehendentem.

Sed non satis ille consideravit, decem hunc vicenariorum ab eo positum calculum consistere non posse, nisi intra quemque vicenarium tres suos filios, cum pari saltem

[k] Abram. in Phar. vet. Test. lib. 9. cap. 18.
[l] Stapleton. antidot. in Act. cap. 7. ver. 6.
[m] Exod. cap. 12. ver. 37. [n] Bonfrer. in Exod. cap. 1. ver. 12.

filiarum, suo tempore maritis conjungendarum, numero fuisse progenitos, concesserimus: quod neque admitti oportet, nec ipsius Bonfrerii hypothesi est consentaneum, qua "ætatem generationi idoneam, eam quæ viginti annorum est, constituere voluisse," hic se docet. A qua ætate si generandi initium deduxisset, septem potius tricenariorum, quam decem vicenariorum annorum ordines, hic ab eo fuissent reponendi. Et in tot quidem tricenarios, Israelitarum in Ægypto moræ annos 210. Torniellus[o] distribuit: verum in unoquoque tricenario septem masculos totidemque fœminas susceptas fuisse statuens, eorum aliquos, ante annum ætatis parentum vicesimum, in lucem fuisse editos, admittere et ipse cogitur.

Id autem si evitare libeat, Bonfrerii hypothesi ex Johanne Temporario, quem ille ducem potissimum hic est secutus, aliquantulum correcta, supponere liceat; ex descendentibus in Ægyptum 50. viros, annis 20. natu majores, primi post descensum decennii annis singulis, liberos singulos procreavisse; eorumque continuo ordine posteros masculos, exacto ætatis vicesimo, intra proximum quodque decennium, totidem liberorum patres extitisse: neque 3. cum Bonfrerio, neque 7. cum Torniello, sed medium inter utrumque 5. marium numerum cuique tribuente: hac ratione ex primis illis 50. procedere potuerunt, annis post descensum in Ægyptum,

Anno X.	250.	masculi.
XL.	1250.	
LXX.	6250.	
C.	31250.	
CXXX.	156250.	
CLX.	781250.	
CXC.	3906250.	

Ab anno CXC. usque ad annum CCXV. quo ex Ægypto est migratum, anni intercesserunt 25. Ex quo apparet absque ullo miraculo, mares eo tempore ex genere Israelitico, ab anno 25. et sic deinceps, usque ad 34. natos, numero 3906250. et, simul additis tribus postremis progres-

[o] Torniell. ann. mundi 2329. num. 20.

sionis hujus ordinibus, mares 4843750. simul viventes existere potuisse: quum tamen ex Ægypto egressi circiter[p] 600000. vel 603550. ab anno ætatis vicenario tantum numerentur[q]; præter Levitas, quorum mares, ab ætate usque menstrua recensiti, numerum 22000. confecerunt[r].

Quod siquis objiciat, omnes[s] animas quæ cum Jacobo descenderunt in Ægyptum numero fuisse 66. "præter filiorum Jacobi uxores;" indeque colligat, descensus illius tempore, solos Jacobi filios uxores habuisse, ideoque a nepotibus ejusdem intra proximum decennium, liberos decem, quod a nobis est positum, suscipi non potuisse: scire illum oportet, usitato Scripturarum more, filiorum nomine comprehendi et nepotes. Cumque hic et Pharesi filii Judæ, et Beriæ filii Asheris liberi, inter 66. illos habeantur connumerati, non omnes Jacobi nepotes cœlibes in Ægyptum descendisse, satis apparet. Quanquam etiam, si decem tantum ipsius Jacobi filios, prætermissis Levi et Josepho, proximo decennio, eorumque deinceps posteros in sequentibus sex annorum tricenariis, quinque masculos totidemque femellas, juxta præcedentem hypothesin, sigillatim procreavisse admiserimus: juxta eam quoque rationem, tempore egressionis marium major exurgeret numerus, quam ille superior a Mose memoratus; ut ex præcedentis progressionis tabella, a radice 50. ad 10. hunc in modum reducta, licet perspicere.

Anno X.	50. nascerentur masculi.
XL.	250.
LXX.	1250.
C.	6250.
CXXX.	31250.
CLX.	156250.
CXC.	781250.

Hac enim, ut vides, ratione, egredi ex Ægypto potuissent mares 781250. quorum minimus 25. maximus 34.

[p] Exod. cap. 12. ver. 37.
[q] Exod. cap. 38. ver. 26. et Numer. cap. 1. ver. 46.
[r] Numer. cap. 3. ver. 39. [s] Gen. cap. 46. ver. 26.

ætatis annum ageret. Quibus si majores natu, ætatis tamen annum 94. non excedentes, adjicere etiam libeat: postremis tribus summis simul junctis, exurget numerus 968750.

Quod si iterum quis hic objecerit; nullo modo esse probabile, a decem illorum patriarcharum singulis intra proximum a descensu in Ægyptum decennium, similiterque ab eorum posteris, intra unamquamque insequentium annorum triacontadem, quinque filios, paremque filiarum numerum fuisse progenitum: considerandum illi simul erit, quicquid in admissa hypothesi reperiatur improbabilitatis, id omne ex aliis in eadem omissis, satis superque esse compensatum. Nam et post primum ab intrata Ægypto decennium, patres omnes exacto ætatis anno tricesimo, a liberis procreandis cessavisse supponuntur: quum isto ævo etiam septuagenarii et octogenarii gignere consueverint: et in decem solummodo Jacobi filiis radix progressionis est fixa; nulla 55. nepotum illius ratione habita, quos catalogus descendentium in Ægyptum a Mose propositus simul exhibet.

Neque in ullas nos Thaddæus Dunus hic conjicit angustias; ex Exodo[t] objiciens, post mortem demum Josephi et fratrum ejus, totiusque ætatis illis coævæ, multiplicationem hanc esse factam. Cum enim ex nostra sententia, inter Jesephi obitum et Mosis nativitatem, 64. tantum annorum intervallum intercesserit; in tam brevi spatio, tam immensam populi multitudinem exoriri potuisse, concedendum esse non existimat. Verum in scriptura illa, juxta eorum qui in Ægyptum descenderunt proportionem, Israelitas ante Josephi excessum crevisse, Moses non negat: licet post illud tempus in eum numerum auctos eos fuisse doceat, ut "terra impleretur ipsis;" indeque novus rex de iis duræ servituti subjiciendis, ac de infantibus eorum e medio tollendis, consilium ceperit. Nam si in primis illis annis septemdecim, quibus in regione Goshenis Jacobus vixit, filii et nepotes illius fœtificavisse dicantur, "et aucti[u] fuisse valde;" quis, nisi progressionis arithmeticæ

[t] Cap. 1. ver. 6, 7. [u] Gen. cap. 47. ver. 27, 28.

plane ignarus, annis 54. proximis, quibus patri Josephus fuit superstes, dubitaverit, eadem propagationis ratione servata, numerosam prodire potuisse sobolem, ut stirps tam copiosa, intra annos 64. longe pluribus producendis sufficeret, quam ad Mosaicæ narrationis veritatem statuendam, foret necessarium? Ita in duodecim descendentium in Ægyptum hypothesi, anno post descensum 70. qui proxime antecessit Josephi obitum, 1250. et post 60. annos, id est, quadrennio ante ortum Mosis, 31250. mares prodire potuissent; quibus additus intermedius 6250. numerus 38750. masculos exhiberet; præter parem fœminarum numerum, quæ quarto ante natum Mosem anno, simul cum eis existere potuissent. Juxta alteram vero 50. generantium hypothesin, ad 193750. numerus ille masculorum exurgeret; ex trium numerorum 6250. et 31250. et 156250. additione confectus: quem, totidem fœminarum adjectione auctum, Ægyptiis non immerito suspectum esse potuisse, nemo dubitaverit.

Concludamus igitur tandem, Israelitarum moram in Ægypto, neque 430. annorum fuisse, ut Genebrardi et Stapletoni, neque 431. ut Tichonii; neque 408. ut Thaddæi Duni, et Nicolai Abrami; neque 240. ut Gulielmi Langii, et Rabbinorum quorundam; neque 239. ut Henrici Suizeri; neque 225. ut D. Parei; neque 216. ut Johannis Benedicti et Laur. Codomani; neque 210. ut communior Hebræorum, sed 215. ut Christianorum chronologorum fert sententia. Hi 215. anni, juxta nostras rationes, in medio anno mundi 2513. juxta Scaligeri et Petavii, qui non 130. sed 70. tantum annos inter natales Tharæ et Abrahæ constituunt, in 2453. quem pro certo anno exodi esse habendum, Scaliger, cum suis asseclis Setho Calvisio et Johanne Bohemo, ex characterismis quibusdam demonstrare conatur; quos tamen nullius esse momenti, ipse ostendit Petavius[x]; cujusmodi et illi sunt characteres, quibus Philippus Lansbergius[y] suadere nititur, annum mundi 2449. pro vero exodi anno esse agnoscendum:

[x] Lib. 9. De doctrina temporum, cap. 23. et 25.

[y] Lansberg. chronolog. sacr. lib. 3. cap. 3.

quorum incertitudinem ipsa horum utrorumque mutua inter se collatio satis manifestaverit. Ex eo enim, quod dies exitus ex Ægypto fuerit feria hebdomadis quinta, et quod annus post illum quadragesimus sextus, jubilæus pariter et sabbaticus fuerit, Scaliger supponit: ex eo vero quod dies ille in septimam feriam inciderit, et ipse exitus annus sabbaticus simul et jubilæus extiterit, Lansbergius suum mundi annum, pro genuino et certo esse agnoscendum, confecisse se existimat, quum de neutra illa feria quidquam ex Scripturis constet: neque ante Israelitarum in terram promissam ingressum, annorum sabbaticorum, atque inde nascentium jubilæorum, ullam rationem fuisse habitam, ostendi possit, quemadmodum supra in tertio capite monuimus.

CAP. XII.

Quartæ ætatis mundi spatium annorum 179. fuisse ostenditur. Integritas numerorum 480. in libris Regum et 450. in Actis apostolorum integritas, et inter se consonantia, asseritur. Libri Judicum ordo et dispositio proponitur: annorumque quietis terræ supputandorum ratio exponitur. Davidicæ genealogiæ in fine libri Ruthæ, tribusque aliis[a] pariter consentientibus Scripturæ locis explicatæ, perfectio defenditur; posteriorum hominum etiam ad nostra usque tempora, non minore quam horum patrum longævitate demonstrata.

Ad quartam mundi ætatem jam perventum est: cujus spatium, in prioris Regum libri, qui aliis tertius numeratur, capitis VI. initio, a Spiritu Sancto ita habetur expresse definitum: "Factum est quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, (mense Zivo, ipse est mensis secundus,) regni Salomonis super Israel, ut ædificare inciperet domum Domino." Quum enim mensis primi die 15. ex Ægypto egressi fuerunt Israelitæ, et mensis secundi die secundo[b], in anno quarto Salomonis, templi jacta sint fundamenta; annos 479. et dies 17. intercessisse liquet, non integros annos 480. quemadmodum, in hujus operis capite tertio, contra Johannem Funccium supra est ostensum. Severus vero Sulpicius, in priore sacræ suæ historiæ libro, 588. fere annos inter utrumque hunc terminum interjectos fuisse existimans, "non dubitare" se, addit, "librariorum potius negligentia, præsertim tot jam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit." Nostris quoque temporibus, Nicolaus Serarius[c] 680. pro 480. Nicolaus Raimarus Ursus, in scripto chronologico Germanice

[a] 1 Chronic. cap. 2. ver. 11, 12. Matt. cap. 1. ver. 5. Luc. cap. 3. ver. 32.
[b] 2 Chron. cap. 3. ver. 2. [c] In 3 Reg. cap. 6. ver. 1.

anno MDXCVI. edito, et Ludovicus Cappellus[d] 480. pro 580. in sacrum textum irrepsisse censuit. "Cujusmodi in desperatis chronologiæ quæstionibus, uti in perditis civitatibus χρεοκοπίαι, extremi esse solent exitus:" inquit Dionysius Petavius[e]: cui merito "hæc nimis effrænata grassandi in Scripturam licentia coercenda, et repudianda videtur."

Melchior Canus[f], quum primo significasset, se "non existimare, aut fidei aut religionis quæstionem esse, num 480. ille annorum numerus, qui in codicibus pervulgatis reperitur, librariorum vitio scriptus sit, an potius idem ab auctore sacro in suo exemplari positus," atque sentire se deinde declarasset, interregnorum annos, seorsim a temporibus judicum, esse supputandos: postea subjicit: "Josephus, quoniam non ea solum tempora quibus judices præfuere, computare voluit, sed illa etiam quæ in interregnis sine judicibus fluxerunt, vere summam 590. confecit annorum. At auctor libri Regum, interregnorum annis omissis, eos tantum redegit in numerum, quos intellexit, dum judices administrarent, intercessisse. Anni ergo plures ab eo, quo Israel excessit ex Ægypto, ad templi initia fluxere: sed ducum, judicum, et regum, non fluxere, nisi 480." Quam sententiam, in suis ad illum Regum locum notulis, etiam Emmanuel Sa est amplexus. Verum, "hoc esse Scripturæ ridiculam et insulsam assertionem imponere," recte in commentariis ad caput ultimum Josuæ pronunciavit Jacobus Bonfrerius. "Etenim[g] quadringentesimo octogesimo anno ab exitu filiorum Israel, templi fundamenta esse jacta; quid aliud apud prudentem, neque studio tuendarum partium occupatum lectorem sonat, quam totum illud interjectum ab exitu tempus totidem annis, neque pluribus paucioribusve, contineri?" Ex quo sequeretur Josephi supputationem, sacri scriptoris calculo, longe hic fuisse præferendam: dicendumque foret, non jam, cum Sulpicio, "librariorum

[d] In Chronol. sacr. tabul. 9.
[e] Lib. 9. de doctrina temporum, cap. 32.
[f] Lib. 11. locorum Theologic. cap. 5.
[g] Petav. doctrin. temp. lib. 9. cap. 33.

negligentia veritatem fuisse corruptam," sed ipsum hic "prophetam erravisse." Ad aliud igitur effugium Laurentius[h] hic se recipiens, putavit, "non inepte pronunciari posse quod[i] tempus exitus ex Ægypto complectatur totam peregrinationem Israelitarum, quæ a primo paschate sumens initium, duravit, donec singulæ tribus occupassent suam promissæ terræ sortem, cujus causa, mandante et mirabiliter adjuvante Deo, profectionem ex Ægypto susceperant." Et ne novum cuiquam videretur, "ex eo loco unde eximus denominari totam profectionem quantumvis longinquam et diuturnam, quæ durat donec perveniatur ad locum cujus adeundi causa iter suscipiebamus, etiamsi obiter incidant impedimenta moram efficientia:" duo ad hoc confirmandum Scripturæ testimonia producit. Unum ex Deuteronomo[k]; ubi "Moses dicitur suum quintum librum prælegisse Israelitis בצאתכם in exeundo, vel in exitu ex Ægypto: cum tamen id fieret anno 40. post transitum maris rubri, quo adhuc versabantur in itinere ex Ægypto versus terram promissam suscepto." Alterum ex Psalmo CXIV. ver. 3. narrante, "in exitu Israelitarum ex Ægypto, Jordanem retrorsum constitisse, quod anno 41. post transitum maris rubri factum est." Itaque arbitratur, in 1 Regum cap. VI. ver. 1. "Scripturam respicere ac definire tempus illud alias indefinitum, quo tribus Danl dicitur hæreditatem sibi quæsivisse. Tunc enim primum," inquit, "finita est peregrinatio, quam filii Israel ex Ægypto ideo cœperant, ut quæque tribus suam hæreditatem in promissa terra occuparet: nec tamen affirmari potest, quando id factum sit, nisi forte 480. anni a templi Salomonici absolutione," vel prima, fundatione potius, "retro numerati nobis ostendant, quando cessaverit filiorum Israel exitus ex Ægypto, id est, tota peregrinatio quam suscipiebant; non habitura finem, donec cuilibet tribui sua sors in terra promissa obtigisset." Eousque autem a discessu ex Ægypto annos 118. effluxisse ille autumat, inter discessum illum et jacta templi fundamenta, annorum

[h] Coloman. chron. lib. 1. cap. 17.
[i] 1 Reg. cap. 6.
[k] Cap. 4. ver. 45.
[l] Judic. cap. 18.

598. intervallum constituens. Eandem quoque interpretationem in tabulis suis chronologicis secutus est Michael Mœstlinus: a discessu tamen ex Ægypto, ad Daniticam illam expeditionem, annos 112. ad templi vero fundationem annos tantum 592. dinumerans.

Sed quam ridiculum illud sit, sacrum libri Regum scriptorem, non ipsius fundati templi epocham, sed terræ a Danitis postremum occupatæ tempus, designare voluisse, quis non videt? Et, ut Johannem Bohemum[m] præterea contra Codomanum hic disserentem audias, "Quis tempus illud quo una tribus sibi possessionem quæsivit, quodque anni ratione nobis ignotum, nominaret exitum filiorum Israel ex Ægypto? quis a termino ignoto epocham figeret? Monstrum opinionis, præsertim cum jam ante tribus Dan suam possessionem habuerit, ut ex Josua[n] videre est: verum sat angustam. Bona namque terræ pars ei tribui per sortem data, per Chananæos et Amoræos ei erepta[o]. Ideo tribus hæc, sequentibus, nobis tamen annorum ratione ignotis, temporibus, excurrit ad ampliorem sibi sedem quærendam."

Alii, cum Codomano, per exitum ex Ægypto, non tempus illud præcise quo extra fines Ægypti pedem Israelitæ extulerunt denotare, sed aliquam multorum intervallum annorum comprehendere hic existimant, verum intra modestiores aliquanto limites, temporis illud spatium coercendum esse censent. Dionysius Petavius[p], et eum secutus Petrus Possinus[q], exitum ex Ægypto, tempus illud interpretantur, quo Israelitæ 40. annis in deserto oberrantes, ad itineris metas terminumque pervenerunt, et trajecto Jordane in terram Chananitidem introierunt. Quæ interpretatio, si aliquo modo admitti posset, in discrepantia numerorum inter Hebræos et Græcos codices concilianda, usum fortasse haberet aliquem. Licet enim tam in Complutensi editione, quam in Græco MS. Arundelliano, eodem quo in textu Hebræo modo, anno ab

[m] Bohem. Chronolog. manuduct. titul. 3. cap. 6.
[n] Cap. 19. ver. 40. [o] Judic. cap. 1. ver. 34.
[p] Petav. doctr. temp. lib. 9. cap. 33.
[q] Possin. dialect. genealog. Christi, cap. 19.

exodo 480. templum ædificari cœptum fuisse legatur: in Romana tamen, et Aldina, et Germanicis editionibus, ut etiam in codice Alexandrino, et apud Luciferum Calaritanum, Sulpicium Severum, atque Oecumenium[q] 440. tantum annorum habetur numerus: quæ diversitas utcunque componi potuisset, si ab initio exodi 480. a fine vero 440. annum illum fuisse habendum, dicere nobis liceret. Verum ex Scriptura nullum adhuc productum est testimonium, quod nomine exodi vel exitus ex Ægypto, etiam annum a migratione illa quadragesimum significari nobis persuadeat. Nam ad loca quæ ad hoc confirmandum proferuntur, respondere nos docuit ipse Petavius[r]: quum monet apud Hebræos ב literam nonnunquam esse idem atque *post*, ut in Geneseos cap. XXXV. ver. 9. Exodi cap. II. ver. 23. Numer. cap. XXVII. ver 26. Sic igitur Deuteron. cap. IV. ver. 45. ubi præcepta Domini Moses Israelitis proposuisse dicitur "בצאתם quum exivissent ipsi" ex Ægypto, et in sequente similiter versiculo, ubi Moses et Israelitæ, Silonem Amoræorum regem percussisse referuntur "בצאתם quum exivissent" ex Ægypto: post egressionem facta ista fuisse Moses tantum significat, nequicquam vero tempus quo ista vel facta vel dicta sunt, utcunque manifestum id esse dixerit Petavius, egressionem vocat ex Ægypto. Neque alia in Psalmo CXIII. vel CXIV. prophetæ mens fuit, quam ut præsentia Dei, quam in populo suo, ex Ægyptiaca servitute liberando, mirabiliter ille declaraverat, commotum mare, "Mare fugisse, et Jordanem conversum esse retrorsum" indicaret: neutiquam autem, quod Possinus addidit, ut exitus de Ægypto, "duos utrinque extremos assignaret terminos; et plane declararet exodum, (sive exitum) aut egressionem de terra Ægypti, nomina esse toti peregrinationi deserti quadragenariæ convenientia."

Nicolaus vero Abramus[s] psalmistam his finibus exodum circumscripsisse negat: Septuaginta seniores etiam

[q] In Act. cap. 7. ver. 8.
[r] Petav. doctrin. temp. lib. 9. cap. 32.
[s] Nic. Abram. in Pharo Vet. Testam. lib. 10. cap. 27.

ulterius eos extendisse admonens; ubi cum Josua[t] sepultos fuisse dicunt lapideos cultellos quibus circumcidit filios Israel in Galgalis, " ὅτε ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου, quando eduxit eos ex Ægypto." Unde probabiliter posse dici ille existimat, " Egressionem filiorum Israel eo demum tempore fuisse terminatam, cum arca, quæ hactenus per vastissimas Arabiæ solitudines conducta fuerat, et egressos hactenus comitata, in Silo requievit; quasi tum denique longæ peregrinationis metam attigisset;" anno videlicet Josuæ circiter septimo. Johannes Woltherus denique, ut prioribus quidem illis, vocem Exitus de transitu Israelitarum per Jordanem interpretatur; sed simul etiam cum Nicolao Raimaro numerum illum 480. toto centenario censet esse diminutum : a relicta Ægypto ad templi initium, annos 620. ea ratione constituens.

Verum temerariam istam sacri textus correctionem, cum alii, tum Johannes Bohemus manuductione sua chronologica, et Jacobus Bonfrerius in suis ad postremum Josuæ caput commentariis, et Nicolaus Abramus[u] satis refutarunt; et a nativa vocis Exitus significatione nemo abduci se patietur, quin prudenter consideraverit aliud de illis Scripturæ locis esse sentiendum, in quibus בצאת (cum præpositione casus ablativi indice) nude ac simpliciter habetur positum; aliud de illis, in quibus לצאת (cum præpositione casum genitivum denotante) mensis aut anni designatione simul apposita. In illis enim, tempus post exitum generatim tantum et indefinite esse designatum; in his, præcise et determinate ab ipso illo primo, quo ex Ægypto discessum est, mense, ut a certa et nota epocha supputationem esse deductam res ipsa indicat. Hoc certe a Mose diligenter observatum fuisse videmus, Israelitas in desertum Sinis venisse scribente, " Quinto[w] decimo die mensis secundi לצאתם, egressionis ipsorum de terra Ægypti;" et[x]: " mense tertio לצאת egressionis Israelitarum de terra Ægypti," venisse eos in desertum

[t] Josu. cap. 24. ver. 30.
[u] In Pharo Vet. Testam. lib. 10. cap. 18.
[w] Exod. cap. 16. ver. 1. [x] Cap. 19. ver. 1.

Sinai; et Numerorum cap. XXXIII. ver. 38. mortuum esse Aaronem "anno quadragesimo לצאת egressionis Israelitarum de terra Ægypti, mense quinto, primo die mensis." Neque aliam quam Mosaicam epocham, sacrum libri Regum scriptorem usurpasse, quum 480. anno "לצאת egressionis Israelitarum de terra Ægypti, mense secundo," templum Salomonicum extrui cœptum fuisse tradentem, jure ullo dubitare possumus.

Quæ vero ad desperata hæc remedia viros doctos perpulerunt, ut aut Scripturæ textum ipsum immutarent, aut violenta interpretatione distorquerent, duæ fuerunt rationes præcipuæ: altera ex Paulina oratione[s] est deducta; altera a numeris annorum in libro Judicum expressis, qui longius quam 480. annorum, inter exitum ex Ægypto et posita templi fundamenta, intervallum necessario postulare videantur. Ac primo, "vel mendum esse in illo numero 480. annorum, qui est 1 Regum cap. VI. ver. 1." pronunciat Ludovicus Cappellus, "vel mendum esse in loco Actorum cap. XIII. ver. 12. ubi Deus dicitur Israeli dedisse judices per annos 450. usque ad Samuelem. Necesse enim esse" asserit, "alterutrum horum numerorum esse falsum; neque posse simul consistere." Quum opinionem Cajetanus quoque, Lutherus, Funccius, Mercator, Buntingus, Temporarius, Perkinsius, Pius, Lidyatus, Lansbergius, et alii ita sunt amplexi, ut in Actorum tamen locum mendum potius irrepsisse censuerint, numero 450. pro 350. posito: quod in Græco longe facilius τριακοσίοις in τετρακοσίοις, quam in Hebræo ארבע in המש vel שש mutari potuisse existimarent.

Verum non in numeri 450. mutatione, quem in omnibus libris, Græcis, Latinis, Syriacis, Æthiopicis, Arabicis, constanter retentum videmus, apostolici et prophetici calculi reconciliatio ab iis fuerat inquirenda; sed a loco potius ejusdem atque ordine, qui in variis editionibus rarius habetur et diversus. In vetere enim vulgata Latina translatione, verba apostoli ita leguntur reddita: "Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos et

[s] Act. cap. 13. ver. 20.

quinquaginta annos : et post hæc dedit judices," quomodo et in quibusdam manuscriptis Græcis codicibus se scriptum invenisse, Johannes Mariana testatur, pro editione vulgata cap. XV. *κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσεὶ μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς.* In Petri Taxardi Marchionis Velesii[a], videlicet MSS. quos ad textum Latinum et hic et alibi passim de industria fuisse conformatos magna est suspicio.

His vero longe antiquius Alexandrinum, quod in Anglia habemus, exemplar, majusculis literis exaratum, ita legit : *κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτὰς.* Quod ipsum quoque inter diversas illas lectiones reperitur, quas novo testamento Parisiis anno 1568. Græce a se excuso, Robertus Stephanus subjiciendas curavit : consentiente quoque codice quodam Græco alio Parisiis item edito, et a Beza in annotationibus ad hunc locum producto; et Novi Collegii apud Oxonienses exemplari manuscripto altero, nisi quod hoc absit pronomen *αὐτῷ* post *γῆν*, in illo addatur *αὐτοῖς* post verbum *ἔδωκε*. In quibus omnibus, annos illos 450. non ad judicum durationem, sed ad tempus partitionis terræ referri manifestum est.

Sed et illam " temporum circumscriptionem, ad antecedentia pertinere, doctissimi quidam viri," ut refert Fr. Junius[b], " memoria nostra putaverunt;" etiam vulgata Græcorum codicum lectione retenta ; sic videlicet, ut commodum aliquod participium subintelligendum judicarunt : tanquam si ita legeretur : " Et post hæc annis quasi quadringentis et quinquaginta, dedit judices :" circa annum videlicet quadringentesimum : " *Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα* [*γινόμενα*] *ἔδωκε κριτὰς.* Et post hæc annis quadringentis et quinquaginta (peracta) dedit judices." Cujusmodi participii ellipsim in Christi genealogia[c] supplendam volunt ; ubi vel Josias vel Joa-

[a] Ludov. de la Cerda, adversar. sacr. cap. 91.
[b] Jun. Parallel. sacr. lib. 1. sect. 95.
[c] Matt. cap. 1. ver. 11.

kim genuisse dicitur Jechoniam et fratres ejus, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος; non quod tum primum geniti, sed quod eo tempore superstites illi fuerunt, quo facta est Babylonica deportatio: ac si in Græco legeretur, τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος γεγονότας.

Hac ratione, principium hujus supputationis a primis illis orationis apostoli verbis pendebit, commate 17. "Deus populi hujus Israel elegit patres nostros." Quum autem Abrahamo, filium adhuc non habenti, semini ipsius terram Chananæam se daturum Deus promisisset[d]; postea, excluso Ismael primogenito, in Isaaco patrum ab eo facta est electio: juxta illud: "In[e] Isaaco vocabitur semen tuum." Porro a nato Isaaco, usque ad egressionem posterorum ejus ex Ægypto, anni defluxerunt 405. ut antea est ostensum: quibus additi anni 46. cum dimidio, qui inde ad partitionem terræ decurrerunt, ut in sequente capitulo ostendetur, annos 451. cum dimidio conficiunt; qui Paulo ὡς vel quasi 450. anni sunt dicti.

Ad libri Judicum calculum jam accedimus: quem, in priore historiæ parte, per quietis terræ intervalla; in posteriore, per præfecturæ judicum spatia institutum esse animadvertimus. Primo enim in loco, oppressionum et liberationum populi Israelitici continuata series, in Judicum cap. II. ver. 14—19. summatim exposita, specialem deinde in sex sequentibus capitibus, temporum notis appositis, hunc in modum habetur explicata.

I. Israelitæ a Cushane Mesopatamiæ rege per 8. annos oppressi[g], ab Othoniele liberati sunt: et quievit terra annis[h] 40.

II. Ab Eglone Moabitarum rege per annos 18. oppressi[i]; ab Ehude liberati sunt: et quievit terra annis[k] 80.

III. A Jabine rege Chananææ per 20. annos oppressi[l], a Debora et Barako liberati sunt: et quievit terra annis[m] 40.

IV. A Midianitis per annos 7. oppressi[n]; a Gideone liberati sunt: et quievit terra annis[o] 40.

[d] Gen. cap. 12. ver. 7. Act. cap. 7. ver. 5.
[e] Gen. cap. 21. ver. 12.
[g] Cap. 3. ver. 8.
[h] Cap. 3. ver. 11.
[i] Cap. 3. ver. 14.
[k] Cap. 3. ver. 30.
[l] Cap. 4. ver. 3.
[m] Cap. 5. ver. 31.
[n] Cap. 6. ver. 1.
[o] Cap. 8. ver. 28.

Judæi, populum nunquam judice caruisse arbitrati[p], annos quieti terræ hic subjectos, judici ibidem nominato attribuunt: in quibus et opprimentium alienigenarum annos, ut sub eorum præfectura et cœptos et finitos, comprehensos esse existimant. Eorum sententiam in chronico suo secutus est Eusebius, et post eum plerique omnes Christianorum chronologi. Ita enim de prima oppressione scribit Eusebius: "Μετὰ τελευτὴν Ἰησοῦ κρατοῦσιν Ἑβραίων ἀλλόφυλοι ἔτη ἡ. ἃ καὶ συνάπτεται τοῖς τοῦ Γοθονιὴλ κατὰ τὰς Ἰουδαίων παραδόσεις. Post mortem Jesu, subjectos tenuerunt Hebræos alienigenæ annis octo: qui junguntur Gothonielis temporibus, secundum Judæorum traditiones." Ac si Scripturæ hic fuisset sensus: Othoniele[q] principe, qui annis 40. judicavit, pacem fuisse et otium, tyranno judicis auspiciis et virtute superato.

Illud vero incommodi Eusebio hic accidisse scribit Melchior Canus, "quod[r] cum interregna omnia posteriorum judicum temporibus includeret, videretque illis quædam antecedentia ineptissime sequentibus copulari; eam rem traditionibus Hebræorum attribuit, ne ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur." Nihil enim ille absurdius esse arbitratur, "quam ut interregnorum anni, in eos redigi dicantur et contrahi, quibus sub judicibus terra a præliis dicitur quievisse:" quum in illis "interregnis, aut perpetuum Judæis bellum contra inimicos fuerit, aut servitus sine judice misera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies." Cujusmodi incommodis, etiam a Laurentio Codomano[s], Dionysio Petavio[t], Petro Possino[u], Nicolao Abramo[x] et aliis, premi hanc sententiam videmus. A quibus ut nos expediamus, belli quidem et servitutum tempora, a pacis et quietis temporibus secernenda esse

[p] Ut ad 1 Sam. cap. 13. ver. 1. ab Abrabaneele est annotatum.
[q] Jo. Temporat. Chronologicar. demonstrat. lib. 2.
[r] Can. Loc. theologic. lib. 11. cap. 5.
[s] Codoman. Chronolog. lib. 12. quæst. 16.
[t] Petav. Doctrin. tempor. lib. 9. cap. 32.
[u] Possin. diallactic. genealogic. cap. 19.
[x] Abram. in Pharo. Vet. Testam. lib. 10. cap. 5.

libenter agnoscimus: sed annorum notatione, "quieti terræ" apposita, quietis illius initium, non autem vel ipsius quietis vel præfecturæ judicum durationem, designari statuimus. Itaque illud "ותשקט quievit," idem esse dicimus quod "quiescere cœpit," quemadmodum in Genesi[y] ויולד nobis est, "gignere cœpit;" 1 Regum[z] יבן est "ædificare cœpit:" atque ubi toties in Scriptura rex aliquis tot vel tot annorum fuisse dicitur "במלכו quum regnare inciperet," illud significare nemo dubitat. Cumque numerorum in temporum notatione ea sit ratio, ut interdum quando res aliqua contigerit, indicat interdum quamdiu ea duraverit: quæ duo Græci et Latini casuum, quibus Hebræi carent, variatione sæpius solent distinguere: in annis oppressorum posteriorem explicationem, in annis quietis terræ, priorem hic accipiendam censemus; ut sub Othoniele, verbi gratia, 40. non annos sed, annis terra quievisse intelligatur, id est, a præcedente aliqua epocha "anno quadragesimo." Quod, licet cum versione vulgata Latina non conveniat, tamen "cum verbis Hebraicis satis congruere," Fr. Ribera[a] ostendit: Hebræorum consuetudinem esse docens, ut ab uno ad decem aliquando, a decem vero et ulterius semper "numeris cardinalibus utantur pro ordinalibus." Certiorem vero nullam epocham, a qua primæ sub Othoniele quietis terræ supputatio deducatur, invenire possumus, quam celeberrimam illam terræ quietem, quam, devictis Chananææ regibus, qui junctis viribus et totis copiis adversus Israelitas insurrexerunt, a Josua constitutam, et partitioni terræ præviam factam Spiritus Sanctus memorat[b]. Superatis igitur Mesopotamiensibus, qui post illos alienigenarum primi universæ terræ Israeliticæ bellum intulerunt, quies, annis post prioris illius initium quadraginta, reddi cœpta est: victore deinceps Othoniele, usque ad mortem, rempublicam administrante, et populum in veri Dei cultu continere satagente, quod

[y] Cap. 5. ver. 32. et cap. 11. ver. 26.
[z] Cap. 6. ver. 1.
[a] Riber. De templo, lib. 1. cap. 1.
[b] Josu. cap. 11. ver. 23. et cap. 14. ver. 15.

præcipuum horum judicum opus fuisse, ex Judicibus[c], ubi hujus partis historiæ summam propositam fuisse diximus, intelligitur.

In sequente deinde historia, per ipsorum judicum annos temporum series hunc in modum habetur disposita.

Abimelech, ann. 3.	cap. 9. ver. 22.
Tola, ann. 20.	cap. 10. ver. 2.
Jair, ann. 22.	cap. 10. ver. 3.
Philistæi et Ammonitæ oppresserunt Israelem ann. 18.	cap. 10. ver. 8.
Jephthe, ann. 6.	cap. 12. ver. 7.
Ibsan, ann. 7.	cap. 12. ver. 9.
Elon, ann. 10.	cap. 12. ver. 11.
Abdon, ann. 8.	cap. 12. ver. 14.
Philistæi oppresserunt Israelem ann. 40.	cap. 13. ver. 1.
Samson, ann. 20. judicavit Israelem, in diebus Philistæorum.	cap. 15. ver. 20. et cap. 16. ver. 21.

Ubi notandum, duarum illarum oppressionum priorem in Jairis, posteriorem in Samsonis tempora incurrisse: quemadmodum in sequente capite declarabitur. Reliqua adhuc est libri Judicum appendix duplex, altera in quinque postremis hujus libri capitibus, altera in Ruthæ libello, quem Hebræos in librum Judicum compegisse, in Galeato suo prologo confirmat Hieronymus, comprehensa. Prior, idoli Micæ[d], Daniticæ expeditionis et idololatriæ[e], nefarii stupri a civibus urbis Gibeæ Levitæ cujusdam concubinæ illati[f], et belli Benjaminitici[g], historias complectitur: quæ omnia temporibus illis contigisse referunt, quibus "non[h] erat rex in Israele, sed quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat;" id est, quum nullus est magistratus summo præditus imperio, qui populum in officio suo contineret: cujusmodi ἀναρχία inter mortem seniorum qui Josuæ superstites fuerunt, et

[c] Judic. cap. 2. ver. 17, 18, 19.
[d] Ibid. cap. 17.
[e] Judic. cap. 18.
[f] Ibid. cap. 19.
[g] Judic. cap. 20, 21.
[h] Judic. cap. 17. ver. 6. et cap. 18. ver. 1. cap. 19. ver. 1. cap. 21. ver. 25.

primam sub Cushane populi servitutem extitit : quo temporis intervallo Israelitas in terra habitantes a vero Dei cultu primum defecisse, et idololatria sese polluisse, Scriptura indicat[i]. Eodem itaque tempore Benjaminiticum illud bellum gestum fuisse, Josephus[k] recte retulit, quo et Phineasum Eliazari filium, Aaronis nepotem, summo sacerdotio functum fuisse ipsa Scriptura diserte exprimit[l]; quem sub Josua et illi superstitibus senioribus claruisse constat[m].

Ruthæ historia temporibus illis accidisse legitur, quibus "judicabant[n] judices." Ehud nimirum, ut ab Hebræis in Seder Olam[o] habetur traditum ; vel Samgar potius, qui "post[p] hunc servavit et ipse Israelem ; licet ejus temporis annos Hebræi in loco citato in Ehudis annis incluserint. Post ingressum enim Israelitarum in terram promissam, "Salmon[r] genuit Booz ex Rahab, Booz Obedum ex Rutha, Obedus Jessem, Jesse Davidem regem." E quibus Boozum seniorem fuisse cum Rutham duceret, ipsius ad eum verba[s] satis innuunt : de Jesse vero in Samuele[t] expresse legitur ; והאיש בימי שאול זקן בא באנשים Καὶ ὁ ἀνὴρ ἐν ταῖς ἡμέραις Σαοὺλ πρεσβύτερος ἐληλυθὼς ἐν ἀνδράσιν. quod Hebræis, qui ad comparationis gradus designandos peculiares flexiones habent nullas, aliud nihil sonat, quam virorum omnium, qui Saulis temporibus vixerant, maximum natu illum fuisse habitum. Et omnes sane memoratos illos patres admodum senes fuisse oportet, quum filios susciperent. Cum enim ineunte anno ab exitu ex Ægypto 480. et regni Salomonis 4. jacta templi fundamenta fuerint[u] : demptis inde 40. annis in deserto actis, 70. annis vitæ Davidis[x], et tribus Salomonis ; reliqui erunt, ab ingressu in terram ad nativitatem Davidis, anni

[i] Judic. cap. 2. ver. 7. 14.
[k] Lib. 5. antiquit. cap. 2.
[l] Judic. cap. 20. ver. 28.
[m] Josu. cap. 22. ver. 31. et cap. 24. ver. 33.
[n] Ruth. cap. 1. ver. 1.
[o] Cap. 12.
[p] Judic. cap. 3. ver. 31.
[r] Matth. cap. 1. ver. 5, 6. Ruth. cap. 4. ver. 21, 22.
[s] Ruth. cap. 3. ver. 10.
[t] 1 Samuel. cap. 17. ver. 12.
[u] 1 Reg. cap. 6. ver. 1.
[x] 2 Sam. cap. 5. ver. 4.

366. uti etiam ab Aben Ezra ad postremum Ruthæ capitulum est observatum. Eos annos ita nos commodissime distribui posse existimamus: si Rachabam primo in loco annis post Israelitarum ingressionem in terram 42. Boozum peperisse ponamus; deinde ipsi Boozo 102. Obedo 111. totidemque Jessæ annos ante παιδογονίαν attribuamus. Quam gignendi ætatem qui per se satis superque longam esse consideraverit; quo majoribus accessionibus ea accreverit, eo minus eam in se habituram probabilitatis atque verisimilitudinis, non poterit non animadvertere, cujusmodi augmentorum gradus eorum sententias consequi necesse est, qui Salomonici templi structuram non 480. cum sacro textu, sed vel 520. cum Dionysio Petavio, et Petro Possino, vel. 527. cum Nicolao Abramo, vel 580. cum Nicolao Raimaro vel Ludovico Cappello, vel 592. cum Michaele Mæstlino, vel 598. cum Laurentio Codomano, vel 620. cum Johanne Walthero, vel 680. cum Nicolao Serario, post exodum anno cœptam fuisse volunt.

At in nostra quoque hypothesi Jacobo Saliano absurdum esse videtur, "quasi[y] dedita opera tam tardas, in una eademque familia, ponere generationes, quum ad miraculum sine necessitate recurrere, et quidem quater in eadem familia iteratum, sibi profecto non placere" profiteatur. Quod ut effugiat, ad ridiculum illud de tribus Boozis commentum mavult se recipere: quod omni sacræ Scripturæ testimonio destitutum, a Nicolao Lyrano[z] ex apocryphis nescio quibus doctoribus, ita habetur propositum: "Dicunt doctores nostri, et bene ut videtur, quod tres fuerunt Booz, sibi succedentes: quorum primus fuit avus, secundus filius, tertius nepos. Primus fuit filius Salmon quem genuit de Rahab: et tertius fuit iste, qui genuit Obed ex Ruth." Verum, ut in horum patrum longævitate non parum raritatis, atque in ejusdem, ad tres vel quatuor generationes, continuatione, divinæ fuisse benedictionis plurimum, fatemur libentissime; ita hic aliquid

[y] Salian. anno mundi 2741. num. 26.

[z] Ruth, cap. 2.

fuisse miraculi, quod naturæ ordinem et vires superaret, agnoscere omnino non possumus: quum in posterioribus quoque seculis homines, qui his in longævitate nihil concederent, extitisse nullum sit dubium.

Rachaba certe, si vicenaria, quum in Chananæam ingrederentur Israelitæ, extitisset, et post 42. deinde annos, quod nostra fert hypothesis, Boozum peperisset; annum ætatis 62. non excessisset: post quem anicularum nostro etiam seculo parientium non desunt exempla. Ad longævitatem vero quod attinet: Jehojadam pontificem longe post hæc tempora 130. annos vixisse Scriptura confirmat[a]. "In[b] Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, 150. annis vivere, Mutianus author est: totidemque annos censum, Claudii Cæsaris censura, T. Fullonium Bononiensem idque collatis censibus, quos ante detulerat, vitæque argumentis, etenim id curæ principi erat, verum apparuit." In censu vero a Vespasianis imperatoribus acto, "centum[c] viginti annos, Parmæ tres edidere, Brixelli unus. 125. Parmæ duo. 130. Placentiæ unus. 131. Faventiæ una mulier. 132. Bononiæ Lucius Terentius Marci filius, Arimini vero M. Aponius, 150. Tertulla, 137. circa Placentiam, in oppido Velleiacio 110. annos sex detulere, quatuor 120. unus 140. In regione Italiæ octava, centenum annorum censi sunt homines 54. centenum denum homines 57. centenum vicenum quinum homines duo, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres."

Atque ut ad nostra tempora propius accedamus: Thomas Ravennas in quinto capite libri "De vita hominis ultra 120. annos protrahenda," ad Julium III. pontificem scripti, inter alia, anno Christi MDXXXVI. Zaconum quendam ex Lacedæmone, annis fere 130. et alium ex eadem urbe ultra annos 130. supervixisse; et in Ægæo mari viros duos 130. annorum visos fuisse confirmat.

[a] 2 Chron. cap. 24. ver. 15. [b] Plin. lib. 7. cap. 48.
[c] Plin. lib. 7. cap. 49.

In[d] prœlio Flodonensi dux Anglus Jacobus Wenston, Prestonæ in Wenstondaile apud Eboracenses ortus, anno Domini MDC. annos 131. natus vitam finiit. In Hibernia Desmoniæ comitissa, Edovardo IV. in Anglia regnante, comiti marito nupta, meo tempore et viva fuit et vivida; circa annum demum vitæ 140. defuncta. Laurentium quendam Scotum anno ætatis 140. piscatum prodiisse, ex Buchanano[e] refert, in primæ orationis chronologicæ D. Paræi Elencho, Josephus Scaliger: de suo insuper adjiciens: "Nos possumus producere, quos 120. 125. 130. annos vitæ explesse scimus, vidimus, meminimus. Unus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiæ, anno Christi MDLXXXIV. qui miles pugnæ Montis Leherii interfuerat sub Ludovio XI. Is major annorum 140. omnibus membrorum officiis integris Lutetiam sese contulerat liticulæ cujusdam persequendæ causa." Quibus et illa addantur Jacobi Bonfrerii Jesuitæ: "Ante[f] annos paucos in finibus sylvæ Thuringiacæ repertus est senex unus, qui confirmationis sacramentum a suffraganeo episcopi Bambregensis accepit annos natus 150. qui jam filios haberet centenarios, nepotes septuagenarios, ut nostrorum literis accepimus, aliique ducenti qui annum centesimum excesserunt." Et ut tandem concludamus. Thomas Parrus Johannis filius Winningtoniæ in agro Sallopiensi quamdiu ille vixit, cum eo mansit: ipseque demum, anno Christi MCCCCLXXXIII. natus, quum 80. esset annorum primam uxorem duxit: cum qua 32. annos vixit; et sub qua commissi cum alia adulterii convictus, 105. annorum senex publicam in ecclesia Alberburiensi egit pœnitentiam. Quum annorum deinde fuisset 122. secundam accepit uxorem, quæ, quamdiu ille vixit, cum eo mansit: ipseque demum, nobilissimi Thomæ Arundelliæ et Surriæ comitis cura et sumptibus in Lectia Londinum perductus, sub finem Septembris anno MDCXXXV. et magnæ Britanniæ regi Carolo

[d] Vid. Andr. Melvin.

[e] D. Gualter Raleigh, histor. mundi, lib. 1. cap. 5. sec. 5. Fr. Bacon. de long. vita et L. Cork. genealog. Desmon. et Buchanan. rer. Scoticar. lib. fin.

[f] Ruth. cap. 1.

est exhibitus: quum annos 152. et menses aliquot vivendo peregisset; de quo præterea dici possit, quod post annos duos ædibus Arundelliæ mortuus est; et qui si aere patrio frui liceret, aliquot plures annos eum vivere potuisse est probabile. Ex his igitur satis apparet, ad nostra usque tempora nonnullos ultra annos non modo 120. aut 140. sed etiam 150. vitam produxisse: quos nemo miraturus est in tanta longævitate post annum 111. prolem, ex adolescentibus præsertim fœminis, suscipere potuisse.

CAP. XIII.

Annorum 479. inter exodum et templi Salomonici exordium intercedentium summa in membra sua integrantia dividitur: tempusque peregrinationis in deserto, partitionis terræ et primi anni sabbatici, cum annis judicum et primorum regum Israeliticorum, speciatim explicatur et confirmatur.

Ut intervalli, inter exitum ex Ægypto et jacta templi fundamenta interjecti, spatium distinctius possit intelligi; in quatuordecim illa membra, simul integram 479. annorum summam constituentia, dispertiri libuit.

	Ann.	Men.
I. Ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad transitum ab eis Jordanem,	40	
II. Inde ad finita bella, et quietem terræ per Josuam datam,	6	4
III. Inde ad quietem per Othonielem, debellato Cushane Mesopotamiæ rege, terræ restitutam,	40	
IV. Inde ad quietem per Ehudem, occiso Eglone Moabitarum rege terræ restitutam,	80	
V. Inde ad quietem per Deboram et Barak, profligato Jabinis regis Chananæorun exercitu, terræ restitutam,	40	
VI. Inde ad quietem per Gideonem, Midianitis devictis, terræ restitutam,	40	
VII. Inde ad initium regni Abimelechi filii Gideonis.	9	2
VIII. Abimelechi, Tolæ et Jairis, anni	48	
IX. Jephthæ,	6	
X. Ibsanis, Elonis et Abdonis,	25	
XI. Eli et Sampsonis,	40	
XII. Samuelis,	21	
XIII. Saulis regis,	40	
XIV. A morte Saulis ad jacta fundamenta templi Salomonici,	43	
Summa annorum,	479	

Primum membrum peregrinationis Israelitarum in deserto annos illos 40. complectitur, quorum toties in Scriptura fit mentio[a]; quanquam in loco illo, Josu. cap. V. ver. 6. Græca editio annos habeat 42. Ita enim cum Augustino, quæstione sexta in Josuam, legit codex noster Alexandrinus, itemque Romana editio atque Aldina, eamque secutæ Germanicæ omnes: licet in Complutensi editione, ad textum Hebraicum hic conformata, verba illa καὶ δύο reserta hic fuerint, et in Origenica, (ab Andrea Masio ex Syriaco suo exemplari expressa) ut in Græco textu superaddita, obelo signata conspiciuntur. Addita vero illa putantur, ex Numerorum cap. XIV. ver. 33, 34. ubi, reversis ex Chananæa post diem quadragesimum exploratoribus, anni ab exitu ex Ægypto secundo murmurantibus Israelitis moræ in deserto quadraginta annos hisce verbis a Deo decretos fuisse legimus: "Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationes vestras; donec consumantur cadavera vestra in deserto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die reputabitur; et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras." Et ex decreti illius complemento, a Mose ibidem cap. XXXII. ver. 13. sic exposito: "Iratus Dominus adversus Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis; donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu Domini." Inde enim in chronologiæ suæ libro primo, capite sexto, colligit Henricus Wolphius, anno secundo post exitum Israelitarum ex Ægypto, addendos esse hos "annos quadraginta quibus justo Dei judicio in desertum reducti et mortui sunt." Verum quum non hujus solius offensæ, sed etiam[b] cæterarum iniquitatum et fornicationum suarum pœnam hac quadraginta annorum mora in deserto luituros peccatores illos Deus dixerit; atque inter eos maxima, et quam vindicaturum se Deus

[a] Exod. cap. 16. ver. 35. Deuteron. cap. 2. ver. 7. cap. 8. ver. 2. cap. 29. ver. 5. Josu. cap. 5. ver. 6. Psal. 95. ver. 10. Nehem. cap. 9. ver. 21. Amos, cap. 2. ver. 10. cap. 5. ver. 25. Act. cap. 7. ver. 36. cap. 13. ver. 18.

[b] Vid. Deut. cap. 9. ver. 18—24.

significaverat, quum novi peccati occasione populus esset puniendus[c], vituli aurei adoratio fuerit, intra alterum ab egressu eorum ex Ægypto mensem admissa: ab ipso ex Ægypto exitu quadraginta horum annorum supputationem esse deducendam res ipsa postulat. Quum certum omnino sit a die decimum quintum mensis primi quo patres, Mose ducente, reliquerunt Ægyptum[d], usque ad ejusdem mensis diem decimum quo eorum filii, Josua duce, transierunt Jordanem[e], ipsis annis quadraginta complendis quinque defuisse dies.

Quum enim paulo ante eductos ex Ægypto Israelitas, Moses 80. et Aaron esset 83. annorum[f], anno ab exitu 40. mensis 5. die primo, Aaron mortuus est: annos 123. natus, in monte Hore vita excessit[g]. Quem per 30. dies Israelitæ in ea statione luxerunt; priusquam castrametati sunt ad torrentem Zeredi[h] quem transierunt 38. annis post relictam Kadeshbarneam, unde exploratores in Chananæam miserant; quum confecta jam esset tota illa virorum ætas, quos in deserto occubituros Dominus juraverat[i]. Unde 40. annos pro 38. dictos sensit Georgius Syncellus[k], rotundo videlicet numero posito pro diminuto: quomodo etiam in loco illo, Amos, cap. V. ver. 25. accipiendos eos esse docet Torniellus[k].

Eodem quoque anno illo ab exitu quadragesimo mensis undecimi die primo, Moses Deuteronomium populo proponere cœpit[l] et die primo sequentis mensis, ut vult Josephus[m], mortem obiit, quum 120. fuisset annorum[n]. Cui quum populus per 30. dies parentasset[o], ex ea statione castris motis, ad Jordanis ripas pervenit: ubi triduo consistens, mensis demum primi die decimo alveum ejus siccis pedibus transiit[p].

[c] Exod. cap. 32. ver. 34.
[d] Numer. cap. 33. ver. 3.
[e] Josu. cap. 4. ver. 19.
[f] Exod. cap. 7. ver. 7.
[g] Num. cap. 33. ver. 38, 39.
[h] Num. cap. 20. ver. 28, 29. cum cap. 21. ver. 4—12.
[i] Deuteron. cap. 2. ver. 14.
[k] Georg. Syncell. chron. pag. 137. 142.
[k] Tomiell. ad ann. mund. 2545. num. 66.
[l] Deut. cap. 1. ver. 3.
[m] Lib. 4. Antiquit. cap. ult.
[n] Deuteron. cap. 31. ver. 2. et cap. 34. ver. 7.
[o] Deuter. cap. 34. ver. 7, 8.
[p] Josu. cap. 3. ver. 1, 2. et cap. 4. ver. 19.

Cum igitur ante exitum ex Ægypto Aaron 83. Moses 80. annorum fuerit; et currente anno ab exitu quadragesimo, Aaron 123. Moses 120. annos natus vitam finierit; intra annum quadragesimum commorationem filiorum Israelis in deserto esse concludendam dubitare non licet, ac proinde, aliud nihil in illo numerorum loco Deum statuere voluisse, quam totam Israelitarum in deserto peregrinationem ad annos 40. esse extendendam; quemadmodum quadraginta dierum spatio terram exploratores lustraverant.

Secundi membri spatium, ex verbis illis Calebi ad Josuam colligitur: "Quadraginta[q] annos natus eram quando misit me Moses servus Domini de Kadesh-barnea ad explorandum terram;" et commate decimo: "Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Mosem, quando ambulabat Israel per solitudinem; et nunc ecce ego hodie natus sum octoginta quinque annos." Cum enim quievisset terra a bello, partitus est eam Josua tribubus Israelis cis Jordanem constitutis, initio a tribu Judæ facto[r]. Quo tempore ex ea tribu Calebus, oratione hac ad Josuam habita, Hebronem a Mose sibi promissam, possidendam obtinuisset: ut prius cap. XI. ver 23. ita hic denuo cap. XIV. ver. 15. ne celebris hic quietis terræ epocha ignoraretur, a Spiritu Sancto est repetitum; "והארץ שקטה משלחמה Quieta vero fuit terra a bello." Ab anni secundi migrationis ex Ægypto mense quinto, quo Kadesho-Barnea ad lustrandam terram exploratores fuisse missos, in Annalibus nostris est ostensum, numerati anni 45. in anno ab exitu 47. mense quinto, desinunt; et a transitu Jordanis annos 6. cum mensibus fere 4. principatus Josuæ relinquunt, cœptæ et quietis et partitionis terræ epocham, illis Calebi verbis præmonstratam. Hebræi in Seder Olam, capite undecimo, bellis Josuæ usque ad partitionem terræ septem annos attribuunt: Josephus[s] vero non plures quam quinque. Terræ enim explorationem biennio post exitum ex Ægypto

[q] Josu. cap. 14. ver. 7.

[r] Josu. cap. 11. ver. 23. cum cap. 13. ver. 7. cap. 14. ver. 1, 2. et cap. 15. ver. 1.

[s] Lib. 5. Antiquit. cap. 1.

factam ponentes, eique 45. Calebi annos addentes, ab exitu ad hoc usque tempus annos 47. numeraverunt. Moræ vero in deserto author Seder Olam, 40. tantum annos attribuens, iis ex 47. deductis, septem annos subjugationi terræ reliquit: Josephus vero, ut videtur, juxta aliorum rationes, de quibus in præcedente membro est dictum, errorem in deserto 42. annorum fuisse existimans, eo numero ex 47. subducto, annos quinque tantum reliquos factos invenit.

Sexto post transmissum Jordanem die, postridie Paschatis, comedentibus Israelitis de annona terræ, sequente die Manna cessavit[t]. Quum igitur, ut proximo autumno agriculturæ ab iis opera daretur, res exigeret: tum primum ab eis observari cœptum est præceptum illud: "Quum[u] ingressi fueritis in terram quam ego do vobis, tum sabbatizabit terra Domino. Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et colliges proventum illius. Anno vero septimo sabbathum cessationis erit ipsi terræ, sabbathum Domino: agrum tuum non seminabis, et vineam tuam non putabis." Itaque ut autumnus primi ab ingressu anni agriculturæ anno primo, ita autumnus anni ab ingressu septimi, primo anno sabbatico initium dedit; ille ipse videlicet autumnus qui cœptam quietem et partitionem terræ proxime est insecutus: atque ut ab autumno illo annorum sabbaticorum, ita ab hoc jubilæorum epocha est deducenda. Ut enim ab ingressu terræ, juxta illam Levitici legem, sabbaticorum iniretur ratio, agriculturæ communis (ante suas cuique tribui portiones assignatas) ad victum suppeditandum requirebat necessitas: et ut a terræ possessione, ejusque inter singulas tribus partitione, jubilæorum penderet calculus, peculiare illis supra alios annos sabbaticos annexum privilegium postulabat; quod neminem, illis advenientibus, extra propriam possessionem esse permittebat, quandoquidem, ad annum jubilæum respectu habito, contractus omnes ita temperari oportebat, ut annus quinquagesimus alienatis possessionibus quemque denuo restitueret[w]. A primo autem anno

[t] Josu. cap. 5. ver. 11, 12. [u] Levit. cap. 25. ver. 2, 3, 4.
[w] Levit. cap. 25. ver. 8—16. Numer. cap. 36. ver. 4.

sabbatico ad septimum, atque ita deinceps numeratione facta, utroque, ut moris est, incluso termino, et septem annorum hebdomadibus in medio relictis, jubilæus exurgebat; quemadmodum in singulari De sacris hebdomadibus tractatu, si Deus vitam et facultatem dederit, plenius declarabimus.

Tertium interim præsentis supputationis membrum ex verbis illis desumimus; "Et[x] quievit terra quadraginta annis:" non quod post devictum ab Othoniele Cushanem Risathaim regem Mesopotamiæ, per tot annos pace fruerentur Israelitæ: sed quod quiescere cœperit terra anno quadragesimo postquam quies in ea per Josuam constituta fuerat, uti in superiore capite est ostensum, intra illud spatium, non octo solum annis quibus Israelitæ Cushani servierant, sed etiam annis quibus post partitionem terræ supervixit Josua, et quibus seniores "prolongarunt[y] dies suos post Josuam," id est, Josuæ superstites fuerunt, comprehensis. Etsi enim post quietem Israeli a Deo datam, Josuam ימים רבים multis diebus, sive longo tempore superfuisse legamus[z]; simili tamen prorsus modo et bellum quoque eumdem antea cum Chananææ regibus ימים רבים longo tempore gessisse legimus[a]: quum omnia tamen cum iis commissa prælia, intra 6. annorum et 4. mensium spatium peracta fuisse, in secundo capitis hujus membro jam demonstratum viderimus. Ut intra 32. post cœptam terræ partitionem annos confecta ea fuerint omnia, et quæ sub Josua, in decem postremis libri illius capitibus, et sub senioribus illi superstitibus, in primo libri Judicum capitulo, et sub ἀναρχίᾳ insecuta, in quinque postremis ejusdem libri capitibus, contigisse referuntur.

Quæ vero in fine commatis 11. capitis III. libri Judicum leguntur verba, ad proxime sequentem versiculum referenda hunc in modum sunt: "Et mortuus est Othoniel Kenazi filius: atque iterum fecerunt filii Israel quod malum erat in oculis Domini;" quomodo de iisdem scrip-

[x] Judic. cap. 3. ver. 11.
[y] Josu. cap. 23. ver. 31.
[z] Josu. cap. 23. ver. 1.
[a] Ibid. cap. 11. ver. 18.

tum legitur supra: "Postquam[b] mortuus esset judex, revertebantur et multo faciebant pejora quam fecerunt patres eorum, sequentes deos alienos et servientes eis." Et infra: "Et[c] filii Israel iterum fecerunt malum in oculis Domini, quum mortuus est Ehud." Neque enim novum est, ut quæ ad eandem pericopen pertinent, in nostris libris a se invicem disjuncta conspiciantur. Quod ne mirum cuiquam videatur, sciendum est, biblicorum versuum distinctionem a primis Masorethis traditam, diversam multis in locis ab ea fuisse, quam a posterioribus Masorethis hodiernus usus retinet; indeque factum, ut[d] ab illis medius legis versus in והתגלח[e] ab his in וישם עליו את־החשן[f] esset designatus. Indeque R. David Kimchi[g] in 2 Chronic. cap. XXX. vocem בעד a fine versus 18. ad initium versus 19. transferre non veretur; "בעד כל לבבו הכין Pro omni qui cor suum paravit." Aliaque varia Scripturæ loca clarissimus Rainoldus[h] annotat: in quibus "accentus qui periodum et comprehensionem terminatam indicat, sæpe omissus quum addendus erat, sæpe additus quum omittendus." Quibus addere etiam liceat, quod Esaiæ capite LIII. in fine commatis noni legitur, cum sequentis commatis principio sic esse conjungendum: "Quamvis non fecerit violentiam, neque fuerit dolus in ore ejus: Deo tamen placuit conterere ipsum," &c.

Quartum membrum in loco illo, habetur expressum: "Et[i] quievit terra octoginta annis:" non quod per tot annos Israelitis Ehud præfuerit, quod ab omni verisimilitudine est alienissimum, sed quod occiso per Ehudem Eglone Moabitarum rege, cui per 18. annos Israelitæ servierant, quiescere cœperit terra anno octogesimo post priorem pacem ab Othoniele illi restitutam.

Quintum in illo: "Et[k] quievit terra quadraginta annis."

[b] Judic. cap. 2. ver. 19.
[c] Ibid. cap. 4. ver. 1.
[d] Talmud. Babylonic. in tractat. לרושין cap. 1.
[e] Levit. cap. 13. ver. 33.
[f] Ibid. cap. 8. ver. 8.
[g] Eliah, præfat. 3. Masoreth. hamasoreth.
[h] Rainold. prælect. 146. de libr. Apocryph.
[i] Judic. cap. 3. ver. 30.
[k] Ibid. cap. 5. ver. 41.

Quo similiter significatur, per Deboram et Barakum profligato exercitu Jabinis regis Chanaanis, qui per totos 20. annos Israelitas oppresserat, quiescere cœpisse terram, anno quadragesimo post priorem quietem ab Ehude illi redditam: intra illud spatium comprehenso etiam Samgaris tempore, qui post Ehudem Israelem vindicavit, percussis sexcentis Philistæis stimulo bovis[l].

Sextum in illo: "Et[m] quievit terra in diebus Gideonis annis quadraginta;" quorum verborum eadem etiam est sententia: per Gideonem debellatis Midianitis, quibus per septennium Israelitæ servierant, anno quadragesimo post quietem a Debora et Barako terræ redditam, quiescere eam denuo cœpisse in diebus Gideonis.

Septimi membri spatium in Scriptura non exprimitur; sed reliquorum omnium numerorum ex integra 479. annorum summa subductione colligitur. Ut enim qui a morte Josuæ primos "quietis terræ" annos dinumerant, et in sequentium judicum excessu terminant, ex hujusmodi deductione, 16. vel. 17. annos Josuæ præfecturæ tribuendos esse concludunt: ita et nos qui meliore, ni fallimur, ratione, a quiete ad quietem annorum supputationem instituendam esse censemus, sex primorum et postremorum membrorum numeris ex numero 479. subductis, annos 9. cum mensibus 2. spatio inter victoriam a Gideone de Midianitis partam, et exordium regni Abimelechi filii ejus interposito tribuendos, relinqui invenimus. Quod sic tamen accipi volumus, ut reliquorum membrorum annos omnes plenos fuisse ponamus. Nam quantum cuique anno ad perfectionem defuerit, tantundem membri hujus spatio addendum esse intelligimus.

Octavi membri spatium, ex Abimelechi[n] annis 3. Tolæ[o] 23. et Jairis[p] 22. conficitur; ubi notandum, idololatriæ Israelitarum, sub Abimelecho cœptæ, sub Jaire demum pœnas Deum repetivisse, immissis in eos Philistæis et Ammonitis. Etsi enim ante horum oppressionem mors Jairis in Scriptura commemoratur[q], tamen per prolepsin

[l] Judic. cap. 3. ver. 31.
[m] Ibid. cap. 8. ver. 28.
[n] Judic. cap. 9. ver. 22.
[o] Ibid. cap. 10. ver. 2.
[p] Jud. cap. 10. ver. 3.
[q] Ibid. ver. 5, 6, 7.

hoc fit; ut deinceps, ordine non interrupto, de causis, duratione et fine servitutis Ammoniticæ, a Jephta demum sublatæ, simul ageretur, cujusmodi ὕστερα πρότερα in ipso sequentis undecimi capitis initio, in Geneseos capite undecimo et alibi passim occurrunt. Ideoque quum Hebræi unico suo præterito, aliorum etiam plusquam perfectum comprehendant, locus præsens[r] ita reddi posset: "Et filii Israel iterum fecerant quod malum erat in oculo Domini," &c. Jam inde videlicet a morte Gideonis ad idolorum cultum reversi[s]. Itaque ad annum Jairis 5. referendum oppressionis hujus initium: ad 22. vero et ultimum, quod postea sequitur: "Hi[t] autem confregerant et conquassaverant Israelitas anno hoc," inquam decimo octavo, "omnes Israelitas, qui erant trans Jordanem," &c. illud vero ad priora principatus Jephtæ: "Fuit[u] autem post annos illos," octodecim scilicet jam dictis, uti exponit Tremellius, "cum bellum gererent Ammonitæ contra Israelitas," &c. In Eusebiano quidem chronico ita annotatum hic legimus: "post Jair Hebræos in ditionem redigunt Ammonitæ annos 18. qui cum temporibus posteriorum judicum computantur, secundum Judæorum traditionem." Verum eas cum verbo Dei scripto parum convenire comperimus. Nam in eo, calamitatis hujus anno 18. et ultimo, Jephta posteriorum judicum primo principatum nondum adepto, Israelitis resipiscentibus et deos alienigenarum e medio sui removentibus, misertus eorum Deus fuisse legitur[w]. Deinde, debellatis a Jephta Ammonitis et viginti eorum civitatibus captis, Ammonitæ plaga magna admodum percussi, et a facie Israelitarum depressi fuisse dicuntur[x], unde manifestum est, ad consequentium judicum tempora Ammoniticæ oppressionis annos istos 18. referri non posse. Denique ex dissidio illo, quod post depressos Ammonitas, inter Ephraimitas et Jephtham capite duodecimo ortum fuisse narratur, in quo Ephraimitarum ad Jordanem jugulata sunt 42. millia,

[r] Jud. cap. 10. ver. 6.
[s] Ibid. cap. 8. ver. 33.
[t] Jud. cap. 10. ver. 8.
[u] Ibid. cap. 11. ver. 4.
[w] Jud. cap. 10. ver. 16.
[x] Ibid. cap. 11. ver. 33.

colligitur, Israelitas pristina libertate recuperata tum ab Ammonitarum, tum a Philistæorum servitute fuisse immunes: quippe qui alias non contra se invicem, sed junctis viribus contra communes hostes fuissent depugnaturi[y]. Et Jephtham, cum Ammonitis congressurum, objecisse illis legimus, Israelitas per annos trecentos in terra Galaaditica habitavisse[z], quum ab occupata ab his terra illa anno 40. post exitum ex Ægypto usque ad hoc tempus, non plures quam 264. anni juxta nostras rationes intercesserint. Ad quod recte cum aliis respondent Torniellus[a] et Bonfrerius; non curavisse Jephtam numerum assignare cui nihil deesset aut superesset, sed potius majorem numerum assumpsisse; sive causam suam juvaret, sive quia modus loquendi vel Scripturæ vel hominum passim id ferebat.

Nonum membrum ex 6. annis Jephthæ constat[b]. Eum trecentos dixisse perfecto et rotundo usum numero, propterea quod magis ad trecentos quam ad ducentos is numerus accederet. Quum autem temporis præscriptione, in possessionibus suis tuendis, contra adversarios utentibus, amplificare eam potius quam diminuere in more sit positum: suam potius quam nostram hic evertunt hypothesin, qui hoc adversus nos argumento pugnantes, indeque evincere se posse putantes, oppressionum annos in majoribus aliis non esse includendos, ipsi suo calculo plures quam 300. annos Jephthæ præscribendos hic relinquunt.

Decimum membrum ex Ibsanis[c] annis 7. Elonis[d] 10. et Abdonis[e] 8. constituitur. Eos judices Galaaditis tantum et tribubus Transamnanis, per Jephtham ab Ammonitarum servitute liberatis præfuisse Nicolaus Abramus[f] censet; Eli interim pontifice aliis tribubus, Philistæorum

[y] Vide Massæum in 5. libro chronic. Mercatorem in Demonstrat. temporum methodi, cap. 1. Salianum initio anni mundi 2832. libro 9. Harvillæum in 4. temporis periodo, sect. 53. difficult. 8. Bonfrerium in Judic. cap. 10. ver. 8. et Henricum Philippi in lib. Judic. quæst. 7.

[z] Jud. cap. 11. ver. 26.

[a] Torniell. ann. mund. 2591. num. 18. et 2849. num. 3.

[b] Jud. cap. 12. ver. 7.

[c] Ibid. ver. 9.

[d] Jud. cap. 12. ver. 11.

[e] Ibid. ver. 14.

[f] Abram. Phar. Vet. Test. lib. 10. cap. 12.

jugo adhuc pressis, jus dicente. Sed licet Jephtha, devictis Ammonitis, ex pacto cum suis inito Galaaditicam solum præfecturam consecutus fuerit[g], cæsis tamen postea 42. Ephraimitarum millibus[h], et post eum Ibsan Bethlehemita itemque Elon Zebulonita et Abdon Ephraimita, Israelem judicavisse dicitur[i]; totum utique, non illius portionem, a maxima et potissima Israeliticæ terræ parte, Jordane intercurrente, seclusam. Nam et eodem loquendi genere ante Jephtham, tam Tola quam Jair Israelem judicavisse leguntur[k]: neque alias justa aliqua reddi poterit ratio, quare post Jephtham Galaaditæ non tribulium suorum aliquibus potius, quam aliis ex tribu Judæ, Zebulonis et Ephraimi delectis, sese regendos permitterent.

Hic etiam præterea est notandum, Elonis judicis annos 10. ab Eusebio esse prætermissos; tanquam in Septuaginta interpretum editione non repertos. Sic enim ille, in chronico, "Post Esebon," ita Ibsanem ille appellat, "in libro Hebræorum fertur judex Elon rexisse populum annos 10. qui non habetur apud Septuaginta interpretes;" et eum secutus Beda, in libro de temporibus: "Hic cum annis decem suis in Septuaginta interpretibus non habetur." Contra tamen Anianus Alexandrinus monachus Eusebium hic incusans: "'Αωδὼν τὸν κριτὴν οὐκ ἐστοιχείωσεν, κρίναντα τὸν Ἰσραὴλ ἔτη δέκα· οἱ δὲ ἑβδομήκοντα ἑρμηνευταὶ ἑνδέκατον κριτὴν αὐτὸν ἔταξαν. Præterea Aodon judicem non recensuit, Israelem decem annis judicantem: Septuaginta vero interpretes undecimum eum judicem posuerunt;" ubi Aodi nomine Elonem intellectum fuisse constat: non Aodum sive Ehudem, secundum judicem Eglonis interfectorem, ut falso sibi hic persuasit Scaliger[m]. Et sane Ælonem, cum suo decennio, non nostri solum libri Græci omnes habent, sed illi etiam quibus usus est antiquissimus scriptor Theophilus Antiochenus, in libro primo ad Autolycum, atque ii etiam,

[g] Jud. cap. 11. ver. 9, 10.
[h] Ibid. cap. 12. ver. 6, 7.
[i] Judic. cap. 12. ver. 8—14.
[k] Ibid. cap. 10. ver. 2, 3.
[l] Georg. Syncell. chron. pag. 36.
[m] Animad. in Euseb. num. 613.

quod mireris, quos in libro decimo De præparatione evangelica, capite decimo quarto, secutus est ipse Eusebius. E quorum idcirco calculum eo modo augentium numero Georgius Syncellus. Nam Clementis Alexandrini corruptus ille locus est, libro primo Stromatum: "Ἀβατθὰν ἔτη ζ. ἔπειτα Ἐβρὼν ὁ Ζαβουλωνίτης, ἔτη ὀκτώ· ἔπειτα Ἐγλὼ Ἐφραὶμ ἔτη ὀκτῳ. Ἔνιοι δὲ τοῖς τοῦ Ἀβαττὰν ἔτεσιν ἑπτὰ, συνάπτουσι τὰ Ἐβρὼμ τεσσαράκοντα ἔτη. Abadthan (is Ibsan est) annis 7. Deinde Ebron (is Elon est) Zabulonites, annis 8. Deinde Eglom (Abdon ille est) ex Ephraim, annis 8. Nonnulli vero cum Abattanis (sive Ibsanis) annis septem conjungunt Ebromi (sive Elonis) annos 40." vel 4. potius; ut in Latina sua versione Gentianus Hervetus emendavit. Nam vel 4. vel 3. quot annos Egloni sive Eloni in Nicephori Constantinopolitani chronologia tributos videmus, hic legi oportere, illud arguit, quod numerus ille ab aliis in alterius septenario, tanquam majore numero, inclusus fuisse, significetur: quod perinde est, ac si Elonis annos illi cum Eusebio prorsus præteriissent. De commentitio enim illo, quem hic sibi Scaliger[n] finxit, χιασμῷ sive trajectione, nihil opus est ut lectorem admoneam. Ex quibus omnibus liquet, quam incerta olim, ut alibi, ita et hic editionis, quæ Septuaginta interpretibus tribuitur, lectio: aliis eum cum annis suis plane prætermittentibus; aliis 10. aliis 3. vel 4. annos illi assignantibus; nonnullis Αἰαλὼν vel Αἰλὼν, ut apud Theophilum, eum nuncupantibus, aliis Ἐγλὼν, ut apud Nicephorum CP. aliis Ἐβρὼν ut apud Clementem, et aliis Ἀώδον, ut apud Anianum; neque hujus generis aliud quid est quod hic adjiciam, quam quod a Georgio Syncello est notatum; Abdoni judici Julium Africanum annos tribuisse 20. pro 8. errore, ex Græcorum numeralium κ et η similitudine facillime orto.

Ad undecimum membrum referuntur quadraginta illi anni quibus Philistæi oppressisse dicuntur Israelem[o].

[n] Animad. in Euseb. num. 832. [o] Jud. cap. 13. ver. 1.

CHRONOLOGIÆ SACRÆ

PARS POSTERIOR

DE ANNIS REGUM

ISRAELIS ET JUDÆ.

CHRONOLOGIÆ SACRÆ

PARS POSTERIOR.

Ut regum Judæ et Israelis annorum calculum, qui admodum perplexus est, commodius assequamur, duæ periodi distincte sunt considerandæ, in quarum capite utriusque regni principum initia concurrunt. Prior est, a principio Rehoboami regis Judæ et Jeroboami Israelis, usque ad Achaziæ Judaici et Jehorami Israelitici exitum: posterior, ab initio Athaliæ quæ Judæ, et Jehu qui Israelis regnum invasit, usque ad regni Israelitici excidium, quod in fine anni sexti Ezechiæ regis Judæ contigit. Quum enim, ex 2 Regum capite IX. eodem tempore Achaziam et Jehoramum a Jehu occisos constet: cum illorum exitu ipsius Jehu et Athaliæ simul conjunctum esse initium, manifestum est. Et licet inter mortem Salomonis, quam statim excepit regni Rehoboami initium, et distractionem regni Israelitici, quæ Jeroboami dominatui principium dedit, bimestre fere temporis spatium intercesserit, Scriptura tamen regnum Rehoboami, in Juda, et Jeroboami in Israele ab eodem deducit principio. Cum enim septemdecim annos Hierosolymis regnavisset Rehoboam; ei defuncto filius Abia anno octodecimo Jeroboami successisse memoratur[a]; quod recte dici non potuisset, si ab altiori termino Rehoboami quam Jeroboami numeratum fuisset exordium.

[a] 1 Reg. cap. 14. ver. 21. 31. cum cap. 15. ver. 1. similiterque, 2 Chronic. cap. 12. ver. 13. 16. cum cap. 13. ver. 1.

In priori igitur periodo, sequentibus regibus hosce annos sacra tribuit historia.

JUDÆ.		ISRAELIS.	
I. Rehoboam,	annos 17.	I. Jeroboam,	annos 22.
II. Abia,	3.	II. Nadab,	2.
III. Asa,	41.	III. Baasa,	24.
IV. Jehosaphat,	25.	IV. Ela,	2.
V. Jehoram,	8.	V. Zimri,	dies 7.
VI. Achazia,	1.	VI. Omri,	annos 12.
		VII. Achab,	22.
		VIII. Achazia,	2.
		IX. Jehoram,	12.

Ubi, quum paria deberent esse spatia: regum Judæ tamen numeri 95. tantum annorum, Israelis annorum 98. et dierum 7. summam exhibent. Quare ut propior adhuc fiat exæquatio, utrorumque instituenda est collatio quam ex libris Regum, ita delineare possumus.

JUDÆ.		ISRAELIS.
Rehoboam, annos 17. 1 Reg. cap. 14. ver. 21.	1	1 Jeroboam, annos 22. 1 Reg. cap. 14. ver. 20.
	2	2
	3	3
	&c.	&c.
	16	16
	17	17
Abiah, annos 3. incipiens 18. Jeroboami, 1 Reg. cap. 15. ver. 1.	1	18
	2	19
	3	20
* Asa, annos 41. incipiens 20. Jeroboami; Reg. cap. 15. ver. 9, 10. desinente scilicet.	1	21
	2	22 1. Nadab, annos 2. incipiens 2. Asæ; 1 Reg. cap. 15. ver. 25.
	3	1 2. Baasa, annos 24. incipiens 3. Asæ; 1 Reg. cap. 15. ver. 33.
	4	2
	5	3
	6	4
	&c.	&c.
	24	22
	25	23

JUDÆ.		ISRAELIS.
26	24	1. Ela, annos 2. incipiens 26. Asæ; 1 Reg. cap. 16. ver. 8.
27	1	2. Zimri, 7. diebus: anno Asæ 27. 1 Reg. cap. 16. ver. 10. 15.
		* Omri, anno 31. Asæ regnare cœpit, et 12. annis regnavit; 1 Reg. cap. 16. ver. 23.
28	2	
29	3	
30	4	
31	5	
32	6	
33	7	
34	8	
35	9	
36	10	
37	11	
38	12	1. Achab, annos 22. incipiens 38. Asæ; 1 Reg. cap. 16. ver. 22.
39	2	
40	3	
* Jehosaphat, annos 25. incipiens 4. Achabi; 1 Reg. cap. 22. ver. 41, 42. ad finem vergente scilicet. 41	4	
1	5	
2	6	
3	7	
&c.	&c.	
16	20	
17	21	1. Ahaziah, annos 2. incipiens 17. Jehosaphati; 1 Reg. cap. 22. ver. 51.
18	22	2.
19	1	* Jehoram, annos 12. incipiens 18. Jehosaphati, 2 Reg. cap. 3. ver. 1. desinente scilicet.
20	2	
21	3	
22	4	
Jehoram, annos 8. incipiens 5. 1.23 Jorami Israelitici; 2 Reg. cap. 2.24 8. ver. 16, 17. 3.25	5	
4	6	
5	7	
6	8	
7	9	
Ahaziæ, annum 1. incipiens Jo- 1.8 rami Israelitici 12. 2 Reg. cap. 8. ver. 25, 26.	10	
	11	
	12	

In isto diagrammate, Regum principia, quæ præcipue hic spectanda, ad eundem regis *συγχρόνου* annum referri vides, qui in sacra Scriptura habetur expressus: quatuor tantum exceptis locis, quos apposito asterisco prænotavimus. Eorum præcipuus ille est, qui Omrin regem spectat, Samariæ conditorem. Cum enim anno 31. Asæ regnavisse dicatur[r], et anni duodecim ei assignentur: non a 31. sed a 27. Asæ deducendos eos esse communis chronologorum est sententia: quandoquidem alias, Asæ, qui 41. regnavit annos, superstes fuisset Omri, eoque adhuc regnante principatum iniisset Jehosaphat, quum tamen filius et successor Omri, Achabus anno 38. Asæ, atque Jehosaphatus anno 4. Achabi, regnare cœpisse memorentur[s].

Ita igitur res sese habuit. Sublato Zimri, anno 27. Asæ, in partes populus Israeliticus est divisus: Thibnin una, Omrin altera parte sequente[t]. Æmulo deinde Thibni mortuo solus imperavit Omri anno Asæ 31. ita tamen ut in legitima annorum serie continuanda, annorum illius 12. numerus non a monarchia hac, sed a primo ipsius dominio sit repetendus. Quod et in Latina sua versione ita exprimendum censuit Tremellius: "Anno trigesimo primo completo Asæ regis Jehudæ, (regnavit enim Homri super Israelem duodecim annis,) Thirtzæ regnabat[u] sexto anno; quum emit montem Schomronis a Schemero duobus talentis argenti." Quæ tamen verborum translatio nobis omnino esse videtur coactior.

Tres loci reliqui minus habent difficultatis: ut qui supponant tantum numerum annorum regis, cum quo alterius initium comparatur prope completum fuisse; re ipsa illud postulante. Et cum in annorum serie recte digerenda, id imprimis curandum sit, ut anni absoluti ab incompletis distinguantur: in hac periodo est observatum, extremos regum annos plerosque omnes, Judæ quidem plenos, Israelis vero inchoatos esse accipiendos. Cum enim Rehoboamus una cum Jeroboamo annis 17. regna-

[r] 1 Reg. cap. 16. ver. 23.
[s] 1 Reg. cap. 16. ver. 29. et cap. 22. ver. 41.
[t] 1 Reg. cap. 16. ver. 15. 21. [u] Vel regnaverat.

visse dicatur, eidemque Abiah filius anno 18. Jeroboami in regno successisse: et 17. Rehoboami illos plenos fuisse, et Jeroboami 18. inchoatum facile intelligitur. Deinde cum per triennium regnans Abiah, successorem habuisse Asam anno Jeroboami 20. memoretur: et Abiæ tertium, et Jeroboami illum vicesimum prope completum fuisse, a diligentioribus chronographis est notatum; ita ut Asæ primus cum vicesimo Jeroboami aliquot tantum dies, cum proximo vero annum pene integrum communem habuerit. Aliter enim Nadabus statim post Jeroboamum patrem mortuus fuisset: cum tamen post illius mortem regnum eum accepisse, et ultra integrum annum illud tenuisse appareat[w].

Sic et Asæ quoque annos 41. integros tribuentes, initium filii et successoris ejus Jehosaphati in anno quarto Achabi ad finem tendente collocamus. Alioqui ipsius Achabi filius et successor Achazia patri vel non omnino, vel per paucos tantum dies fuisset superstes, quæ eadem etiam nos movit ratio, ut Jehorami, in regno Israelitico fratris Achaziæ successoris initium ad Jehosaphati annum 18. pariter desinentem referremus. Et quidem ex attenta sacri contextus consideratione colligi posse videtur, Achabum et Jehosaphatum eodem fere tempore filios suos proreges constituisse, consilio, ut a viro[x] prudente est observatum, ab Achabo profecto, qui suo fortasse exemplo affinem regem ad eundem honorem filio Jehoramo deferendum invitare voluerit: ut eo splendidior genere, et cum eo Athaliæ filiæ suæ conditio atque status eminentior obtingeret. Hinc Ahazia, Achabi filius anno Jehosaphati 7. cœpisse, et biennio super Israelem regnavisse legitur[y]; cujus biennii ut majorem partem vivente patre Achabo fuisse exactam, synchronismi ratio dubitare nos non sinit: ita et reliquam, qua mortuo patre non vicariam jam, sed absolutam potestatem obtinebat, undecim dierum, ut Codomano placuit, aut ejusmodi minutulo tem-

[w] 1 Reg. cap. 14. ver. 20. collat. cum cap. 15. ver. 25.
[x] D. Walter. Raleigh, hist. mund. lib. 2. cap. 20. parag. 1.
[y] 1 Reg. cap. 22. ver. 51.

poris spatio non esse cohibendam, illud suadet: Quod societatem cum Jehosaphato in Ophiritana expeditione, primum negatam ac ulteriore demum solicitatione obtentam, inierit, et classem simul cum eo Ezione Geberis paraverit[z]; deinde membrorum contusione, quam ex casu contraxerat, laborans, ab Elia propheta tertia vice accersito responsum acceperit, ex lecto non esse descensurum, sed ex ægritudine illa tandem omnino moriturum[a].

Illi vero mortuo frater Jehoramus in regno Israelitico successisse dicitur, anno secundo *ὁμωνύμου* Jehorami filii Jehosaphati regis Judæ[b]; quod commodius explicari non potest, quam illa admissa hypothesi, quæ eodem illo anno 17. Jehosaphati, Jehoramum ejus filium Judæ proregem constitutum fuisse, ejusdem vicariæ potestatis anno 2. Jehosaphati patris desinente 18. mortuo fratri Achaziæ successisse in regno Israelitico Jehoramum alterum, ex prorege jam regem factum. Cujus deinde ita regnantis anno 5. Jehoramum quoque Judæ prorẽgem a vivente patre Jehosaphato, jam seniore, regni factum fuisse consortem, et quasi ex Cæsare creatum Augustum, locus ille clare indicat: "Anno[c] quinto Jorami filii Achabi regis Israelis Jehosaphato existente tunc rege Judæ, regnavit Jehoram filius Jehosaphati rex Judæ."

Sic et ipsum Jehoramum Judaicum, intestinorum incurabili morbo laborantem, filium Ahaziam proregem constituisse anno Jehorami Israelitici undecimo colligimus[d]: qui, patre deinde mortuo, regnum adierit anno ejusdem Jehorami duodecimo, et per anni fere spatium illud administraverit[e]. Cum enim aliquam partem duodecimi anni Jorami Israelitici octavus (licet inchoatus) annus Jehorami Judaici occupaverit, (posito, cum Scriptura[f] in anno quinto Israelitici Jorami regni ipsius exordio:) initium Ahaziæ nullum locum in undecimo Jehorami Israelitici habere poterat, nisi aliquod ille imperium vivente patre obtinuisset. Unde

[z] 1 Reg. cap. 22. ver. 49. 2 Chron. cap. 20. ver. 36.
[a] 2 Reg. cap. 1. [b] Ibid. ver. 17.
[c] 2 Reg. cap. 8. ver. 16. [d] Ibid. cap. 9. ver. 29.
[e] 2 Reg. cap. 8. ver. 25. [f] Ibid. ver. 16.

simul cum patre Jehosaphato triennio Jehoramum, et post patris mortem, tum ipsum tum Ahaziam filium quinquennio, regnavisse concludimus. Ita igitur anni chronologici regum Judaicorum hujus periodi eorumque initia ad annos mundi accommodata repræsentari poterunt: ab Israelitici regni distractione (quam circa tertii mensis diem 23. contigisse supra ostendimus) ducto principio.

A. M. 3029. circa mensis 3. diem 23. Rehoboam, annos 17.
3046. circa mensis 3. diem 23. Abiah, annos 2. menses 11. dies 17.
3049. circa mensis 3. diem 10. Asa, annos 41.
3090. circa mensis 3. diem 10. Jehosaphat, annos 25.
3115. circa mensis 3. diem 10. Jehoram, annos 4. mensem 1. circiter.
3119. circa mensis 2. diem 10. Ahazia, menses 11.
3120. circa mensis 3. diem 10. principium sequentis periodi.
Summa est annorum 90. mensium 11. dierum 17.

Ad quam Israeliticorum regum anni hoc conformandi sunt modo. Ab initio Rehoboami ad decimum octavum Jehosaphati prope completum quo Jehoramum, postremum hujus periodi regem Israeliticum, imperare cœpisse diximus; annos fere 79. effluxisse vidimus. At sex primorum regum Israeliticorum anni in Scriptura expressi, Jeroboami 22. Nadabi 2. Baasæ 24. Elæ 2. Omri 12. et Achabi 22. summam annorum 84. constituunt: præter septem dies Zimri, et tempus illud quo Ahaziam patri Achabo superstitem fuisse ostendimus. Postremi ergo anni sex illorum regum inchoati tantum fuisse supponantur: sic ut dimidiatus fere mensis pro postremo cujusque anno computetur, et octo circiter menses Ahaziæ post patris mortem tribuantur: ea tamen lege, ut siquid supra semestre spatium ultimis regum illorum annis foret addendum, tantumdem ab Ahaziæ tempore detrahendum fuisse intelligatur. Quod cum sciri omnino non possit, et ut sciatur non multum admodum intersit: assignato πλατυκῶς cuique regum semestri isto, eandem annorum 90. mensium 11. et dierum 17. summam exhibens, chronologicorum annorum hujusmodi exurget dispositio, et ad annos mundi applicatio.

A. M. 3029. circa mensis 3. diem 23. Jeroboam, annos 21. dies 15.
3050. circa 4. mensis diem 8. Nadab, annum 1. dies 15.
3051. circa 4. mensis diem 23. Baasa, annos 23. dies 15.
3074. circa 5. mensis diem 8. Ela, annum 1. dies 15.
3075. circa 5. mensis diem 23. Zimri, dies 7.
3075. circa 5. mensis diem 30. Omri, annos 11. dies 15.
3086. circa 6. mensis diem 15. Achab, annos 21. dies 15.
3107. circa 6. mensis diem 30. Ahazias, menses 8. dies 10.
3108. circa 3. mensis diem 10. Jehoram, annos 12.
3120. circa 3. mensis diem 10. principium sequentis periodi.

Cum enim verno tempore, " quo[g] solent reges ad bella procedere," et Jehoramus Israelis et Ahaziah Judæ rex, ad bellum cum Hazaele gerendum, Ramothas Giliadis profectus fuisset, et vulnerato Jehoramo uterque domum rediisset; Jehu, cum reliquis copiarum principibus et toto Israele, ad urbem adversus Hazaelem custodiendam, relictus est[h]. Ubi quum in regem Israelitarum, juxta Dei mandatum, fuisset unctus, et Jehoramum qui æger ibi decumbebat, et Ahaziam qui ad illum invisendum eo venerat, e medio sustulit, vere, ut historiæ series patefacit, jam adulto; in quo et hujus periodi exitum, et sequentis initium, eam ob causam reponimus: circa decimi videlicet mensis diem tertium; ut infra mox declarabimus.

Interim, quum " tres esse difficultates in regum historia" Matthæus Beroaldus[i] affirmet, " quæ egent sapientiæ cœlestis afflatu, ut aperiri et intelligi possint;" earumque priores duæ ad hanc spectent periodum: harum explicationem, in parte hujus capitis reliqua, prius placuit absolvere. Sic igitur ille: " Baasa[k] rex Israel dicitur muro circumdedisse Rama, anno trigesimo sexto regis Asæ[l]; a obiisse Baasam 26. anno Asæ colligitur[m] ex 1 Regum cap. XVI. ver. 6. 8. ubi eo anno Ela, patre Baasa defuncto, regnum Israeliticum cepisse dicitur." Hunc nodum Cajetanus[n], Lucidus[o] et Canus[p], cum solvere non

[g] 2 Sam. cap. 11. ver. 1. Vide hac de re Laurent. Codoman.
[h] 2 Reg. cap. 8. ver. 28, 29. et cap. 9. ver. 14, 15.
[i] Beroald. chron. lib. 3. cap. 5.
[k] Aliam dat Paludanus, pag. 242. 243.
[l] 2 Chronic. cap. 16. ver. 1.
[m] Vid. Harvill. et Mendoz.
[n] Cajetan. in 2 Paralip. cap. 15, 16.
[o] Jo. Lucid. lib. 2. tempor. cap. 9.
[p] Melch. Canus, Loc. theologic. lib. 11. cap. 5.

potuissent, dissecuerunt: exemplaria Hebræa, Græca, et Latina, tum in hoc, tum in loco eodem genuino 2 Chron. cap. XV. ver. 19. corrupta esse pronunciantes; gravi et prudenti Abulensis illa præmonitione rite prius non expensa: "Ista[q] est periculosa solutio, quia si in uno loco Scripturæ corruptionem esse fateamur, de omnibus aliis locis dubitabimus, an corruptio ibi sit: sicut dicit Augustinus," et habetur in Decretis[r], "quod si aliquod mendacium in sacra Scriptura confitemur, nullam auctoritatem inde relinquemus. Ideo," inquit, "aliam solutionem cogita, si occurrat." Occurrit vero facilis ista solutio, quam dat Tremellius, quum regna modo a populis denominentur, modo a personis regnantibus; regnum Asæ hic appellari regnum Judæ, a diviso populo quod tunc obtinebat Asa. Cum enim confecto bello Æthiopico, Hierosolymam rediisse dicatur Asa, anno regni decimo quinto, in 2 Chronicorum cap. XV. ver. 10. in postremo ejusdem capitis versiculo subjicitur: "Bellum enim non fuerat, usque ad annum trigesimum quintum regni Asæ." Ad annum vero Asæ 15. additis annis Rehoboami 17. et Abiæ 3. exurgit annus 35. regni Judaici ab Israelitico sejuncti.

Posterior longe majore difficultate premitur locus: "Filius[s] quadraginta duorum annorum erat Ahaziah, quum regnaret ipse, et anno uno regnavit Hierosolymis: et matri ejus nomen Athalia filia Omri." At Joram patrem Achaziæ vixisse tantum annos quadraginta colligitur ex 2 Chronicorum cap. XXI. ver. 20. ubi dicitur Joram triginta duorum annorum fuisse quum regnare cœpisset, et octo annis regnasse Hierosolymis. Atque hic etiam post alios, novissime Dionysius Petavius, "Necesse[t] esse in Hebræis codicibus," quibus et Latinos suos addere poterat, "numerum esse corruptum" asserit "et[u] pro 42. legendum 22." quæ sane solutio ut ob lapsus facilitatem magis probabilis, ita et ob codicum quorundam consensum minus temeraria est censenda quam Melchioris Cani illa su-

[q] Tostat. in 2 Paralip. cap. 16. quæst. 3.
[r] Distinct. 9. cap. Si ad Scripturas sacras.
[s] 2 Chronic. cap. 22. ver. 2.
[t] Petav. Rationar. temp. part. 2. lib. 2. cap. 11.
[u] Ex 2 Reg. cap. 8. ver. 26.

perior, quæ in annis 35. et 36. regni Asæ omnia Bibliorum exemplaria quæ extant falsi insimulare est ausa. In literarum enim numeralium כב scriptione, adeo proclivis est mutatio כ in מ ut etiam absque librarii culpa, fibra vel lineola aliqua in ipsa membrana prominente, accidere illa posset: quemadmodum eruditissimum et amicissimum Josephum Medum disserentem aliquando me audire memini. Nec solum in Græcis aliquibus[w] MSS. (nam in Sixtiana editione Septuaginta interpretum, quam solam produxit Petavius, 20. hic anni tantum leguntur) sed etiam in Bibliis Syriacis, quibus a primævis temporibus ecclesia Antiochena est usa, non ex Septuaginta interpretum lacunis, sed ex ipso Hebræo fonte traductis, idem hic qui in 2 Regum cap. VIII. ver. 26. expressus habetur numerus. Consulto enim apographo, quod ex Antiocheni patriarchæ exemplari magno pretio describendum curavi, et superiora illa de 35. et 36. regni Asæ eadem, et pro 42. Achaziæ annis 22. hoc loco positos reperi.

Quod si minus tamen tuta ista existimetur responsio: de idiotismo illo cogitandum erit, in Saule[x] בן שנה filio anni, a doctis ita exposito; ut ea loquendi formula, non anni semper intelligantur a nativitate deducti, sed etiam ab epocha aliqua alia, quocunque modo spectante ad eum qui tot annorum filius fuisse dicitur. Quam hic quidem extra versiculum propositum non opus fuerit quærere; in quo matri Ahaziæ nomen fuisse refertur Athalia filia Omri. Neque enim vel Ahaziam ipsum, vel universi regni Judaici statum quicquam propius attingebat, quam ortus Athaliæ, fœminæ non mariti solum et filii, sed etiam ad totius reipublicæ et regii imprimis seminis perniciem natæ: quippe quæ et illos consiliis suis perdiderit, et post illorum excessum, tota fere extincta domo regia, dominatum[y] in terram Judæ ipsa sibi arripuerit. Ubi quum statim post Achaziam, et multo quam ille diutius, Judaici regni solium occupaverit: ut illius natalis, more in aliis

[w] Ut Not. Nobilius, et MSS. Oxon. Cantabr. et P. Junii.

[x] 1 Sam. cap. 13. ver. 1.

[y] Quæ non mea solius, sed etiam M. Paludani conjectura fuit; qui in regum temporibus dirigendis præ aliis operam navavit.

regibus servari solito, in 2 Regum cap. VIII. ver. 26. aperte; ita quoque et matris ipsius, in 2 Chronicorum cap. XXII. ver. 2. involute significatus fuisse videatur.

Et hic quidem in Hebræo textu trajectionem esse obscuriorem Tremellius notavit, cujusmodi in 1 Sam. cap. XX. ver. 19. Ezræ cap. X. ver. 17. et Nehemiæ cap. XII. ver. 22. esse ait; atque ita locum interpretandum esse censuit: " Cujus matri nomen Hathalia nata Homri, agentis quadragesimum secundum annum quum Achazia regnaret, qui anno uno regnavit Jerushalaimis." Quæ trajectio si a genuini textus simplicitate cuipiam non videatur alienior: mutato tantum casu, ut loco *agentis* reponatur *agens*, et ad ipsam Athaliam, non avum illius Omrim, sequens anni 42. notatio referatur; eandem ipsam, quam nos proposuimus exhibebit sententiam. Et convenit certe magis, tam cum verborum proprietate, ut Athalia ætatis, quam ut Omri regni sui annum 42. egisse hic intelligatur; quam cum rei ipsius natura, quæ non ab Omri, sed ab Achabo ea mali semina traxisse Athaliam nos edocet, quæ conatu tam improbo per Judæam universam diffundere nefaria fœmina laboravit, ut patris Achabi et matris Jezebelis filiam posses agnoscere, unde neque maritum illius Jehoramum, neque filium Ahaziam eo nomine insimulatos legimus; quod peccato Omri, sed quod Achabi scelere, et se, et regna sua polluerint. Unde post verba citata, textus sacer de Achazia statim subjicit: " Hic[a] etiam ambulavit in viis domus Achabi: nam mater ejus erat consiliaria ejus ad improbe agendum. Itaque fecit quod malum videtur in oculis Jehovæ sicut domus Achabi: ipsi enim erant ei consiliarii post mortem patris ejus, adeo ut perdiderint eum;" et brevius: " ambulavit[b] in via domus Achabi, fecitque quod malum videtur in oculis Jehovæ sicut domus Achabi; quia gener domus Achabi erat." Hoc enim discrimen inter peccatum Omri et Achabi erat: quod ille in via Jeroboami filii Nebati ambulaverit; hic vero insuper, accepta uxore Jezebele regis Sidoniorum filia, in illius gratiam, cultum Baalis[c]

[a] 2 Chron. cap. 22. ver. 3, 4.
[b] 2 Reg. cap. 8. ver. 27.
[c] 1 Reg. cap. 16. ver. 31.

introduxerit. Athaliæ vero opera, non Omri avi, sed Achabi patris idololatria, non vitulorum Jeroboami, quos Juda non agnovit, sed Baalis Sidoniorum cultus longe tetrior in regnum Judæ est invectus, et a filiis ejus studiose propagatus. " Athalia enim improbissime se gerente, filii ejus perruperunt in domum Dei; etiamque omnes res consecratas domui Jehovæ aptaverunt Bahalimis:" ut in 2 Chron. cap. XXIV. ver. 7. significanter commemoratum legimus.

In secunda periodo, ut primam Athaliam in regno Judaico annos sex completos simul cum Jehu Israelitico; ita et postremum Ezekiam cum postremo Israeliticorum regum Hosea, totidem completos annos exegisse comperimus. Quum enim Joash, Achaziæ legitimi regis filius in templo Dei latitare coactus fuisset " sex annos, quibus Athalia regnavit super terram; anno septimo mittens Jehoiada," summus sacerdos, et amitæ Johashi maritus, " assumpsit centuriones, primores et cursores, ac ingredi jussit eos ad se in domum Domini: quibuscum pepigit fœdus;" de perdenda videlicet Athalia, instituendo Joasho, tollenda idololatria et restituendo cultu Dei; quo tempore Israelitæ mares conveniebant ex lege[e] ad colendum Deum: quemadmodum ad locum hunc, ex 2 Regum cap. XI. ver. 4. productum, recte annotat Tremellius. Cumque adulto jam vere (ut supra[f] ostendimus) Jehu et Athalia regnare inceperint, idemque et primi et septimi eorum anni initium fuisse oporteat: circa 10. mensis 3. diem, vel in septimanæ Pentecostes dierum aliquo alio, contigisse ista statuimus. Ubi nec illud prætereundum; in quibusdam editionis Græcæ exemplaribus, et nominatim Romano, ἐν[g] ἔτει τῷ ὀγδόῳ hic legi, non ἑβδόμῳ, ut in aliis cum Hebraica veritate consentientibus, quod idcirco obiter notandum duxi, ut ratio intelligeretur, quare in Eusebii Cæsariensis, et Nicephori Constantinopolitani chronico, et Maximi Monachi computo, septem Athaliæ tribuantur

[e] Exod. cap. 23. ver. 17. [f] Pag. 102.

[g] 2 Reg. cap. 11. ver. 4. 2 Chron. cap. 23. ver. 1. Vid. LXX. MS. et Aldin. At. Lucif. Calar. Jornand. Cassiodor.

anni, in Clementis Alexandrini libro primo Stromatum, octo: et Joaso puero "ab avia præreptum imperium, post octo fere annos per sacerdotem et populum depulsa avia redditum," in priore sacræ suæ historiæ libro scribat Severus Sulpicius.

Samaritani sive Israelitici regni exitus in 2 Regum cap. XVIII. ver. 9, 10. sic habetur expositus: "Fuit anno quarto regis Ezekiæ, is est annus septimus Hoseæ filii Elæ regis Israelis; ut ascendens Salmanasar rex Assyriæ contra Samariam obsideret eam. Deinde cepit eam in fine tertii anni, anno sexto Ezekiæ; is annus erat nonus Hoseæ regis Israelis quo capta fuit Samaria[i]." Ex quo colligimus, I. Annos illos commemoratos Ezekiæ atque Hoseæ, et completos fuisse, et æqualiter fere sibi invicem respondisse: alioqui "ad finem tertii anni" producta non fuisset obsidio. II. Quum regnum cœpisse dicatur Ezekias, anno[k] tertio Hoseæ, de anno illo desinente id intelligendum esse. Aliter enim Ezekiæ 4. Hoseæ 7. et illius 6. hujus 9. nequaquam respondisset. Unde et Josephus[l] quarto anno regni Oseæ Ezekiam Hierosolymis regnum adeptum, et[m] septimo Ezekiæ Samariam captam fuisse scribit; annos illos inchoatos, pro tertio et sexto desinentibus, in Scriptura expressis, substituens.

Integræ vero annorum summæ regibus Judæ et Israelis adscriptorum, longe major in hac quam superiore periodo apparet inæqualitas. Hoc enim modo eorum annos sacra numerat historia.

JUDÆ.		ISRAELIS.	
VII. Athalia,	annos 6.	X. Jehu,	annos 28.
VIII. Joash,	40.	XI. Jehoachaz,	17.
IX. Amasias,	29.	XII. Joas,	16.
X. Uzzias, sive Azarias,	52.	XIII. Jeroboam II.	41.
XI. Jotham,	16.	XIV. Zacharias,	menses 6.
XII. Achaz,	16.	XV. Shallum,	mensem 1.
XIII. Ezekias,	6.	XVI. Menachem,	annos 10.
		XVII. Pekahjah,	2.
		XVIII. Pekah Remaliæ F.	20.
		XIX. Hosea,	9.

[i] Vid. Paludan. pag. 106, 107.
[k] 2 Reg. cap. 18. ver. 1.
[l] Jos. lib. 9. Antiquit. cap. 13.
[m] Id ibid. cap. 14.

Summa annorum regum Judæ 165. Israelis 143. annorum est et mensium 7. unde annorum 21. et mensium 5. inter horum regum spatia, quæ æqualia esse debebant, exurgit differentia. Ad quam tollendam ex libro Regum secundo, quem quartum alii nominant, ejusmodi utrorumque formari poterit comparatio.

JUDÆ.		ISRAELIS.
Athalia, annos 6. 2 Reg. cap. 11. ver. 3, 4.	1	1 Jehu, annos 28. 2 Reg. cap. 10. ver. 36.
	2	2
	3	3
	4	4
	5	5
	6	6
Joash, annos 40. incipiens 7. Jehu; 2 Reg. cap. 12. ver. 1.	1	7
	2	8
	3	9
	&c.	&c.
	21	27
	22	28
	23	1 Jehoachaz, annos 17. incipiens 23. Joashi; 2 Reg. cap. 13. ver. 1.
	24	2
	25	3
	&c.	&c.
	35	13
	36	14
	37	15
	38	16 1. Joash, annos 16. incipiens 37, 38.
	39	17 2. Joashi regis, 2 Reg. cap. 13.
Amasias, annos 29. incipiens 2. Joashin, 2 Reg. cap. 14. ver. 1, 2. regis Israelis desinente scilicet.	1.40	3 ver. 10. desinente scilicet.
	2	4
	3	5
	4	6 1. Jeroboam II. a patre Joaso ad bellum Syriacum profecturo, in regni consortium assumptus fuisse videtur.
	5	7 II.
	6	8 III.
	7	9 IV.
	8	10 V.
	9	11 VI.
	10	12 VII.

JUDÆ.		ISRAELIS.
	11	13 VIII.
	12	14 IX.
	13	15 X.
	14	16 XI.
	15	1 XII. Jeroboam II. annos 41. incipiens 15. Amaziæ; 2 Reg. cap. 14. ver. 23.
	16	2 XIII.
	17	3 XIV.
	&c.	&c.
	28	14 XXV.
	29	15 XXVI.
Uzzias, sive Azarias, annos 52. incipiens 27. Jeroboami; 2 Reg. cap. 15. ver. 1, 2.	1	16 XXVII.
	2	17 XXVIII.
	3	18 XXIX.
	&c.	&c.
	25	40 LI.
	26	41 LII.
	27	1 * Interregnum annorum 11. mensium 6.
	28	2
	29	3
	30	4
	31	5
	32	6
	33	7
	34	8
	35	9
	36	10
	37	11
	38	12 Zacharias, menses 6. Azariæ 38. 2 Reg. cap. 15. ver. 8.
	39	Shallum, mensem 1. Uzziæ 39. 2 Reg. cap. 15. ver. 13. * Menachem, menses 11. deinde regno a Pule Assyriorum rege confirmato quies annos 10. a 39. Azariæ, 2 Reg. cap. 15. ver. 17. desinente.
	40	1
	41	2
	42	3
	43	4
	44	5
	45	6
	46	7

JUDÆ.		ISRAELIS.	
	47	8	
	48	9	
	49	10	
	50	1	Pekahia, annos 2. incipiens 50. Azariæ; 2 Reg. cap. 15. ver. 23.
	51	2	
	52	1	Pekah, annos 20. incipiens 52. Azariæ; 2 Reg. cap. 15. ver. 23.
Jotham, annos 16. incipiens 2. Pekah; 2 Reg. cap. 15. ver. 32, 33.	1	2	
	2	3	
	3	4	
	4	5	
	5	6	
	6	7	
	7	8	
	8	9	
	9	10	
	10	11	
	11	12	
	12	13	
	13	14	
	14	15	
	15	16	
	16	17	
Achaz, annos 16. incipiens 17. Pekah, 2 Reg. cap. 16. ver. 1, 2. desinente.	1	18	
	2	19	
	3	20	
	4	1	* Hosea, anno 20. Jothami, 2 Reg. cap. 15. ver. 30. id est, 4. Achazi, occiso Peka regnum occupavit: sed variis seditionibus obortis, res ad 9. annorum quasi interregnum redacta est.
	5	2	
	6	3	
	7	4	
	8	5	
	9	6	
	10	7	
	11	8	
	12	9	
	13	1	Idem, domesticis turbis demum pacatis, annos 9. a 12. Achazi, 2 Reg. cap. 17. ver. 1. desinente scilicet.

JUDÆ.	ISRAELIS.
14	2
15	3
Ezekias, annos 29. incipiens 3. Hoseæ, 2 Reg. cap. 13. ver. 1, 2. desinente. 16	4
2	5
3	6
4	7
5	8
6	9

Qua in parte successionis regum Israelis inferendi sint anni illi, qui ad eam cum regum Judæ temporibus exæquandam necessario requiruntur, ex vestigiis in sacro contextu relictis non difficile fuerit conjicere. Quum enim ab anno 15. Amaziæ regis Judæ Jeroboamus II. Israeliticus, annos[f] 41. et post eum filius ipsius Zacharias menses 6. anno 38. Azariæ sive Uzziæ, deinde Shallum mensem 1. anno ejusdem Uzziæ[g] 39. regnasse scribatur: ut ista possint consistere, interregni annorum 11. et mensium 6. interpositio efficiet: si post mortem Jeroboami variis turbis et seditionibus rempublicam Israeliticam tanto temporis spatio ad ἀναρχίαν fuisse redactam admittamus.

Alii tamen, et inter eos, ab anno Uzziæ 39. Menachem annos 10. in Israele regnavisse dicitur; et post eum Pekahja annos 2. ab anno 50. Azariæ sive Uzziæ; succedente illi Peka, anno ejusdem Azariæ[h] 52. Quæ recte omnia se habebunt, si Menachemum anno 39. Azariæ regnum, dubie, ut dictum est, per menses 11. tenuisse; sub finem vero illius anni, a Pule Assyrio, regno ipsi confirmato[i], per annos deinceps 10. pacate et quiete illud possedisse, admittamus.

Postremus vero Israelitarum rex Hosea, primo quidem, cæso Peka Remaliæ filio, anno 20. Jothami filii Uzziæ, illius loco regnavisse dicitur[j], id est, 4. anno Achazi filii Jothami. Sed quia Achazi nullam adhuc mentionem historiæ sacræ scriptor fecerat; a regno cœpto Jothami

[f] 2 Reg. cap. 14. ver. 23.
[g] Ibid. cap. 15. ver. 8. 13.
[h] 2 Reg. cap. 15. ver. 17. 23. 27.
[i] Ibid. ver. 19.
[j] 2 Reg. cap. 15. ver. 30.

temporis notationem deducendam esse censuit; licet annis non amplius 16. cum regnavisse, tertio statim post hunc versiculo, commonefaciendum lectorem idem curaverit[k]. Deinde vero, in XVII. capitis principio subdit ipse idem: "anno duodecimo Achazi regis Judæ regnavisse Hoseam filium Elæ Samariæ super Israelem novem annis." Quod quidem dupliciter potest accipi: ut vel a primo suo exordio usque ad illud tempus novem annis, vel nono anno, ut Tremellius reddidit, ille regnaverit; vel ab illo tempore, usque ad ipsius simul et regni Israelitici exitum. Horum enim utrumque verum est. Nam et ab anno vigesimo ex quo regnare cœperat Jothamus, usque ad finem anni duodecimi Achazi, anni numerantur novem; qui ad temporum utriusque regni coæquationem perficiendam desiderantur; et a fine duodecimi Achazi usque ad finem Hoseæ, totidem alii; quos annorum Ezekiæ synchronismus necessario postulat. Matthæus Beroaldus, Hoseam primis suis annis tributarium regis Assyrii Salmanasaris nec vere regem fuisse existimat: excusso vero jugo regis Assyrii, quod tum sui juris esset, dici regnare cœpisse, anno 12. regis Achazi. Contra, Tremellius, Brochtonus, et alii, duplex regni Hoseæ initium ita potius distinguendum censet; ut prius meri et liberi fuerit imperii; posterius tributarii a fine 12. anni Achazi, quo Salmanasari servus factus fuerit, deductum. At si series sacri contextus[l] attentius consideretur, non modo post prius, sed etiam post posterius hoc principium, Hoseam Salmanasari factum fuisse tributarium patefaciet: nostro quoque temporum Assyriacorum calculo consentiente, qui post utrumque Hoseæ principium Nino juniori, sive Tiglathpileseri Salmanasarum regno successisse statuit. Ut igigitur Jeroboamo II. defuncto filius ejus Zacharias pro eo regnavisse dicitur[m], quia regnum illi tum jure hæreditario, tum ex Dei promissione[n], debebatur; licet, turbis et seditionibus intervenientibus, ante annum duodecimum illud possidere non poterat: ita Peka interempto, Hosea

[k] 2 Reg. cap. 15. ver. 33.
[l] 2 Reg. cap. 17. ver. 1, 2, 3. [m] Ibid. cap. 14. ver. 29.
[n] 2 Reg. cap. 10. ver. 30. cum cap. 15. ver. 12.

pro eo regnavisse legitur, quia regnum tunc occupare ille conatus est; licet aliis cum eo de principatu, qui nihil ad eum attinebat, contra dicentibus, et ad anarchiam respublica perducta, nisi post novem annos domesticis turbis sedatis regno demum pacifice potitus ille fuerit: quæ etiam de interregno hic admittendo, tum aliorum, tum Petri Trecensis, tum Laurentii Codomani[o], fuit sententia.

Ad hoc vero posterius principium habito respectu, quum anno Hoseæ tertio desinente, ut ostensum est, Ezekias regnare cœperit, nisi simul et a desinente decimo septimo Pekæ Israelitici, annos Achazi, et a duodecimo Achazi initium hoc Hoseæ deduceremus; sequeretur, vel decem annis posteriorem hunc Hoseæ duravisse principatum, vel, ex sexdecim qui Achazo tribuuntur annis, quatuordecim tantum pro chronologicis esse habendos, quorum prius a nullis recipitur, quia novem tantum annos Hoseæ huic regno Scriptura[p] attribuit: posterius a Tremellio et aliis compluribus admittitur; vel, cum Brougthono et Petavio primum Achazi annum patri, postremum filio communem facientibus, vel, cum Beroaldo duos primos Ezekiæ[q] annos una cum patre Achazo exactos fuisse arbitrantibus.

Duos vero simul annos cum patre non transegisse Ezekiam, et ne unum quidem integrum, illud argumento fuerit; quod "anno primo regni sui, mense primo, aperuisse fores domus Domini" ille dicatur[r], quas pater primus occluserat[s]; unde liquet, impio patre jam defuncto, Dei cultum restituere cœpisse Ezekiam, anno primo regni sui, cujus partem primam cum patre exegerat, ad finem jam vergente. Quod non animadvertentes alii, et inter eos vulgatæ Latinæ Bibliorum interpretationis author, "primo[t] anno et primo mense regni sui," Ezekiam templum aperuisse crediderunt: in eundem cum illis incidentes errorem, qui anno sexcentesimo vitæ Noachi mense 2. die mensis 17. diluvium cœpisse[x], et secundo die 2. mensis

[o] Vid. Codom.
[q] Vid. Harvillæum.
[s] 2 Chron. cap. 28. ver. 24.
[x] Genes. cap. 7. ver. 11.
[p] 2 Reg. cap. 17. ver. 1.
[r] 2 Chron. cap. 29. ver. 3.
[t] Vid. 70. Chal. et Syr.

in quarto anno regni Salomonis jacta templi fuisse fundamenta[y], legentes; mensem eum secundum vel vitæ Noachi, vel regni Salomonis fuisse sunt opinati: quum currentis anni, qui tunc in communi usu fuerat, secundus ille extiterit. Ut igitur mensis ille secundus, in diluvii quidem historia Bul, sive Marhesuan, in structuræ templi Zir, sive Ijar, fuit: ita et Abib sive Nisan est primus intelligendus tum hic, tum in narrationis progressu, ubi, jussu Ezekiæ sacerdotes templum sanctificare cœpisse dicuntur primo die mensis primi[z]; non utique "eodem die quo rex constitutus est ille," ut ad eum locum Tremellius annotavit, sed post novem demum menses, patre jam vita functo, qui profanationis templi præcipuus author fuerat.

Quod si rationem quoque ad extremum quis a nobis poscat; cur Joasi regis Israelis initium in fine 37. anni Joasi regis Judæ, itidemque Amasiæ[a] regis Judæ principium in exitu secundi anni Joasi regis Israelis reposuerimus: sciat is, duo nos inde simul esse consecutos: et ut justum quindecim annorum, inter mortem Joasi Israelitici et Amasiæ, bis in Scriptura commemoratum[b] reperiretur spatium; et ut ab eodem 17. anno, ex 2 Regum cap. XIII. ver. 10. Israelitici Joasi, biennio simul cum patre regnantis, sexdecim anni dinumerarentur: quum anno quidem illo 17. regni paterni participem factum illum fuisse Lidyatus noster agnoscat; sed annos tamen ipsius sexdecim a morte patris deducendos esse censeat[c]. Ut tandem concludere liceat, regibus hujus periodi chronologicos annos 163. esse tribuendos: eorum initiis ad annos mundi hunc in modum adaptatis.

JUDÆ.		ISRAELIS.	
A. M.		A. M.	
3120. Athalia,	annos 6.	3120. circa mensis 3. diem 10.	
3126. Joash,	39.	Jehu,	annos 28.

[y] 2 Chron. cap. 3. ver. 2.
[z] 2 Chron. cap. 29. ver. 17.
[a] Vid. Seder Olam Rabba.
[b] 2 Reg. cap. 14. ver. 17. et 2 Chronic. cap. 25. ver. 25.
[c] Vid. Harvil. Petav. (in magno opere.)

JUDÆ.		ISRAELIS.	
A. M.		A. M.	
3165. Amasias,	annos 29.	3148. Jehoachas,	annos 15.
3194. Uzzias, sive Azarias,	52.	3163. Joash,	16.
3246. Jothan,	16.	3179. Jeroboam II.	41.
3262. Achaz,	15.	3220. interregnum, annorum 11. mensium 6.	
3277. Ezekias,	6	3232. circa mensis 9. diem 10. Zacharias, menses 6.	
3283. Regnum Israeliticum finitum.		3232. circa mensis 3. diem 10. Shallum, mensem 1.	
		3232. circa mensis 4. diem 10. Menachem, annos 10. menses 11.	
		3243. circa mensis 3. diem 10. Pekahja,	annos 2.
		3245. Peka,	20.
		3265. Hosea, in statu rerum turbulento, instar interregni annis 9. et domesticis seditionibus demum sublatis, annis 9. aliis.	
		3283. circa mensis 3. diem 10. regnum Israeliticum finitum.	

Primarius tamen adhuc restat scrupulus, qui interpretes et chronologos nostros tantopere exercuit. Cum enim juxta rationes propositas anno 16. Jeroboami II. Uzzias sive Azarias in Juda regnare cœperit: in 2 Regum cap. XV. ver. 1. ad 27. Jeroboami annum initium ejus referri videtur. Licet ad tempus quo lepra percussus ille fuit, referat Tremellius: intermediis illis longa satis parenthesi sic inclusis: "Anno vicesimo septimo Jeroboami regis Israelis, regnabat Hazaria filius Amatziæ, rex Jehudæ: natus fuerat annos sexdecim quum regnare inciperet, et quinquaginta duobus annis regnavit Jerushalaimis; cujus matri nomen Jecolia e Jerushalaimis: feceratque quod rectum videtur in oculis Jehovæ, omnino prout fecerat Amatzia pater ejus; sed excelsa non amota fuerant, adhuc populus sacrificabant et adolebant in excelsis. Quum plaga afficit Jehova regem, qua fuit leprosus usque ad diem mortis suæ ideoque habitabat in domo semota; Jotham vero filius regis præerat domui, jus dicens populo regionis." Et quia nondum natum fuisse Jothamum, ex versiculo 33. sequente appareat: eum quoque, distinctione interposita, ita explicandum censuit: "Natus viginti quin-

que annos, quum regnare inciperet;" id est, quum regni administrationem iniit propter lepram patris: "et sexdecim annis regnavit," a morte patris.

Alii minore textui adhibita violentia, annorum undecim, quot inter 16. et 27. Jeroboami decurrerunt, inter regnum Amasiæ et Uzziæ interpositione, ista conciliant. Et cum ea ratione totidem annis augeatur differentia annorum regis Judæ supra annos regum Israelis in Scriptura notatos; ad exæquationem resarciendam, undecim quoque annos ad interregnum in regno Israelitico positum coguntur adjicere; ἀναρχίᾳ inter Jeroboamum II. et filium ejus Zachariam 22. annorum constituta. Quod minus necessarium sacræ chronologiæ augmentum admittere nolentes alii, ubi Scriptura refert, Uzziam sive Azariam sexdecim annos natum regnare cœpisse, et 52. annos regnavisse; ita ut 68. annos in universum vixisse videretur, unde et Josephus[c] "anno ætatis 68. regni 52. obiisse," illum tradidit: 52. quidem regni annos a morte patris Amasiæ deducunt, sed infantem vix quatuor annorum tunc relictum fuisse eum supponentes, per duodecim fere annos a tutoribus regnum administratum fuisse volunt; donec 27. Jeroboami Israelitici anno, 16. ætatis annum assecutus, per annos deinceps 36. propria authoritate ipse regnum gubernaverit, 56. demum ætatis anno vita functus.

Reliquum jam est ætatis quintæ membrum postremum, a fine regni Israelitici ad finem regni Judaici, annorum 133. et mensium fere duorum mensura definitum; quam anni regum Judæ, simul cum annis mundi, hic subjecti ita conficiunt.

A. M. 3283. Circa mensis 3. diem 10. Ezekias, post excidium regni Israelitici, regnavit in Juda annos 23.

3306. XIV. Manasses, annos 55. 2 Reg. cap. 21. ver. 1. 2 Chron. cap. 33. ver. 1.

3361. XV. Amon, annos 2. 2 Reg. cap. 21. ver. 19. 2 Chron. cap. 33. ver. 21.

3363. XVI. Josias, annos 31. 2 Reg. cap. 22. ver. 1. 2 Chron. cap. 34. ver. 1.

3304. XVII. Jehoachaz, mensibus 3. 2 Reg. cap. 23. ver. 31. 2 Chron. cap. 36. ver. 2.

[c] Lib. 9. Antiquit. cap. 11.

A. M. 3394. XVIII. Circa 6. mensis diem 10. Eliakim, qui et Jehojakim, annos 11. 2 Reg. cap. 23. ver. 36. 2 Chron. cap. 36. ver. 5. pro quibus, annos 10. menses 6. et dies. 15. sumimus.

3405. XIX. Circa mensis 12. diem 25. Jehojachin sive Jechonias, menses 3. 2 Reg. cap. 24. ver. 8. et dies 10. 2 Chron. cap. 36. ver. 9.

3405. XX. Menses 4. dies 10. Sedekias, annos 11. 2 Reg. cap. 24. ver. 18. 2 Chron. cap. 36. ver. 11. Jerem. cap. 52. ver. 1.

3416. Mensis 5. die 10. templi Salomonici et urbis Hierosolymitanæ excidium; Jerem. cap. 52. ver. 12, 13. post captum Sedekiam mense integro.

Nonnulla, sed rariora, Græcæ Bibliorum editionis exemplaria ab Hebraica veritate alicubi hic dissensisse deprehensa sunt. Atque hinc in chronico suo Eusebius duodecim annos Amoni tribuit, Septuaginta interpretum testimonio ad illud confirmandum sic producto: "Ἀμὼν ἐβασίλευσεν κατὰ μὲν τοὺς ὁ ἔτη ιβ′, κατὰ δὲ τοὺς Ἑβραίους ἔτη β′. Amon secundum Septuaginta seniorum interpretationem 12. annos regnavit; secundum Hebræos, annis duobus;" de quo Georgius Syncellus satis immodeste: "τὸν Ἀμὼς υἱὸν Μανασσῆ ἔτη ιβ′ Ἐυσέβιος λέγει βασιλεῦσαι κατὰ τοὺς ὁ, ψεύδεται δέ. Amon filium Manassis 12. annos secundum Septuaginta regnavisse dicit Eusebius; sed mentitur:" quum dicendum potius fuisset, in editione vulgata, quæ κοινὴ vocabatur, annos duos, in ea vero quam ex Alexandrina bibliotheca Hexaplis suis inseruit Origenes, et ut puram τῶν ο′ amplexatus est Eusebius, annos duodecim fuisse positos.

Severus Sulpitius, in priore sacræ suæ historiæ libro communem editionem secutus, "Amonem ultra biennium" regno potitum fuisse negat: verum, mendoso usus codice, filium ejus Josiam annos viginti unum regnavisse affirmat; "post triennium fere," a Paschate "octavo et decimo imperii anno celebrato," interemptum. In edita Nicephori Constantinopolitani chronologia, Amoni ἔτη ιβ′. adscribuntur, cum[d] in Londinensis bibliothecæ MS. β′. tantum legatur. Quod vero ibidem deinde sequitur, post 31. Josiæ annos, pro quibus 32. perperam posuit Eusebius, interregnum annorum triginta secundum Septuaginta interpretes, vel octo, sive quinquaginta, ut in Londinensi

[d] Vid. edit. Radeti.

habetur codice, secundum Hebraicum: plane commentitium est. Ejusmodi enim ἀναρχίας neque in Græcis, neque in Hebraicis ullum omnino extat vestigium: et ne ulla omnino anni alicujus interpositione sacri hic calculi violari possint, Jeremiæ prophetæ prohibet authoritas, qui quartum Jehoiakimi annum, ministerii sui, decimo tertio Josiæ anno cœpti, vigesimum tertium esse diserte asserit[e]. Chronographo, qui anno 13. Alexandri Severi scripsit, Amoni adscripti leguntur anni duo, et Ezekiæ viginti quinque; verum librarii esse mendum locus ille ejusdem authoris[f] evincit, in quo, "post Ezekiam, Josias annis 114. Pascha celebravisse" dicitur. Quod consistere non posset, nisi et Amoni duodecim tribuerentur anni, juxta Septuaginta ab Eusebio citatos, et Ezekiæ viginti novem juxta eosdem cum Hebraica veritate consentientes[g].

Ut autem a viginti novem illius annis deducti sex integri, quos ante eversum regnum Israeliticum exegisse illum ostendimus, viginti tres relinquunt ad hujus intervalli exordium referendos, ita ab anni tempestate, qua et septimum et reliquos regni sui annos ille inchoavit, quatuor ipsum subsequentium regum initia omnino dependent. Cum enim tempora eorum in Scriptura simpliciter exhibeantur, non, ut in regno Judæ et Israelis hactenus factum fuerat, cum aliorum regum initiis comparata: relictum nullum est argumentum, cujus ductu ab annis propositis menses aliquos, sine temeritatis nota, liceat nobis subducere, indeque regum initia in alias atque alias anni partes summovere. Ut si a mensis primi die primo, verbi gratia, Ezekiæ annos deducamus: sub idem quoque tempus Josiam regnare cœpisse dicamus necesse est; nisi interpositos Manassis 55. et Amonis binos annos, propria authoritate, vel augere libeat, vel diminuere. Michael Paludanus tamen qui cum vulgato interprete Latino, priorem recipit[h] hypothesin, ab eodem primo mense

[e] Jerem. cap. 25. ver. 1. 3.
[f] Tomo 2. antiqu. lect. H. Canisii, pag. 595.
[g] 2 Reg. cap. 18. ver. 2. et 2 Chron. cap. 29. ver. 1.
[h] Pag. 177. et 179.

Josiæ[i] annos arcessendos esse jure pernegat: quandoquidem magnam partem anni ejus 18. in templi instauratione, idololatriæ exterminatione, et legitimini Dei cultus restitutione, transactam fuisse constet, ante Pascha 14. primi mensis die, in eodem 18. anno, celebratum[k]; quum nostra sententia, quæ annos Josiæ pariter et Ezekiæ circa 10. mensis 3. diem inchoat, et versus finem anni primi Ezekiæ unum, et versus finem 18. Josiæ alterum Pascha promovendum esse postulet.

Cum trium vero postremorum regum Judæ temporibus habemus annos Nebuchadnesaris Babylonii in Scriptura comparatos; quorum collatio nos docebit Jehojakimum non integros annos undecim, sed supra annos decem menses circiter sex cum dimidio in regno exegisse; adeoque Jehojakimum circa sexti mensis diem decimum, et ante tres menses Jehoachazum ipsius fratrem circa tertii mensis diem eundem regna sua inisse. Unde veritas quoque hypotheseos nostræ patebit; quæ 31. annorum Josiæ tam principium quam exitum circa mensis tertii diem decimum collocandum esse statuit. Quod ut plenius percipiatur, rerum ad hos tres reges spectantium tempora sequentibus thesibus explicanda esse duximus.

[i] Pag. 211. unde reponenda hic illius verba.

[k] 2 Reg. cap. 22. ver. 3. ad cap. 23. ver. 23. et 2 Chron. cap. 34. ver. 8. ad cap. 35. ver. 19.

THESIS I.

Initium regni Sedekiæ deducendum est a decimo die quarti mensis; justis undecim annis ante captivitatem ejusdem Sedekiæ, et unico mense Salomonici templi excidium; quod in decimum diem quinti mensis incidit.

Prophetavisse Jeremias dicitur, "donec[a] absolveretur undecimus annus Sedekiæ filii Josiæ regis Judæ, et donec deportaretur Hierosolyma mense quinto." Anno vero undecimo Sedekiæ, quarti mensis die nono perrupta civitate et a Babyloniis occupata, noctu rex aufugiens ab insequentibus Chaldæorum copiis in campestribus Jerichuntis captus est[b]. Sequentis deinde mensis quinti die decimo, templo et urbe destructis, in captivitatem Hierosolymitani sunt abducti[c]. Ex quibus inter se collatis, colligimus; et undecimum Sedekiæ annum fuisse completum, (non decem tantum solidis annis illum regnavisse; ut asserit Scaliger[d]) et inter captivitatem illius et templi conflagrationem mensis spatium intercessisse: atque quod inde est consectarium, circa quarti mensis diem decimum regnare eum cœpisse. Ubi enim de fine constat, de initio dubitari non potest: quum in anni circulo principium et finem communi contineri termino nemo ignoret. Cumque inter captum Sedekiam absoluto anno regni sui undecimo, et deportatum populum integer mensis, ut dictum fuerit interpositus: "ἐν τῷ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Σεδεκίου

[a] Jerem. cap. 1. ver. 3.
[b] Jer. cap. 39. ver. 2. 5. et cap. 52. ver. 4. 9.
[c] Jerem. cap. 52. ver. 12. et 15.
[d] Scaliger, animadvers. Eusebian. pag. 82. et canon. Isagog. pag. 327.

βασιλείας, duodecimo anno regni Sedekiæ," calamitatem illam accidisse, in libro primo Stromatum Clemens Alexandrinus retulit, rectius quam Josephus templum incensum fuisse scribens anno regni Sedekiæ undecimo[e]: quam ante mensem is captus annum regni sui undecimum compleverit.

[e] Lib. 10. Antiquit. cap. 11.

THESIS II.

Obsidio Hierosolymitana cœpta anno Sedekiæ nono, mensis decimi die decimo, et, interventu exercitus Pharaonis postea interrupta, redintegrata est anno Sedekiæ decimo, mensis tertii die decimo quinto, et per dies 390. usque ad captam urbem continuata: ita ut ab obsidionis primo principio usque ad captam urbem in fine anni undecimi Sedekiæ, mensis quarti die nono, mensium triginta; usque ad eandem incensam, mensis quinti die decimo, mensium triginta unius spatium intercesserit.

Anno nono Sedekiæ, mensis decimi die decimo Nebuchadnesarem Hierosolymam obsidere cœpisse, ex 2 Regum cap. XXV. ver. 1. Jeremiæ cap. LII. ver. 4. et Ezechielis cap. XXIV. ver. 1, 2. et, Pharaonis exercitu adventante, inde recessisse, ex Jeremiæ cap. XXXVII. ver. 5. 11. et cap. XXXIV. ver. 21, 22. intelligimus. Anno decimo, mense decimo, die duodecimo contra Pharaonem et Ægyptios prophetavit Ezekiel; quod fuissent "baculus[a] arundineus domui Israelis." Pharaonis enim exercitu re infecta demum reverso, ad urbis oppugnationem denuo Chaldæi redierunt, prout a Jeremia prædictum fuerat[b], anno eodem Sedekiæ decimo, qui Nebuchad-resaris sive Nebuchadnesaris fuit[c] 18. Ut, quum in fine anni undecimi Sedekiæ a Babyloniis Hierosolyma occupata fuerint, ut in priore thesi est ostentum, ultra annum obsidionem hanc posteriorem continuatam fuisse appareat, nec supra dies viginti quinque tamen: quantum ex Ezechielis cap. IV. ver. 5. 8. colligere possumus; ubi in typo, dies 390. obsidioni Hierosolymitanæ assignatos invenimus. Qui ab

[a] Ezech. cap. 29. ver. 1. 6.
[b] Jerem. cap. 37. ver. 7, 8.
[c] Jerem. cap. 32. ver. 1, 2.

anno undecimo Sedekiæ, mense quarto, die nono, quo urbs perrupta fuit[d], retro numerati, ad mensis tertii diem decimum quintum in anno Sedekiæ decimo nos perducunt: quod redintegratæ obsidionis statuitur a nobis initium. Unde error detegitur, tum Flavii Josephi[e], qui non solum secundam hanc obsidionem nono Sedekiæ anno et mensis decimi die decimo, eodem quo nos primam, incepisse affirmat; sed etiam inde usque ad captam urbem anno Sedekiæ undecimo, mensis quarti die nono, menses tantum octodecim (pro triginta) bis dinumerat: tum Severi Sulpicii, qui, in sacræ suæ historiæ libro priore, triennio duravisse obsidionem significat; quanto tempore Samariam, ante regni Israelitici excidium, a Salmenesero Assyrio fuisse obsessam, ex sacris literis[f] didicimus. Neque audiendus hic Johannes Drusius; qui pro triennio in Sulpitio, "biennio fere" rescribendum esse pronunciat: quum supra biennium etiam anni dimidium, uno die minus, a cœpta primum obsidione usque ad civitatem ab hostibus occupatam, accuratior noster calculus hic exhibet.

[d] Jerem. cap. 39. ver. 2.
[e] Lib. 10. Antiquit. cap. 10, 11. edit. Græc.
[f] 2 Reg. cap. 17. ver. 5.

THESIS III.

Circa mensis quarti diem quintum facta est Jechoniæ deportatio, quinque circiter ante regni Sedekiæ initium diebus.

Anno a deputatione regis Jojacinis sive Jechoniæ quinto, mensis quarti die quinto, Ezekieli prophetæ omnium prima exhibita est visio[a]. Post quam, cum apud populares suos deportatos toto septiduo, quasi stupore quodam perculsus, desedisset[b]; continuus 390. dierum in publico omnium conspectu, cubatus a Deo illi imperatus est[c]. Exacto deinde anno uno et mensibus duobus post primam, sedenti domi suæ cum senioribus Judæ nova ostensa est visio; anno deportati "Jechoniæ[d] sexto, mensis sexti die quinto." A 397. deducta dierum 365. quantitate annua, relinquuntur dies 32. ut intervallo, inter utramque visionem interposito, complendo, spatium unico mense minus hic tantum desit. Unde concludimus, circa ipsum annum quintum captivitatis Jechoniæ visionem primam esse factam: ac proinde circa quintum mensis quarti diem captivitatem illam incepisse. In illo ipso vero quinto die potius quam in anteriorum aliquo ejus epocham ideo statuendam censemus; quod hac ratione inter eam et regni Sedekiæ initium, quod ad ejusdem quarti mensis diem decimum in prima thesi est relatum, quinque tan-

[a] Ezek. cap. 1. ver. 1, 2.
[b] Ibid. cap. 3. ver. 15.
[c] Ezek. cap. 4. ver. 4, 5.
[d] Ibid. cap. 8. ver. 1.

tum dierum intercedat spatium; neque vero multo longius sacræ historiæ admittat series, quæ, abducto in captivitatem Jechoniæ, Nebuchadnesarem ante discessum suum loco ipsius patruum Sedekiam regem constituisse indicat[e].

[e] 2 Reg. cap. 24. ver. 15. 17.

THESIS IV.

Finis regni Jehojakimi, et initium filii ejus Jehojachinis sive Jechoniæ, circa mensis duodecimi diem vigesimum quintum sunt reponenda.

In Hebraica Bibliorum editione pater יְהוֹיָקִים filius יְהוֹיָכִין in Græca prior Ἰωακείμ, posterior Ἰωαχείμ, indeque Josepho alter Ἰωάκιμος, alter Ἰωάχιμος, est appellatus. Sed lenis et aspiratæ literæ discrimine postea neglecto, ut uterque communi nomine Ἰωακείμ vel Ἰωαχείμ nuncuparetur, usu tandem est receptum. Unde in libro primo sacræ historiæ, Severus Sulpicius, "Joachim exactis in regno annis undecim, filio ejusdem nominis locum fecisse" scribit: et qui in textu sacro Jehojakin[a], Coniah[b], et Jeconiah[c] nominatur, Theophilo Antiocheno Ἰωακεὶμ ἕτερος, Clementi Alexandrino patri ὁμώνυμος Ἰωακεὶμ appellatur. Ambrosius libro tertio commentariorum in Lucæ cap. III. et Fastorum Siculorum author, utrumque et Joachim et Jechoniam dictum fuisse volunt. In Paschali tractatu, quem ineditum habeo, anno quinto Gordiani, Ariano et Papo consulibus, id est, anno æræ Christianæ 243. conscripto; regnavisse traditur "Joachim annis XI. item Joachim filius ejus, qui et Jechonia dictus est, diebus centum:" quod sane rectum est. Positis enim mensibus τριακονθημέροις, lunares enim, alternis plenos et cavos, e Babylonia demum reduces, una cum Chaldaicis mensium nominibus, Judæi in terram suam induxerunt, dies centum menses constituunt tres et dies decem: quot in sacra

[a] 2 Reg. cap. 24. ver. 6. 8. 2 Chron. cap. 36. ver. 8.
[b] Jerem. cap. 22. ver. 24. 28. cap. 37. ver. 1.
[c] 1 Chron. cap. 3. ver. 16. Jerem. cap. 29. ver. 2.

historia[d], Jechoniæ regno adscriptos legimus. Qui a mensis quarti die quinto, quo captivum eum abductum fuisse in præcedente thesi declaravimus, subducti, in duodecimi mensis diem vigesimum quintum recidunt: circa quem et cœpisse ipsum, et patrem Jehojakimum regnare desiisse, in præsenti thesi asseruimus.

[d] 2 Chron. cap. 36. ver. 9.

THESIS V.

Circa sexti mensis diem decimum Jehojakimus regnum iniit: quod non integris undecim annis obtinuit, sed annis decem, mensibus sex et diebus quindecim circiter. Sub finem vero anni illius tertii, circa quinti mensis diem decimum quintum regnare cœpit Nebuchadnesar; ante templi conflagrationem annis novemdecim, quinque circiter diebus minus.

Anno tertio Jehojakimi regis Judæ, ascendisse Nebuchadnesarem, regem Babyloniæ, contra Hierosolymam, in ipso libri Danielis initio; et primum hujus esse quartum illius, in principio capite XXV. Jeremiæ legimus. Unde, incidisse primum Nebuchadnesaris annum in desinentem annum tertium Jehojakimi, et ineuntem quartum, recte concludit Tremellius. Regnasse dicitur in universum Jehojakim annos undecim[a], et post eum filius ipsius Jechonias, antequam deportaretur Babylonem, menses tres et dies decem[b], iisque exactis a rege Babylonis captus fuisse anno octavo regni sui[c]. Ex quibus inter se collatis, duo emergunt ista: I. annum undecimum Jehojakimi non fuisse integrum, nedum duodecim annos cum Siculorum Fastorum authore et Nicephoro patriarcha C P. esse illi assignandos. Quum enim ante finem anni ipsius tertii regnare Nebuchadnesar cœperit, superfuissent Jehojakimo anni adhuc octo integri; nonum ille ingressus fuisset annum, quo tempore Jechoniam patri in regno successorem dedit. Atqui quarto postea mense, Jechonia capto, octavum adhuc numeratum fuisse Nebuchadnesaris annum,

[a] 2 Reg. cap. 23. ver. 36. 2 Chron. cap. 36. ver. 5.
[b] 2 Chron. cap. 36. ver. 9. [c] 2 Reg. cap. 24. ver. 12.

ex 2 Regum cap. XXIV. ver. 12. manifestum est. II. Inter 25. diem mensis duodecimi quo Jechoniam cœpisse in thesi IV. et quintum mensis quarti, quo eundem desiisse in thesi III. ostendimus, Jehojakimi initium collocari non potest. Alias enim Nebuchadnesar cujus annus primus initium quarti Jehojakimi aliquanto tempore præcessit, capto Jechonia nonum regni sui similiter egisset annum, in octavo tantum adhuc versatum eum fuisse, ex 2 Regum cap. XXIV. ver. 12. jam audiverimus. Reliquum igitur est, ut inter mensis quarti diem quintum mensis duodecimi diem 25. regni Jehojakimi exordium sit indagandum.

Ex tribus festis in quibus omnes mares coram Domino comparere tenebantur[d], Tabernaculorum solennitas in hujus temporis spatium incidit: ad quam idcirco, locum illum sine controversia referendum esse judico: "Principio[e] regni Jehojakimi filii Josiæ regis Judæ, fuit verbum hoc a Domino, dicendo. Sic ait Dominus: Sta in atrio domus Domini, ut eloquaris ad omnes civitates Judæ venientes ad incurvandum se in domo Domini, omnia verba quæ præcipio te eloqui eis." Ante festum igitur tabernaculorum, in medio 7. mensis celebratum, tempore aliquo inter mensis 4. diem 5. et illud interposito, et quidem ad 7. quam ad 4. mensem propius accedente, principium regni Jehojakimi reponendum esse colligo: indidemque diem jejunii, quo verba Domini in templo ejus audientibus omnibus Judæis qui eo confluxerant ex civitatibus suis e scripto recitare jussus est Baruc, anno quarto Jehojakimi[f], de solenni illo jejunio mensis 7. die 10. lege imperato[g], quod jejunii nomine κατ' ἐξοχὴν significatur, intelligendum esse concludo; non de conceptivo illo, quod anno quinto Jehojakimi, mense nono, indictum fuisse[i] postea legitur, uti Tremellius existimat. Si enim sub finem anni quarti, ut ille vult,

[d] Deut. cap. 16. ver. 16.
[e] Jerem. cap. 26. ver. 1, 2.
[f] Jerem. cap. 36. ver. 1. 6.
[g] Levit. cap. 16. ver. 29.
[h] Act. cap. 27. ver. 9.
[i] Jerem. cap. 36. ver. 9.

datum hoc fuisset præceptum, et anno quinto, mense nono, executioni mandatum; sequeretur, paulo ante nonum mensem statuendum fuisse Jehojakimi exordium: quod cum iis quæ superius sunt disputata non potest consistere.

Ut hinc igitur, ante mensis 7. diem 10. ita alio argumento post 5. mensis diem 10. initium Nebuchadnesaris et Jehojakimi esse quærendum; sic ostendo. Annus decimus Sedekiæ, a mensis 4. die 10. ut I. thesis docuit, inchoatus, erat Nebuchadnesaris decimus octavus[k], uno saltem mense post decimum illum Sedekiæ incipiens. Si enim ipso 10. mensis 4. die regnum suum Nebuchadnesar cœpisset; quando templum fuit incensum, mensis 5. die 10. (integro post Sedekiam, desinente anno regni sui undecimo, captum mense,) annum regni sui vicesimum ille fuisset ingressus. At decimum nonum illius adhuc cucurrisse, ex Jeremiæ cap. LII. ver. 12. constat. Unde inter mensis 5. et 7. diem 10. annorum, Nebuchadnesaris primo, deinde et Jehojakimi, initium locandum esse, consequitur. Quod cum superius posita descriptione recte convenit; quæ Jehoachazo, trimestre suum regnum a mensis 3. die 10. inchoanti, Jehojakimum 6. mensis die 10. successisse statuit. Inde ad initium Jechoniæ circa 25. diem 12. mensis collocatum, menses numerantur 6. cum dimidio, quot tantum, supra annos decem, integro Jehojakimi regno hypothesis hæc attribuit; ab undecimo illius anno detractis 5. mensibus et unius dimidio. Qui quidem conficient; si Nebuchadnesarem annum suum primum diebus 25. ante finem tertii anni Jehojakimi inchoasse, et ad complementum octavi sui anni, præter 100. dies Jechoniæ, et 5. interregni 35. quoque primos succedentis Sedekiæ dies assumpsisse admiserimus. Qua ratione natali imperii Nebuchadnesaris in medio 5. mensis constituto; et primus illius annus responsurus est Jeojakimi quarto, diebus tantum 25. illo anterior, juxta Jeremiæ cap. XXV. ver. 1. et 18. anno Sedekiæ 10. diebus 40. hujus initio posterior, juxta

[k] Jerem. cap. 32. ver. 1.

Jeremiæ cap. XXXII. ver. 1. eruntque ab initio ejus, ad deportationem quidem Jechoniæ, mensis 4. die 5. anni 7. menses 10. dies 20. ad templi vero excidium, mensis 5. die 10. et captivitatem populi illud subsecutam, anni 19. diebus 5. minus.

THESIS VI.

Nebuchadnezar, a vivente patre in consortium regni assumptus, annos quadraginta tres post mortem illius imperavit solus; in universum vero, annos quadraginta quatuor, menses septem et dies decem circiter.

Anno Jehojakimi 3. desinente circa 15. mensis 5. diem, regnare cœpisse Nebuchadnesarem, ante deportationem Jechoniæ, mensis 4. die 5. factam, annis 7. mensibus 10. et diebus circiter 20. in præcedente thesi est ostensum. His additi anni 36. menses 8. et dies 20. qui a deportatione illa, ad annum quo Evil-merodach regnare cœpit, effluxerunt, longissimum regni Nebuchadnesaris tempus exhibebunt, annorum 44. mensium 7. et dierum 10. circiter. Filius enim et successor ipsius proximus Evil-merodach ad regiam dignitatem in aula sua Jechoniam evexisse fertur, "anno[a] a deportatione ipsius 37. mense 12. die mensis 25. eodem quo regnare cœpit anno;" qui quidem 25. dies imperii videtur fuisse natalis; quo de evehendo Jechonia consilium ille iniit: quum ipsum evectionis diem 27. ejusdem 12. mensis ex 2 Regum cap. XXV. ver. 27. fuisse appareat.

Berosus quidem in tertio Chaldaicæ suæ historiæ libro, Josephus[b], et Ptolemæus in regum Babylonicorum canone, 43. tantum annos Nebuchadnesari tribuunt, sed a morte patris numeratos: quum in Jeremia et sacra Regum historia, ab expeditione ejus in Syriam et Judæam vivente patre suscepta, principatus ejus epocha deducatur. Quo tempore regni paterni factum illum fuisse participem,

[a] Jerem. cap. 52. ver. 31, 32.

[b] Lib. 10. Antiquit. cap. 11. col. 12.

Berosus[c] satis aperte significat. A Nabopolasaro enim cum exercitu adversus rebelles missus, eorum regionem, ut ille scribit, *ὑπὸ τὴν αὐτοῦ* vel *αὐτῶν* (sic enim in libro primo contra Apionem, et Georgii Syncelli chronico citatum legitur) "*βασιλείαν ἐποίησε*, regno suo subjecit," post illius demum obitum "*κυρίευσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς*, paterno principatu in solidum potitus;" quem antea scilicet divisum cum patre gesserat. Unde et Daniel, licet Nebuchadnesarem, quum primam adversos Judæos expeditionem susciperet, anno tertio Jehojakimi, regem Babyloniæ, propter regni cum patre tum vivente societatem, appellet[d]: annorum tamen regni numerationem more Chaldæorum apud quos agebat ab obitu patris et mero ipsius imperio deducit; anno illius secundo, somnium ipsius a se expositum significans[e], exactis jam tribus captivitatis suæ annis, quibus privatim in literis et lingua Chaldæorum est institutus, priusquam in regis aspectum est adductus[f], quod nullo modo ad secundum regni annum quod cum patre communicavit; sed ad finem secundi anni monarchiæ sive solitarii regni commodissime referri poterit.

Et recte quidem hoc observavit Scaliger[g], sed vitiosa lectione loci Berosi[h] deceptus, quæ 29. regni annos pro 21. Nabopolasaro tribuit, ineunte anno regni sui 30. et communicati cum filio imperii 13. mortem illum obiisse putavit; ac proinde annum illum, Nebuchadnesaris secundum[i], ab obitu patris numeratum 14. illius in Syria 2. in Babylonia, Sedekiæ vero 6. fuisse pronunciavit. Clemens Alexandrinus, libro primo Stromatum, ad Sedekiæ captivitatem Berosi historiam referens, anno regni illius 12. (eum enim tum ingressus is fuisset, si liber permansisset,) hoc contigisse sensit: qua ratione 19. simul cum patre Nebuchadnesar regnavisset annos. Josephus[k] ean-

[c] Apud Josephum, lib. 10. Antiquit. cap. 11. lib. 1. contra Apionem.
[d] Dan. cap. 1. ver. 1. [e] Ibid. cap. 2. ver. 1. 31.
[f] Dan. cap. 1. ver. 4, 5. 18, 19.
[g] Scalig. Prolegomen. in lib. de emend. temp. pag. 13, 14. et not. in fragment. pag. 10, 11.
[h] Apud Josephum, lib. 1. contra Apionem.
[i] Daniel. cap. 2. ver. 1. [k] Lib. 10. Antiquit. cap. 11.

dem historiam ad 23. Nebuchadnesaris annum, quo postrema Judæorum facta est deportatio[l], referendam esse censuit. Tunc enim cum magnis copiis Cœle-Syriam eum invasisse scribit, eaque subacta bellum gessisse contra Ammonitas et Moabitas: et his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter ingressum, repertos ibi Judæos rursum captivos Babylonem abduxisse: deinde, post Ægypti populationem exacto biennio mirandam illam visionem, Danielis cap. II. expositum, objectam illi fuisse subjicit. Cujus etiam hic insistens vestigiis Hieronymus[m], licet pro Josepho Berosum ille nominet, visionem hanc anno Nebuchadnesaris 25. factam fuisse ait. Ita vero simul cum patre 23. ille regni annos exegisset; et anno captivitatis Jechoniæ 15. Ægyptus ab eo fuisset occupata: quod tamen ante 27. illius annum non factum, ex Ezechielis cap. XXIX. ver. 17. rectissime animadvertit Franciscus Junius. Eo igitur Berosi historiam spectare ille[n] existimans, undecimo ante mortem suam anno Nebuchadnesarem, audito patris obitu et constituta Ægypto, Babyloniam repetivisse vult, ut regnum iniret solus; quod per 34. annos hoc admisso calculo, qui Nabopollasaro 54. pro 21. Nebuchadnesari 10. pro 43. assignat annos, simul cum patre jam gessisset. Indeque a vero monarchiæ illius initio constituendo tantopere aberrans, duriorem illam Tremellii sui interpretationem in Daniele admittere cogitur. "Anno secundo, nempe regni Nebuchadnesaris, somniavit Nebuchadnesar somnia." Anno secundo ab eo tempore numerato, non quo Nebuchadnesar mortuo patri in imperio successit, sed quo pueri quatuor adducti ad regem steterunt coram eo[o].

[l] Jerem. cap. 52. ver. 30.

[m] Vid. Hieron. et Perer. in Dan. cap. 2. ver. 1.

[n] Jun. in Ezech. cap. 30. ver. 1. et Dan. cap. 2. ver. 1.

[o] Daniel. cap. 1. ver. 18, 19.

CAP. I.

Difficultates nonnullæ, ad Nebuchadnesaris et regum Judæ, qui sub illius imperio vixerunt, tempora spectantes explicantur: et septuaginta annorum servitutis Babylonicæ, per Jeremiam prædictorum, initium a jugo Babylonico, anno quarto Jehojachimi primum a Judæis suscepto, non a posteriorum deportationum aliqua, deducendum esse ostenditur.

Nebuchadnesaris et trium postremorum, qui illius imperio fuerunt obnoxii, regum Judæ temporibus ita constitutis, difficultates nonnullæ, ad eadem pertinentes, explicandæ jam veniunt: quarum prima tres illas deportationes spectat, sub finem LII. capitis Jeremiæ, hunc in modum commemoratas: "Iste est populus quem deportavit Nebuchadnesar anno 7. Judæi 3023. anno 18. Nebuchadnesaris deportavit Hierosolymis animas 832. anno 23. Nebuchadnesaris; deportavit Nebuzaradan præfectus satellitum e Judæis, animas 745. Omnes animæ 4600. sunt." Ubi Rabanus ter Judæos a Nebuchadnesare captos scribit; harumque trium captivitatum numerum hic a propheta censeri. Primam ponit in transmigratione Joakimi filii Josiæ, de qua 2 Paralipomenωn cap. XXXVI. Secundam in transmigratione Jechoniæ, de qua 2 Regum cap. XXIV. Tertiam in urbis ac templi excidio, sub Sedekia, de qua 2 Regum cap. XXV. "Quæ si vera sententia est; tres numeri mutandi sunt: ut pro septimo anno in prima captivitate scribatur, primo; in secunda pro octavo decimo scribendum sit, octavo; pro vicesimo autem tertio in captivitate postrema legi oporteat, undevicesimo," inquit Melchior Canus[a]. At quis prudens non potius judicaverit falsam esse sententiam Rabani; quam falsatos esse

[a] Lib. 11. Locor. theolog. cap. 5.

omnes Bibliorum codices, Hebræos, Chaldæos, Syros, Græcos, et Latinos. Multo igitur modestius Emanuel Sa, in notationibus ad hunc locum: "Quidam," inquit, "putant esse errorem in numeris; et legendum pro 7. 1. pro 18. 8. pro 23. 19. ut patet ex 4 Reg. cap. XXIV. et cap. XXV. et 3 Paralipomenων cap. XXXVI. Ego id non ausim dicere; potius dicerem, de aliis hic translationibus agi quam IV. Regum." Et sane quidvis potius dicendum fuerat quam ad hoc desperatum remedium recurrendum.

Rectius igitur multo Jacobus Cappellus, in chronologia[b] sua, deportationum alias majores, alias minores fuisse asserit: prioris generis tres, anno Nebuchadnesaris 1. 8. et 19. factas; posterioris item tres, quæ Jeremiæ capite LII. anno Nebuchadnesaris 7. 18. et 23. commemorantur factæ. Cum enim Jehojakimus post triennii servitutem adversus Nebuchadnesarem rebellasset, immissus est contra eum exercitus, ex Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum et Ammonitarum turmis constans. Quod ex præstituto Domini factum fuisse Scriptura notat; ut Judæos perderet, et amoveret a facie sua, secundum verbum quod locutus fuerat per servos suos prophetas[c]. Ab hoc igitur Nebuchadnesaris exercitu, anno illius quidem 7. Jehojakimi vero 10. deportati sunt Judæi illi 3023. quod et a fastorum Siculorum authore est animadversum; anno regis hujus decimo, "Nabuchodonosorem regem Babylonis, septimo anno regni sui subacta Judæa 3013. Judæos captivos abduxisse," memorante.

Factum hoc, non quidem biennio, (ut erronea illius statuit hypothesis, quæ 12. annos regno Joakimi tribuit,) sed integro anno ante grandem illam deportationem, sub ejus successore Jechonia factam, ad quam, non ad illam sub Joakimo, Tremellius et Deodatus primam in hoc Jeremiæ loco propositam referendam esse judicant. Quanquam enim captus fuisse dicatur Jechonias anno Nebuchadnesaris octavo, et captivi decies mille cum eo abducti[d]: ista

[b] Ad annum mundi 3398. et 3414. [c] 2 Reg. cap. 24. ver. 1, 2, 3.
[d] 2 Reg. cap. 24. ver. 12. 14.

tamen inter se conciliari posse Deodatus existimat, si in fine septimi et initio octavi contigisse, et Jeremiæ 3000. Hierosolymitani, reliqui 7000. ex diversis Judææ partibus milites fuisse admittantur. Verum, quum ab initio Nebuchadnesaris ad Jechoniæ captivitatem, præter annos 7. plusquam 10. mensium spatium intercessisse, in V. theseos fine ostenderimus: illa 7. desinentis et 8. ineuntis consideratio locum hic habere non poterit; et quum e tribus deportationibus hic memoratis, media tantum Hierosolymitanorum, duæ reliquæ Judæorum fuisse, dicatur: illa primæ ad Hierosolymitanos restrictio minus ad mentem sacri scriptoris facere videatur. Quin et in magna illa Jechoniæ deportatione, quæ una longe plures captivos habuit quam tres illæ, de quibus nunc agimus, simul sumptæ, ipsorum Hierosolymitanorum multo majorem quam 3000. numerum fuisse apparet. Sic enim locum huc spectantem, 2 Reg. cap. XXIV. ver. 14. reddidit Tremellius: "Et deportavit rex e totis Jeruschalaimis cum omnes præfectos, tum omnes valentes robore, decies mille captivos, omnesque fabros lignarios et fabros ferrarios." Sed, "e totis Jeruschalaimis," per synecdochen ille explicat, "e toto regno:" et in numero decies mille captivorum, e tribu Judæ 3023. illos[e] fuisse censet; reliquos 7000. quorum 2 Reg. cap. XXIV. ver. 16. fit mentio, ex urbe Hierosolymitana deportatos fuisse subindicans. Contra Deodatus, illa Tremellii synecdoche ut nimis fortasse catachrestica minus probata, "tota Hierosolyma, majorem et meliorem partem populi," interpretatur: ex urbe 3023. quæ certe major Hierosolymitanorum pars esse non poterat, abductos fuisse conjiciens, cæteros vero 7000. ex tota regione reliqua deportatos fuisse, intelligendum relinquens. Sed verius omnino est, numerum illum 3023. in Jeremia positum, ad deportationem sub Jechonia factam nihil omnino attinere.

Secundam *μετοικεσίαν* captivorum 832. Hierosolymis decedentium, non, ut Rabanus, de Jechoniæ, sed de Sedekiæ transmigratione, post expugnata et diruta Hieroso-

[e] Jerem. cap. 52. ver. 28.

lyma Tremellius et Deodatus accipiunt, sub finem anni 18. et initium 19. anni Nebuchadnesaris factam eam fuisse opinati. Et licet ex Jeremiæ cap. LII. ver. 12, 13. manifestum sit incensum fuisse templum anno Nebuchadnesaris 19. Josephus[f] tamen ad 29. ejusdem, ut videtur, capitis versiculum respiciens, anno ejusdem 18. hoc factum fuisse scribit: numero tamen 832. deportatorum ibidem expresso ad captivitatem, sub Jechonia factam, relato; cum quo, præter decem millia 2 Reg. cap. XXIV. ver. 14. commemorata, 832. etiam alios abductos fuisse asserit[g]. Laurentius vero Codomanus etiam anni tempestatem, qua Nebuchadnesar regnum iniit ex hoc ita conatus est eruere. Anno 10. Sedekiæ, durante obsidione Hierosolymitana, ingressus est Nebuchadnesar annum regni[h] 18. Anno 11. Sedekiæ mense 4. die 9. Chaldæi captam urbem ingressi sunt[i]. Necdum desiit annus 18. Nebuchadnesaris: quo 832. Judæos Hierosolymis captivos ab illo abductos Scriptura testatur[k]. At vero annum 19. regni sui attigit Nebuchadnesar mensis 5. sequentis die 7. quo Nabuzaradan Hierosolymam ingressus est, ut eam flammis perderet, et solo æquaret[l]. Ergo inter 9. diem mensis 4. anni 11. Sedekiæ, et mensis 5. diem 7. initium 19. anni, et consequenter reliquorum omnium annorum, Nebuchadnesaris statuendum est. Et quia initio huic assignandus erat vel 7. dies mensis 5. vel aliquis 27. dierum præcedentium: ne is relinqueretur in dubio, pro eo mensis 5. Kalendas assumere Codomano[m] placuit.

Verum nimis debili tota hæc structura nititur fundamento: non potuisse 832. illos Judæos Hierosolymis abduci, priusquam Hierosolymis Chaldæi essent potiti. Nam deportati Hierosolymitani duorum fuerunt generum: ut liquet ex 2 Regum cap. XXV. ver. 11. Jeremiæ cap. XXXIX. ver. 9. et cap. LII. ver. 15. Alii partim metu,

[f] Tum in lib. 10. Antiquit. cap. 11. tum in libro 1. contra Apionem.
[g] Antiquit. lib. 10. cap. 9. [h] Jerem. cap. 32. ver. 1, 2.
[i] Jerem. cap. 39. ver. 2, 3. cap. 52. ver. 5, 6, 7.
[k] Jerem. cap. 52. ver. 29. [l] 2 Reg. cap. 25. ver. 8.
[m] Codoman. Chron. lib. 3. cap. 12.

partim Jeremiæ prophetæ suasione[n] inducti, ab urbe obsessa defecerunt ad Babylonios : alii in urbe remanserunt. Quum igitur anno 10. Sedekiæ, Ægyptiaco exercitu adventante, Chaldæi obsidionem intermittere fuissent coacti, anno ante captam urbem altero, ut in II. thesi est ostensum, Hierosolymitanos illos 832. qui ad eos defecerant, in Babyloniam abducendos curaverunt ; anno Nebuchadnesaris 18. quem 10. Sedekiæ respondere Scriptura diserte asserit[o], non ita quidem exiliter, ut 18. illius primos 9. suos dies communes tantum habeat cum 10. hujus, ut Codomano[p] visum fuit ; sed ut 10. hujus 35. dierum spatio 18. illius antevertens 330. reliquis diebus cum eodem paria faciat : quemadmodum in V. thesi declaravimus. Quare nec anni 18. desinentis, et 19. ineuntis remedium quicquam hic prodest : 832. vero deportatorum numerus plurimum etiam obest. Eversa enim urbe et civibus vacuata[q], non plures inde captivos abductos fuisse, nemo prudens opinabitur.

Quod in minore 745. numero multo magis locum habet in tertia deportatione commemorato : quam ad transmigrationem populi sub Sedekia factam, contra omnium aliorum sententiam, Rabanus accommodat. Quum enim migravisse tum dicatur Juda e terra sua, vinitoribus tantum et fossoribus in ea relictis[r] : tantillum captivorum numerum translatum inde fuisse, nullus, opinor, sanus somniaverit. Neque justa aliqua ratio afferri potest, cur ante 23. Nebuchadnesaris annum, in textu expressum, translationem hanc factam fuisse arbitraremur. Etsi enim longe maxima Judæorum pars, qui post urbis excidium in terra remanserant, per proditionem occiso eorum duce Gedalia in Ægyptum, necquicquam reclamante Jeremia, migraverit : multos tamen ibi substitisse vel ex unico illo Ezekielis testimonio, tribus post cædem Gedaliæ mensibus edito, (siquidem mense septimo illum sublatum con-

[n] Jerem. cap. 21. ver. 9. et cap. 38. ver. 2.
[o] Jerem. cap. 32. ver. 1.
[p] Codoman. annal. ad ann. mundi 3533. a.
[q] Jerem. cap. 39. ver. 8, 9. [r] 2 Reg. cap. 25. ver. 11. 21.

stat, Jeremiæ cap. XLI. ver. 1. hoc vero prolatum esse decimo ; Ezechielis cap. XXXIII. ver. 21.) intelligitur : " Qui[s] habitant vastitates istas in terra Israelis, loquuntur dicendo : Unus erat Abraham qui hæreditario jure possideret hanc terram, nos autem multi ; nobis tradita est hæc terra in hæreditatem." Neque enim tales erant illi, qui in Ægyptum concesserant[t], quales hic propheta describit : ut a Christiano Massæo in sexto Chronicorum libro recte est animadversum. " Illi[u] manere noluerunt ; isti voluerunt. Illis promissa securitas, si manerent : istis[x] dicitur, quod pestilentia, fame, gladio caderent. Illos[y] occidit Nebuchodonosor in Ægypto : istos partim cæsos in Judæa, partim translatos a Nebuzaradan constat anno Domini sui 23. qui fuit 4. desolationis Hierusalem :" quod non animadvertens Josephus, " quinto[z] post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosori vigesimus tertius," (anno enim illius 18. ut dictum, non 19. templum et urbem excisa fuisse ille censuit) Judæos hosce ex Ægypto captivos Babylonem abductos fuisse credidit, quum ante 27. deportati Jechoniæ, qui fuit regni Nebuchadnesaris 35. Ægyptum ab eo occupatam non fuisse, ex Ezechielis cap. XXIX. ver. 17. sub præcedentis thesis finem jam audiverimus.

Sequitur locus longe difficilior : " In[a] principio regni Jehojakimi filii Josiæ regis Judæ, fuit verbum hoc ad Jeremiam a Domino." Ubi pro Jehojakimi nomine, Sedekiæ reponendum Josephus Scaliger contra Pareum, Jacobus Salianus[b], Johannes Bohemus[c], et alii aliqui existimant ; licet Hippolytus Portuensis, vel quicunque author fuit Chronici[d] anno 13. Alexandri Severi conscripti, et Epiphanius in Panario[e], Sedekiam etiam Joakimi nomine appellatum fuisse, sensisse videantur.

[s] Ezek. cap. 33. ver. 24.
[t] Jerem. cap. 43.
[u] Jerem. cap. 42. ver. 10, 11, 12.
[x] Ezek. cap. 33. ver. 27, 28.
[y] Jerem. cap. 52. ver. 30.
[z] Lib. 10. Antiqu. cap. 11.
[a] Jerem. cap. 27. ver. 1.
[b] Ad ann. mund. 3426. parag. 18, 19, 20, 21. tom. 4. pag. 659, 660. et 718.
[c] Pag. 245, 246.
[d] Tom. 2. antiqu. lect. H. Canisii, pag. 594. Vid. Harvillæum, col. 952. 985, 986. item Syr. MS. LXX. et Hieron.
[e] Pag. 15. edit. Græc. Basil.

In versu vero tertio illius Jeremiæ capituli, "per legatos qui venturi erant Hierosolyma ad Sedekiam regem Judæ," Dei voluntatem finitimarum gentium regibus significare propheta jubetur, ut Nebuchadnesaris regis Babyloniæ jugo colla sua submitterent. Deinde versu duodecimo, "etiam Sedekiam regem Judæ allocutum se fuisse secundum omnia verba ista," Jeremias subjicit: in principio capitis sequentis, hanc quoque temporis περιγραφὴν porro adjiciens: "Et[g] factum est in anno illo in principio regni Sedekiæ regis Judæ; in anno quarto, in mense quinto." Unde et nova exoritur difficultas, unde in principio regni Sedekiæ factum dicatur, quod quarto illius anno contigit.

Porro prophetiam illam in anteriore medietate, sive undecim primis versiculis capitis XXVII. comprehensam, in principio regni Jehojakimi a Deo primum revelatam Jeremiæ fuisse, censent Tremellius, Codomanus, Brochtonus, Deodatus, et alii: triennio scilicet antequam Nebuchadnesar in Babylonia, et 11. annis priusquam Sedekias in Judæa regnare cœpisset: quæ in posteriore vero medietate, et undecim reliquis versibus continentur, ipsius Sedekiæ demum temporibus regi, et sacerdotibus, et toti populo a propheta fuisse proposita. In priore igitur parte, comparare sibi vincula et lora in tempus illud quo regnaturus esset Sedekias, jussum fuisse prophetam existimant. "Sic enim auctoritatem conciliatam prophetiæ, et omnem male de propheta suspicandi occasionem sublatam," affirmat Tremellius. Creditque Codomanus, "propterea undecim annis ante regnum Sedekiæ factum esse ad Jeremiam verbum Domini, de jugo quinque regibus mittendo per legatos ad regem Sedekiam missos, ut propheta sciret suæ vitæ non metuendum esse ab impio rege Joiakimo; quo defuncto, jugum traditurus esset legatis mittendis ad novum in ejus regno successorem, Sedekiæ nomen habiturum."

Ad alterum autem locum[i] quod attinet, duram esse

[g] Jerem. cap. 28. ver. 1.
[h] Codoman. annal. ad ann. mund. 3512.
[i] Jerem. cap. 28. ver. 1.

existimat illam Maldonati[k] expositionem Paludanus[l]; annum 4. Sedekiæ dici principium regni ejus, quia fuit ante medietatem illius, quanquam regni Sedekiæ undecim tantum existentibus, ut eorum 4. ad principium regni ejus referatur, neque Anglo-Duacensibus nostris interpretibus, neque Jacobo Saliano[m], durum omnino esse videtur. Alii, ex profectione vel legatione Sedekiæ anno regni sui 4. in Babyloniam insituta[n], eum de novo in regem a Nebuchadnesare fuisse confirmatum colligunt; indeque in quarto illo anno novum principium regni Sedekiæ constituit, quæ Nicolai Lyrani in Jeremiæ cap. XXVII. ver. 3. et Augustini Tornielli ad annum mundi 3439. parag. 4. est sententia. Alii priora ista, "Et factum est in anno illo, principio regni Sedekiæ regis Judæ," ad superiora referre malunt, atque a posterioribus separare, "In anno quarto in mense quinto:" quæ cum sequentibus nectenda esse censent. Quod probabile judicat Dionysius Petavius[o]: et multo esset probabilius si Tremelliana loci illius versio reciperetur: "Quum autem fuisset, vel accidisset, illud anno illo, principio regni Sedekiæ regis Judæ: anno quarto, mense quinto, allocutus est me Hanania." q. d. Quum illa quæ præcesserant, a versu 12. ad finem cap. XXVII. "anno illo," id est, "in principio regni Sedekiæ" edixissem, anno demum post "quarto, mense quinto," iis quæ dixeram contradicens Hananias, ita me est allocutus.

Superest adhuc trium illarum difficultatum postrema, quas sapientiæ cœlestis afflatu egere Beroaldus putavit, ut possint intelligi. Jehoiakin, sive Jechonias, quum regnare cœpisset, dicitur fuisse annorum octodecim in Regibus[p], at octo tantum in Chronicis[q]. Pro[r] 8. autem annis, multum ille facere existimat locum illum Matth. cap. I. ver. 11. ut in veteribus codicibus legitur: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησεν Ἰωακεὶμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησεν Ἰεχονίαν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ

[k] Pag. 236.
[l] Ann. 3439. parag. 17. pag. 714. 718.
[m] Vid. Sal. Jarchi.
[n] Jerem. cap. 51. ver. 59.
[o] Tom. 2. pag. 162.
[p] 2 Reg. cap. 24. ver. 8.
[q] 2 Chron. cap. 36. ver. 9.
[r] Matth. Beroald. Chr. lib. 3. cap. 5.

τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. Josias autem genuit Joakim, Joakim autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transportatione Babylonica." Octavus enim Jechoniæ ab undecimo et postremo patris Joachimi subtractus ad desinentem 3. et ineuntem 4. Joakimi annum nos perducit: quo tempore Daniel initio historiæ suæ notat Nebuchadnesarem, capta Hierosolyma, vasa sacra, et primariæ nobilitatis florem in Babyloniam deportasse. Quam sententiam propugnat etiam Jacobus Cappellus[s] in chronico suo.

Contra vero, decimum octavum potius ætatis annum Jechoniam tunc egisse, argumento est, quod malum fecisse dicitur "in conspectu Domini, omnino prout fecerat pater ejus;" et quod uxores ejus, fœminas Tremellius reddidit, simul cum eo deportatæ memorentur[t]: quæ in octo annorum puerum minus competunt. Unde Cajetanus ad locum illum Chronicorum, Canus[u] et Johannes Mariana[x] 8. pro 18. errore scriptorum irrepsisse in textum asserunt. Pro quibus facit et editio Syriaca: quæ in loco illo Chronicorum etiam 18. annorum numerum nobis exhibet. "Nimirum Hebraico codice," ut ait Mariana, "a librariis vitiato, is error in Græcos codices et Latinos inde manavit, et scribentis peccatum interpretis vitium factum est."

Sed ante illos Abulensis[y] sacri textus corruptelam nullo modo hic admittendam esse præmonuit. Primum quia "ista positio," ut ille loquitur, "est nimis scandalosa;" quia eodem modo Scripturam "poterimus dicere in omnibus locis esse corruptam: vel saltem non erit nobis firmum, aliquam partem ejus esse veram. Deinde quia de jure humano est regula, quod in ipsis juribus vitanda est correctio; et nunquam sunt jura corrigenda quandiu possunt tolerari, sed expedit jura juribus concordari: ut patet[z]. A fortiori ergo in sacra Scriptura, in qua nihil debet concedi devians a veritate, debet laborari pro concordia ejus, et sic quamdiu potuerint partes concordari, non est dicendum

[s] Cappell. chron. ad ann. mund. 3392.
[t] 2 Reg. cap. 24. ver. 9. 15.
[u] Lib. 11. Locor. theolog. cap. 5.
[x] Pro edit. vulgata, cap. 21.
[y] Alph. Tostat. in 4. Reg. cap. 24. qu. 8.
[z] De elect. lib. 6. c. cum expediat.

quod aliqua pars sit corrupta. Et tamen possunt concordari istæ partes sacræ Scripturæ:" inquit ille, nempe, si 8. annorum dicatur fuisse Jechonias, quando cœpit regnare vivente patre; 18. vero, quando regnavit solus mortuo patre. Ejusque in regni consortium cooptationis, ex prophetia illa Jeremiæ cap. XXVII. jam exposita, rationem etiam aliquam Codomanus[z] ita conatur reddere: "Joakimus, audito Jeremiæ vaticinio, metuit ne per illud populus moveatur, ut Sedekiam aliquem (frater enim ipsius non Sedekias, sed Mattanias eo tempore dicebatur) præferat suo filio Jechoniæ. Quamobrem eundem, annos tantum octo natum, curat regem designari: ut sic prophetia Jeremiæ fiat irrita; nec filius olim experiatur fortunam paternam, (ipsi enim Joakimo minor frater Joachazus a populo prælatus fuerat) et ad alium transferri videat regnum jure hæreditatis sibi debitum."

Alii aliter ista inter se conciliant. Tremellius enim, et eum secutus Brochtonus, locum 2 Chronicorum cap. XXXVI. ver. 9. sic interpretatur: "Natus octo annos, quum ILLE regnare inciperet:" non ipse videlicet, sed pater ejus; cujus in proxime præcedentibus facta fuerat mentio. Rectius vero, juxta locutionis illius sententiam primum usurpatam, initio regni Saulis primi Israelitarum regis, octavum ille annum egisse dici poterit, non ætatis, sed servitutis Babylonicæ, cui ipse cum populo suo tunc erat obnoxius. Quidquid enim de loco illo Matthæi cap. I. ver. 11. demum statuatur: quo tempore patri successit in regno Jechonias, a captis anno Jehojakimi 4. Hierosolymis octavum numeratum fuisse annum non est dubium.

[z] Codoman. annal. ad ann. mundi 3513.

HISTORIA DOGMATICA,

CONTROVERSIÆ INTER ORTHODOXOS

ET PONTIFICIOS

DE

SCRIPTURIS

ET

SACRIS VERNACULIS.

ACCESSERUNT DISSERTATIONES II.

DE

PSEUDO DIONYSII SCRIPTIS,

ET DE

EPISTOLA AD LAODICENOS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

WILHELMO,

DIVINA PROVIDENTIA,

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI AC METROPOLITANO.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL,

Quod Clementiæ vestræ opus istud nuncupare audeam, facit Usseriani nominis dignitas, quæ ratione summi, quem in ecclesiis Britannicis tenes, loci a te potissimum patrocinium quæreret; si tanto nomini quærendum esset. Ille quidem in cœlos jamdiu receptus, extra omnes invidiæ ictus collocatur; et præclara pietatis, eruditionis, atque omnifariæ virtutis fama, ipsorum etiam, quos persecutores olim expertus est pessimos, venerationem meruit: tibi tamen, cui operum ejus posthumorum in lucem protrahendorum tanta fuit cura, gratias quam maximas debet, et quantum opus istud efficere potest, agit. In tuto quidem est Usserius: mihimet autem patrocinium necessario quærendum sentio; ne illustrissimi herois

manibus injuriam fecisse videar; dum lucubrationem illius aliquam ad incudem revocare, id quod vir maximus imperfectum reliquit, supplere, quod confusum, digerere, quod minus accuratum, emendare ausus fuerim. Unicum id mihi refugium; quod tuis mandatis opus susceperim, tuis consiliis persecutus, tuis demum auspiciis absolverim. Factum id a me quidem obedientiæ debito; a te autem Ecclesiæ orthodoxæ causam adversus errores et impetus pontificios propugnandi animo, eo præsertim tempore, quum pontificiorum injuriis et violentia Ecclesia Anglicana in summum adducta discrimen nutaret. Et forsan nutando proruisset, nisi clementissimum Numen in hæc tempora te, aliosque aliquot tui suffraganeos episcopos, reservasset; quorum prudentia, zelo atque invicta constantia res nostræ starent. Istud enim mihi muneris dedisti, paulo ante gloriosum illum carcerem, quo leges patrias asseruistis, fidem confirmastis, adversariorum impetus fregistis. Atque utinam is essem, qui et tuis in hac re votis, et Usseriani nominis amplitudini satisfacere potuissem! Cum vero neutiquam id sperare licuerit (neque enim facile reperiendus est aliquis, qui Usserio succedaneus fiat) id mihi solummodo restabat, ut apud te in humanitate tua, illaque qua me semper immeritum dig-

natus es benevolentia; apud alios autem in patrocinio tuo refugium quærerem. Faxit Deus optimus maximus, ut in religionis incrementum, in orthodoxæ fidei tutelam, in fidelium solamen, Ecclesiæ Anglicanæ clavum diu incolumis teneas, ut quæ nobis imminent procellæ, te præsidente, dissipentur; ne quod a malevolo olim Gallo[a] in opprobrium nostræ gentis causa S. Edmundi decessoris tui, scriptum est "Consuetudinis est terræ illi bonis prælatis injurias inferre," nostris temporibus renovetur. Ita vovet ex animo,

Clementiæ vestræ,

Devotissimus sacellanus, et

Cliens humillimus,

HEN. WHARTON.

[a] Monachus Pontiniacensis in vita S. Edm. MS. in biblioth. Lambeth prope finem.

PRÆFATIO.

Non opus esse arbitror, ut quod Usseriano nomini inscriptum prodit, lectori data opera commendem. Norunt quotquot literas meliores colunt, norunt et semidocti, quanta fuerit Usserii et quam diffusa eruditio, quam infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certe literaturæ instauratores et orthodoxæ religionis pugiles, sæculo quod postremo tulit orbis Britannicus; illum præ aliis habemus, quem nobismetipsis gratulemur, et in re literaria ducem statuamus.

Neque magis etiam necessarium duco eam, quam in isthoc opere author iniit, controversias pertractandi methodum commendare. Jamdiu est, quod eruditis comprobari cœperit. Cum pontificii enim in traditione refugium quærant, et erroribus suis Ecclesiæ primitivæ autoritatem prætexant; id potissimum nobis agendum, ut erroris originem investigemus, ut adversantem patrum autoritatem in medium proferamus, et uniuscujusque sæculi sententiam ordine exquiramus. Quod quidem unico aut altero testimonio sive lacinia ex patrum scriptis adducta atque hinc inde prolata parum efficitur. Ejusmodi flosculi Scriptoris forsan alicujus sententiam exhibent, neque id quidem indubie; erroris autem fontem nequaquam indicant. Unicum id igitur nobis faciendum restabat; quum et his et illis rationibus solutiones jamdu-

dum utrinque excogitatæ fuerint; quin et suas Scripturarum interpretationes mordicus teneant pontificii, suas et reformati; ut arbitri adhibeantur patres, ut sepositis utrinque sive ex Scriptura, sive ex ratione ductis argumentis, veterum oracula consulantur, ut Ecclesiæ praxis continuo historiæ filo demonstretur: cujusmodi argumentis non ita facile inveniri possunt effugia. Quas enim admittit dialectica tricas et argutias, excludit historia. Illi litem movere potest subtile atque acre ingenium; huic sola frontis impudentia.

Atque utinam integram controversiarum, quæ inter orthodoxos et pontificios agitantur, historiam aut ab Usserio aut ab Usserii non absimili conscriptam haberemus. Tunc in angustos fines redacta controversia integram hominum ætatem non exerceret; neque subtili disputantium calliditate in ævum continuari posset. Id operis olim in animo habuit Usserius; quod quidem illi per temporum injuriam absolvere non licuit.

Unica tanti operis, quod meditatum esse diximus Usserium, pars restat iste, quem nunc demum evulgamus, Commentarius de Scripturis et Sacris Vernaculis. In isthoc enim argumento vires suas experiri cœpit, atque ideo nomen illi indidit: "Specimen Historiæ Dogmaticæ Quæstionum inter Orthodoxos et Pontificios controversarum." Verum ne specimen quidem suum finire illi datum est. Innumera etenim congesserat scriptorum ecclesiasticorum testimonia; totam lectionis suæ vim coacervaverat; multa quidem secundum temporis seriem disposuerat; plurima autem prout in animum venerunt, aut legenti sese obtulerunt, sine ullo ordine, ullo partium contextu in adversaria sua retulerat. Manebat adhuc opus "rudis indigestaque moles," ab authore concinnandum et disponendum; quod utinam fata dedissent. Quod quidem illi præ ingruentibus Ecclesiæ et reipublicæ turbis nunquam præstare licuit.

Autographum demum ab authoris hæredibus in illustrissimi primatis et colendissimi patroni mei archiepiscopi Cantuariensis potestatem devenit : qui perlectum opus luce non indignum et Ecclesiæ non inutile judicabat, quamvis ultimum præstantissimi authoris manum non expertum. Mihimet itaque operam dedit, ut rem conficerem, fœtumque imperfectum obstetricante manu in lucem producerem.

Principio itaque integrum autographum manu propria descripsi; membra inordinata in sua quæque loca reposui; lacunas, prout potui, supplevi ; omnia methodo continua disposui ; testimonia quamplurima, ad quæ indicatis duntaxat authorum locis lectorem Usserius remiserat, conquisivi et apposui : singula cum vulgatis authorum libris contuli, errata emendavi ; denique Græca Latinis addidi. Neque enim in citandis patrum Græcorum testimoniis Græca protulerat author illustrissimus, si pauculas demas lacinias, quas in ipso opere expressas habes, neque in multis viderat. Plurima enim nondum Græce erant edita.

Historiæ Dogmaticæ de Scripturis et Sacris Vernaculis, comites dedi dissertationes ejusdem authoris binas, hactenus ineditas ; alteram prolixiorem De Pseudo-Dionysii scriptis, breviorem alteram De epistola ad Laodicenses. Utriusque copiam mihi fecit reverendissimus in Christo pater ac dominus, archiepiscopus Cantuariensis ; qui posteriorem ex Usserii adversariis manu propria olim descripserat ; priorem etiam ab alio quodam mendosissime exaratam, et sæpius hiulcam, conjecturis suis in margine additis, plurimis in locis restituerat. Aderant et aliæ ejusdem dissertationes de Ignatii et Clementis Romani scriptis. Cum istæ autem nil haberent, quod in notis editis ad Ignatii epistolas clarissimus Usserius non uberius tractaverit, rejiciendas duxi.

Ista de illustrissimi Primatis Historia Dogmatica nunc

recens edita præfari necesse erat; ne famæ ejus injuria fieret, si, quod facile auguror, lector aliis illius scriptis assuefactus, solitam eruditionem, nitorem, et judicium inibi desideraverit.

HISTORIA DOGMATICA

DE

SCRIPTURIS

ET

SACRIS VERNACULIS.

CAPUT I.

Veterum Hebræorum sententiæ.

ANTE CHRISTUM.

JESUS[a] filius Sirach. "Cogitatum[b] tuum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto: et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiæ," id est, concupita sapientia, "dabitur tibi."

"In[c] sensu sit tibi cogitatus Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi:" vel, ut Junius vertit, "cum intelligentibus esto confabulatio tua, et tota narratio tua de lege Altissimi."

[a] Vid. Damasceni Parallela, lib. 2. cap. 49.

[b] *Διανοοῦ ἐν τοῖς προστάγμασι κυρίου τελειως, και ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ μελέτα διαπαντός· αὐτὸς στηριει την καρδιαν σου, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῆς σοφίας δοθήσεταί σοι.* Eccles. cap. 6. ver. ult.

[c] *Μετὰ συνετῶν ἔστω ὁ διαλογισμός σου, και πᾶσα διήγησίς σου ἐν νόμῳ ὑψίστου.* Idem, cap. 9. ver. 21.

Esdras: "Priora[d], quæ scripsisti, in palam pone, et legant digni et indigni," &c.

Ben Sira a quibusdam[e] putatur esse Jesus Filius Sirach, ab Hebræis[f] nepos Hieremiæ prophetæ fuisse putatur. In sententiis ejus moralibus ita legimus: "Cum penes præceptorem suum sederet discendi gratia, dixit ad eum, Rabbi, doce me legere; qui respondit ei, Nondum es capax disciplinæ, eo quod adhuc pusillus es. (Atqui sapientes nostri piæ memoriæ dixerunt, puerum quinque annorum idoneum esse ad discenda biblia[g]). Dixit illi Ben Sira: Nescis quod dici vulgo solet, dies brevis est, et opus multum? et tu dicis ad me; Quiesce, ne discas, adhuc enim pusillus es. Certe ego video in loco, ubi mortui sepeliuntur, me juniores mortuos esse. Quis novit, quid sit futurum, an diu sim supervicturus, an brevi moriturus?"

Jonathan et populus Judaicus in epistola ad Spartiatas: "Consolationem[h] habentes ex libris sanctis, qui versantur in manibus nostris."

De matre septem Maccabeorum vide Josephum circa finem libri de Maccabeis, et 2 Maccabeorum cap. VII. ver. 6.

De Eleazaro et Judæis Josephus in proœmio Ἀρχαιολογίας de Septuaginta agens, hæc habet: "Eleazarus hanc utilitatem regi non invidit, reclamaturus omnino, nisi[i] consuetudinem haberemus a majoribus acceptam, res bonas et honestas celare neminem."

Hillel, celeberrimus ille Hebræorum doctor, anno centesimo ante templi secundi eversionem floruit; ut est in Talmud, ord. 2. Massecheth, Schabbath, et Elia præfatione in Methurgeman. Hujus sunt illæ sententiæ: "Qui[k] mul-

[d] Esdr. cap. 4. ver. 14. 45.

[e] Bonav. Corn. Bertram in Lucubrat. Francktallensib. cap. 5.

[f] Paul. Fagius, in epist. præfix. Ben Siræ.

[g] Videtur glossema Judæi ex Bag Bag, de quibus infra.

[h] Παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν ταῖς χερσιν ἡμῶν. 1 Maccab. cap. 12. ver. 9.

[i] ——εἰ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν τὸ μηδὲν σχεῖν τῶν καλῶν ἀπόῤῥητον.

[k] Pirke Aboth, cap. 2.

tiplicat legem, multiplicat vitam. Qui comparat sibi verba legis, comparat sibi vitam futuri seculi."

Ex octoginta discipulis, quos excellenti ingenio ac doctrina præditos post se reliquit Hillel, (inter quos etiam fuisse dicitur Simeon Justus, qui Christum infantem suscepit in ulnis) maximus Jonathas Uzzielis filius extitit; minimus vero omnium Johannes Zacchæi filius, sacerdos, quem Judæi Raban Johanan Ben Zaccai vocant; ut habet P. Galatinus[l].

Et quidem Jonathas[m], ut prophetici libri a vulgo Hebræorum commodius intelligi possent[n], vetus Testamentum in Chaldaicam linguam transtulit. Tantæque est apud Judæos authoritatis illius paraphrasis, ut in ipsorum synagogis, cum ipso Hebræo textu perpetuo quodam more ad hunc usque diem legi consueverit. Ita quidem Tremellius[o]. Sed Onkelon solum legi ita solitum apparet ex Eliæ præfatione in Methurgeman. Authorem hujus paraphrasis longe antiquiorem putat Johannes Dinckelius[p]; cui suffragatur, quod in Talmud in Massecheth Megilah legitur, Jonathanem prophetas Chaldaice convertisse ex ore Haggæi, Zachariæ, et Malachiæ.

Johannis Zacchæi filii est illa sententia: "Si[q] didicisti multam legem; non est bonum tibi ipsi adscribas; ad hoc enim creatus es." Ibidem etiam trium discipulorum illius, qui circa tempora Servatoris nostri vixerunt, sequentes habentur sententiæ.

R. Jose dixit: "Præpara teipsum ad discendam legem; non enim ea hæreditate tibi contingit."

R. Eleazar: "Da operam ad discendam legem; ut habeas quod respondeas Epicureo."

R. Simeon: "Non teneris opus perficere; neque sic liber es, ut prorsus abstineas ab eo. Si didiceris multam legem, dabitur tibi multa merces. Fidelis enim est Do-

[l] De Arcanis Catholicæ veritatis, lib. 1. cap. 2.
[m] Vid. Steuchum in Psalm. 109. fol. 214. et in Psal. 102. fol. 180.
[n] Galatinus, lib. 1. cap. 3. et lib. 8. cap. 24.
[o] Præfat. in Jonathæ paraphr. 12. minor. proph. a se Latine convers.
[p] Orat. de Lingua Chaldæa et Syra.
[q] Pirke Aboth, cap. 2.

minus laboris tui, qui reddet tibi præmium laboris tui. Et scias, quod merces justorum est in futuro seculo." Sensus est, ut Judæi exponunt hominem non teneri, ut totam legem ediscat, neque ut ab illa penitus abstineat; sed præstet quantum potest. Hoc tamen sciat, quod si multum in discenda lege sudaverit, multum et præmii a Deo reportabit, non quidem in præsenti, sed in futuro seculo.

POST CHRISTUM.

Ex Philonis libro primo de Judæorum ab Ægypto egressu, egregium habetur testimonium in Eusebii libro octavo Præparationis evangelicæ, capite septimo.

Ex ore R. Eleazaris et R. Josuæ, discipulorum Johannis Zacchæi filii, legem Chaldaice interpretatus est Onkelus (ut ait R. Jeremais[r], sive R. Hija Abbæ filius in Talmud Massecheth Megilah) qui sororis Titi filius fuisse dicitur (in Talmud[s] Massecheth ghittin, Perek hamninakin, et Elia præfatione in Methurgeman.) Hunc vero totam Bibliam in Chaldæum vertisse dicit Galatinus[t]: sed ejus editionem nunc, præterquam in Pentateuchum, vix alicubi reperiri. Postea autem Munsterus[u] retulit penes Johannem Dernschnammum fuisse Onkeli paraphrasin in Prophetas, ex Budensis bibliothecæ spoliis.

Flavius Josephus: "In[x] unaquaque septimana ad legem audiendam conveniunt universi. Nostrorum quilibet de legibus interrogatus, facilius quam nomen suum recitat. Universas quippe mox a primo sensu discentes in animo velut inscriptas habemus."

[r] Apud Masium Præfat. in Josuam.

[s] Ap. Galatinum, lib. 1. cap. 3. [t] Ibid.

[u] Præfat. in Gnomonic.

[x] *Ἡμῶν δ' ὀντινοῦν εἴτις ἔροιτο* (male apud Eusebium *ἕλοιτο*) *τοὺς νόμους, ῥᾴον ἂν εἴποι πάντα ἢ* (rectius apud Eusebium *πάντας ἢ*) *τούνομα τὸ ἑαυτοῦ. Τοιγαροῦν ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς ἐκμανθάνοντες, ἔχομεν ἐν ταῖς ψυχαῖς* (*ὥσπερ*, Eusebius) *ἐγκεχαραγμένους.* Flavius Josephus, lib. 2. contra Apionem. Citatur etiam ab Eusebio, lib. 8. Præpar. evang. cap. 8.

Idem, de Mose verba faciens ad Deuteronomii caput sextum "Pueri[y] etiam ante omnia leges ediscant; qua disciplina nec honestior est alia, nec ad felicitatem conducibilior." Et paulo ante, ex Deuteronomii capite undecimo "Septimo quoque anno, quando per Scenopegia festa apud sanctam urbem sacrorum causa convenitur; pontifex e sublimi suggesto, unde a tota multitudine exaudiri possit, legem pro concione legat; neque mulieres, et neque pueri ab audiendo arceantur: immo ne mancipia quidem. Nam bonum est legem ita animis impressam teneri, ut nunquam oblivione deleri possit. Sic enim neque peccabunt, cum ignorantiam rerum, quæ in legibus definitæ sunt, prætexere nequeant," &c.

Idem de Mose agens: "Jussitque[z] filios literis erudiri propter leges, et nosse progenitorum actiones, ut actus imitentur; et cum legibus educati neque transgrediantur, neque cogitationem ignorationis[a] habere judicentur."

Ipsum Josephum ab "infantia sacris literis eruditum" esse confirmat Hieronymus[b].

R. Hanina Theradionis filius ab Adriano Cæsare interfectus est, ut ex orationibus, quas Judæi in suo Machzor (breviarii id genus est) in jejunio propitiationis faciunt, ostendit Galatinus[c]. Hujus est sententia illa: "Duo[d] qui accumbunt mensæ, et non colloquuntur de lege; ecce iste est consessus irrisorum, de quo dicit Scriptura[e], *et in concessu irrisorum non sedit.* Veruntatem duo qui assident mensæ, et colloquia habent de lege; divinitas quiescit super eos."

[y] Μανθανέτωσαν δε και οἱ παῖδες πρώτους (forte πρῶτον legendum) τοὺς νόμους, μάθημα κάλλιστον και τῆς εὐδαιμονίας ἄιτιον. ——ἀναγινωσκέτω τοὺς νόμους πᾶσι, καὶ μήτε γυνὴ, μήτε παῖδες εἰργέσθωσαν τοῦ ἀκούειν, ἀλλα μήτε οἱ δοῦλοι. Καλὸν γὰρ ταῖς ψυχαῖς ἐγγραφέντας αὐτοὺς καὶ τῇ μνήμῃ φυλαχθῆναι, &c. Joseph. antiquit. lib. 4. cap. ult.

[z] Τοὺς παῖδας καὶ γράμματα παιδεύειν ἐκέλευσε, περί τε τοὺς νόμους ἀναστρέφεσθαι (ἐκέλευσα τὰ περὶ τοὺς νόμους, apud Euseb. loc. cit.) καὶ τῶν προγόνων τὰς πράξεις ἐπίστασθαι, &c. Josephus contra Apionem lib. 2.

[a] Melius excusationem seu prætextum ignorantiæ, τὴν σκῆψιν ἀγνοίας.

[b] Ad Magnum, epist. 83. op. tom. 4. pag. 655.

[c] Lib. 4. cap. 24.

[d] Pirke Aboth, cap. 3.

[e] Psalm 1.

Similis est ibidem sententia R. Simeonis: "Tres[f] qui edunt in una mensa, neque loquuntur in eo verba legis; perinde est ac si comedissent de sacrificiis mortuorum. Cæterum tres, qui cibum capiunt in una mensa, et conferunt in ea verba legis; perinde est ac si comedissent de mensa ipsius Dei."

R. Meir: "Minue[g] negotia, et vaca legi. Si vacare velis a lege erunt multa, quæ te avocabunt; sed si laboraveris in lege, multa merces tibi dabitur."

R. Eleazar Jacobi filius: "Qui[h] legem discit in pueritia, cui similis est? Ei qui scribit in charta nova. Qui vero legem discit in senectute, cui similis est? Ei qui scribit in charta vetere."

R. Jehoschua filius Levi: "Omni[i] die filia vocis (id est, vox cœlitus sonans) egreditur de monte Horeb, et præconizat; Væ hominibus ob ignominiam legis. Quicunque enim non exercet se in lege, culpabilis vocatur. Nullus vero sive liber, sive nobilis, habendus est nisi is qui exercet se in studio legis."

Adducitur[k] quoque sententia בן בג בג (ita appellatus est Rabbinus magni nominis ex Paganismo ad Judaismum conversus, quasi בן גר ובן גיורית) de meditatione legis divinæ. "Verte eam, et iterum verte eam: omnia enim in ea sunt. In ea item totus esto, neque unquam discedas ab ea: non enim habes melius ea exercitium."

In Talmud Hierosolymitano, tractatu Suta: "Quum R. Levi Cæsaream venisset, audivit aliquos recitantes שמע audi (precatio est, quæ incipit: Audi Israel, Dominus Deus tuus, &c.) Græce; Volebat itaque interdicere. Quod cum audivisset R. Joses, iratus dixit: Quicumque eam Syriace recitare nescit, ne recitet; sed recitet ea lingua quam intelligit. Hoc pacto suo muneri satisfacit[l]. "Omne quod egressum est ab ore Domini, divisum est

[f] Vide Rambam, tit. 2. l. 4. fol. פח. a.
[g] Pirke Aboth, cap. 4.
[h] Ex Aboth R. Nathan. Drusius, lib. 1. apotheg. Hebræorum.
[i] Pirke Aboth, cap. 6. [k] Ibid. cap. 5.
[l] Verba Hebræa extant apud Angelum Caninium de locis N. T. p. 13.

in septuaginta linguas;" inquiunt Talmudici[m], ut Anastasius Sinaita, et Theodoretus.

Circa annum Domini DLII. inter Hebræos magna exorta est controversia; eo quod nonnulli Hebraica tantum lingua in sacrorum librorum lectione uti vellent; nec Græcam tradere dignarentur. Re vero ad Justinianum imperatorem delata, illorum sententia confirmata est, qui Græcam etiam assumendam putarunt, "et[n] linguam omnem simpliciter, quam locus aptiorem et magis cognitam audientibus faceret." Cautumque est, ut neque damnis aliquibus subjicerentur omnino, qui Græcam vocem et alias traderent; neque ab alio quovis prohiberentur; neque licentiam haberent Rabbini illorum anathematismis aliquibus hoc prohibere; corporalibus alioqui pœnis, et privatione facultatum castigandi[o].

Expedita synagogæ Historia, (nam et illis commissa sunt *τὰ λόγια τοῦ θεοῦ*[p]) ad Christianæ Ecclesiæ praxin accedamus.

[m] Tract. Sabbath, cap. 9. Prolegom. bibl. Serar. pag. 68. col. 2.

[n] *Καὶ φωνὴν πᾶσαν ἁπλῶς, ἣν ὁ τόπος ἐπιτηδειοτέραν καὶ μᾶλλον γνώριμον τοῖς ἀκούουσιν εἶναι ποιεῖ.* Authentic. collat. 9. tit. 28. Novell. constit. 146.

[o] In authenticis collat. 9. tit. 28. Novell. constitut. 46. Vid. Talmudicos in Massecheth טגח דלין. Perek חלק tom. 1. Scriptorum Cabal. H. 9. 4. 6. pag. 275. et quæ de יאמן scribunt apud Caninium loc. Nov. Test. T. 8. 3. 20. pag. 37, 38. Vid. Eusebium, lib. 12. Evang. præpar. cap. 2. 12. 14. et Aben Ezram, atque Riberam apud T. Morton, part. 2. apol. pag. 56. et Espensæum, part. 2. apol. pag. 60. Vid. Masium in Josuam, pag. 157. ex מטטר. (contra pag. 159.) et pag. 25. ex Brehith Rabba.

[p] Rom. cap. 3.

CAP. II.

Græcorum patrum sententiæ, qui 600. ab ascensione Christi annis floruerunt.

A. D. CVII. IGNATIUS ANTIOCHENUS EPISCOPUS.

In epistola ad Philadelphios, quæ huic tribuitur, ita legimus: "Patres educate filios vestros in disciplina et admonitione Domini, et docete eos sacras literas et artes, ut non dedant se otio et inertiæ. Honeste," inquit, "educat justus pater liberos; in filio sapienti lætabitur cor ejus. Οἱ πατέρες ἐκτρέφετε τοὺς ἑαυτῶν παῖδας ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. Καὶ διδάσκετε αὐτοὺς τὰ ἱερὰ γράμματα, καὶ τεχνὰς, πρὸς τὸ μὴ ἀργίᾳ χαίρειν. Καλῶς δὲ, φησὶν, ἐκτρέφει δίκαιος, ἐπὶ υἱῷ συνετῷ εὐφρανθήσεται ἡ καρδία αὐτοῦ." Ibidem de virginibus agens, pudicitiam servandam monet, οὐκ ἐπὶ διαβολῇ συναφείας, ἀλλ ἕνεκα τῆς τῶν νόμων μελέτης. hoc est, ut vertit Sylvius[a], "non in calumniam matrimonii, sed ut liberioribus animis divinæ legis meditationi vacent[b]."

Atque hoc nomine, epistola prima Mariam Cassoboliten commendat propter "crebro[c] ab ipsa citata Scripturarum loca:" eandemque in fine epistolæ ad Heronem exemplar sanctissimarum fœminarum facit. Vide epistolas ad Smyrnæos.

A. D. CXL. POLYCARPUS SMYRNÆORUM EPISCOPUS.

In epistola ad Philippenses: "Confido vos bene exercitatos esse in sacris literis: et nihil vos latet."

[a] Tom. 3. Biblioth. patrum.

[b] Sic etiam vertit vetus interpres Latinus.

[c] Παντὸς δέ με ἦσαν αἱ συνεχεῖς σου τῶν γραφικῶν χωρίων μνῆμαι.

A. D. CLX. JUSTINUS MARTYR.

In oratione cohortatoria ad Gentiles: "Tempus jam est, viri Græci, cum a prisco majorum errore desciscere, tum[d] divinis prophetarum vacare libris, et ex eis veram addiscere religionem, non dicendi artes profitentibus, neque verbis ad permovendum atque persuadendum compositis utentibus, hoc enim eorum est proprium qui veritatem suffurari studio habent, verum qualiacunque simpliciter nomina et verba usurpantibus, et eas vobis res annunciantibus, quas descendens in eos Spiritus Sanctus religionem veram discere volentes, per illos docendos esse statuit." Et paulo post: "Reliquum[e] fuerit, ut remisso majorum vestrorum errori nuncio sanctorum virorum legatis vaticinia, non splendorem orationis ab eis petentes: quod non in dictis sed in factis res nostræ religionis consistant, et ex ipsis ea percipiatis, per quæ vitam possitis consequi sempiternam."

In epistola ad Zenam et Serenum de vita Christiana: "Quocirca vigilare debemus, responsis Salvatoris navantes (operam) ac nihil de quoquam mali vel dicentes vel audientes. *Διὰ τοῦτο γρηγορητέον τοῖς λογίοις τοῦ σωτῆρος σχολάζοντας, μηδὲν περὶ μηδενὸς*[f] *φαῦλον λέγοντας ἢ ἀκούοντας.*" Et paulo post: "Quærendum autem de divinis oraculis; ac si quidem prudenter, pulchrum id fuerit; sin secus, ad instar tamen idiotarum et imperitorum," id faciemus. *Insipienti namque sapientiam inquirenti sapientia imputabitur. Ζητητέον δὲ περὶ τῶν λογίων, καλὸν εἰ συνετῶς· εἰ δ' οὐ, κᾶν ὥσπερ ἰδιώτη. ἀνοήτῳ γὰρ ἐπερωτήσαντι σοφίαν σοφία λογισθήσεται.*"

In apologia prima pro Christianis ad Antoninum Pium, ordinem sacrorum Christianorum ita describit:

[d] *Ἐντυχεῖν ταῖς θείαις τῶν προφητῶν ἱστορίαις, καὶ γνῶναι παρ' αὐτῶν τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν ——— τὸ ἅγιον πνεῦμα τοὺς τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν μανθάνειν βουλομένους δι' αὐτῶν διδάσκειν προήρηται.*

[e] *Λοιπὸν —— ἐντυγχάνειν ταῖς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν προφητείαις,——καὶ μαθεῖν παρ' αὐτῶν τὰ αἴτια ὑμῖν τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐσόμενα.*

[f] Nulla re.

"Solis[g], qui dicitur, die, omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, præsidens orationem, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes. Et precationes profundimus." En horum temporum venerandam simplicitatem. I. In conventu fratrum sacræ Scripturæ legebantur. II. Sequebatur concio continens *νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως*, qua scilicet admonebatur populus, ut bona illa imitarentur, quæ ex lectione sacra audiverant. Unde intelligitur scripta apostolica et prophetica nequaquam in peregrina lingua fuisse recitata. Atque hinc illud in patrum concionibus solenne: "Audivistis[h] vocem apostoli," &c. III. Preces ab omnibus *κοινῇ* habebantur. Erat actio communis, non sacerdotis propria. Et quidem intellecta lingua conceptas fuisse preces illas ex præcedenti narratione intelligitur; ubi docet quod preces et supplicationes communes a fratribus peractæ essent "*εὐτόνως* animo intento;" precibusque absolutis, "*πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν*, Populus, qui aderat, omnis fausta approbatione acclamaverit, Amen dicens."

A. D. CLXX. TATIANUS ASSYRIUS.

Oratione contra Græcos: "Hoc[i] in singulis rebus intelligi potest ab illo, qui non superbe respuerit divina eloquia: quæ paulatim e sacris libris observata, prorsus Deo acceptos reddunt illos, qui animum eis applicaverint." Item: "Nostræ[k] vero omnes pudicæ sunt, et intentæ lani-

[g] *Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἡ ἀγροὺς μένοντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ.—— ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν.*

[h] Vid. Chrysost. init. homil. 1. ad populum Antioch.

[i] *Τὰς θειοτάτας ἑρμηνείας, αἱ κατὰ χρόνον διαγραφῆς ἐξελεγμέναι πάνυ θεοφιλεῖς τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς πεποιήκασιν.*

[k] *Πᾶσαι δ' αἱ παρ' ἡμῖν σωφρονοῦσι, καὶ περὶ τὰς ἡλακάτας αἱ παρθένοι τὰ κατὰ θεὸν λαλοῦσιν ἐκφωνήματα.*

ficio virgines divinos sermones edisserunt, multo honestiore, quam vestra puella, studio."

A. D. CLXXXIV. THEOPHILUS, ANTIOCHENUS EPISCOPUS.

Libro primo ad Autolycum, Christianæ religionis calumniatorem, in fine: "Verum[l] tu ipse, si placet, consule sacras literas. Hæ etenim majore evidentia te instituere possunt, quo pacto possis evitare sempiternas pœnas, et nancisci perpetua bona; quæ suis cultoribus pollicetur Deus."

Libro secundo ad eundem: "At quid necesse est multitudinem enumerare prophetarum, qui plurimi extitere; et omnia inter se consona, adeo ut nulla contrarietas deprehendi possit, protulere. Si[m] quis ea scire gestit, prophetarum januæ patent. Hos legat accedens mente pura, et exacte veritatem ipsam cognoscet."

Et in fine ejusdem libri: "Oportet[n] te, si es discendi cupidus, frequentius accedere Scripturam sacram, ut vivas; et audiens vocem Dei, ad unguem (quod aiunt) veritatem consequere."

A. D. CLXXXIV. IRENÆUS, LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

"Universæ[o] Scripturæ, et propheticæ et evangelicæ, in[p] aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possunt."

Idem. "Confugere[q] (oportet) ad Ecclesiam, et in ejus sinu educari, et Dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesiæ paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo

[l] *Εἰ δὲ βούλει καὶ σὺ, ἔντυχε φιλοτίμως ταῖς προφητικαῖς γραφαῖς, καὶ αὐταί σε τρανότερον ὁδηγήσουσι*, &c.

[m] *Οἱ γὰρ βουλόμενοι δύνανται ἐντυχόντες τοῖς δι' αὐτῶν εἰρημένοις, ἀκριβῶς γνῶναι τὸ ἀληθὲς*, &c.

[n] *Χρὴ οὖν τὸν φιλομαθῆ καὶ φιλομαθεῖν, πειράθητι οὖν πυκνότερον συμβαλεῖν*, &c.

[o] Lib. 2. adv. Hæreses, cap. 46.

[p] *Φανερῶς καὶ ἀναμφιβόλως*, apud Damascenum in parallelis.

[q] Irenæ. Adv. hæreses, lib. 5. cap. 17. vel 20. ut est in Feuardentii editione.

ligno paradisi escas manducabis, ait Spiritus Dei, id est, ab omni Scriptura Dominica manducate."

Idem: "Hæc[r] autem omnia contulit eis (hæreticis) Scripturarum et dispositionis Dei ignorantia."

A. D. CXCVIII. CLEMENS ALEXANDRINUS.

"Sunt[s] vere sacræ literæ, quæ sacros faciunt et deificant. Ex quibus literis et sacris syllabis compositas Scripturas et opera Paulus apostolus appellat divinitus inspiratas; ut quæ sint utiles ad docendum," &c. prout in 2 Timothei cap. III. habetur. Et post: "Ἀκούσατε οἱ μακρὰν, ἀκούσατε οἱ ἐγγύς. Οὐκ ἀπεκρύβη τίνας ὁ λόγος[t]. Φῶς ἐστὶ κοινὸν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις. Οὐδεὶς κιμμηριὸς ἐν λόγῳ. Σπεύσωμεν εἰς σωτηρίαν, ἐπὶ τὴν παλιγγενεσίαν. Audite ergo qui estis longe; audite qui prope. Nullis celatum est verbum; lux est communis, omnibus illucescit hominibus. Nullus est in verbo Cimmerius: festinemus ad salutem, ad regenerationem."

Idem: "Propterea[u] Græca voce expositæ sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ possint prætextum afferre; cum possint quæ sunt apud nos audire, si tantum voluerint."

Idem, vitam Christiani hominis describens: "Universa ejus vita," inquit, "est tanquam quidam celebris ac sanctus dies festus. Atque[x] ei quidem sacrificia sunt ipsæ preces et laudes, et quæ ante cibum fiunt, Scripturarum

[r] Irenæ. Adv. hæreses, cap. 12.

[s] Ἱερὰ γὰρ ὡς ἀληθῶς τὰ ἱεροποιοῦντα καὶ σεοποιοῦντα γράμματα, ἐξ ὧν γραμμάτων καὶ συλλαβῶν τῶν ἱερῶν τὰς συγκειμένας γραφὰς καὶ συντάγματα ὁ ἀπόστολος θειοπνεύστους καλεῖ, &c. In λόγῳ προτρεπτικῷ πρὸς Ἕλληνας, op. pag. 71.

[t] Christum, opinor, intelligit.

[u] Διὰ τοῦτο γὰρ Ἑλλήνων γραφῇ ἑρμηνεύθησαν αἱ γραφαὶ, ὡς μὴ πρόφασιν ἀγνοίας προβάλλεσθαι δυνηθῆναί ποτε αὐτοὺς, οἵους τ' ὄντας καὶ ἐπακοῦσαι τῶν παρ' ἡμῖν, ἣν μόνον ἐθελήσωσιν. Clemens, Stromatum lib. 1. op. pag. 338.

[x] Θυσίαι μὲν αὐτῷ εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, &c. Stromatum lib. 7. op. pag. 860.

lectiones; psalmi autem et hymni, dum[y] cibus sumitur, antequam eatur cubitum. Quinetiam nocte rursus orationes."

Libro sexto Stromatum, non utilem solum, verum etiam necessariam esse, Scripturæ lectionem confirmat: "Tum[z] alia doctrina est utilis, tum Scripturarum lectio est necessaria."

A. D. CC. LEONIDES MARTYR.

Ab eo attenta cura laboratum est, ut filius Origenes sacras literas a primo tempore ætatis ediscerét: "Omnino[a] enim ante liberalium artium et politioris doctrinæ studium, eum sacris literis instituendum exercendumque tradidit. Ac sententias aliquot, quas ei cum ad verbum addiscendas, tum memoriter coram ipso recitandas præscripserat, ab illo in dies singulos exegit."

A. D. CCXL. ORIGENES ADAMANTIUS.

"Animarum[b] est eruditio, et spiritualis doctrina, quæ te instituit; et decet quotidie venire ad puteos Scripturarum, ad aquas Spiritus Sancti, et haurire semper, ac plenum vas domum referre: sicut faciebat et sancta Rebecca[c]. Christiani omni die carnes Agni comedunt; id est, carnes verbi Dei quotidie sumunt."

"Tentemus[d] facere illud, quod sapientia commonet, dicens: *Bibe*[e] *aquas de tuis fontibus, et de tuis puteis; et sit tibi fons tuus proprius.* Tenta ergo et tu, o auditor, habere proprium puteum et proprium fontem; ut et tu, cum apprehenderis librum Scripturarum, incipias etiam

[y] Confer Cyprianum in fine epist. 2. ad Donatum, et resp. ad Præsul. Rhemens. sect. 2.

[z] Ἥτε ἄλλη παιδεία χρήσιμος, ἥτε τῶν γραφῶν τῶν κυριακῶν ἀνάγνωσις ἀναγκαῖα.

[a] Πρὸ τῆς τῶν ἑλληνικῶν μαθημάτων μελέτης, ἐνῆγε τοῖς ἱεροῖς ἐνασκεῖσθαι παιδεύμασιν, ἐκμαθήσεις καὶ ἐπαγγελίας ἡμέρας ἑκάστης αὐτὸν εἰσπραττόμενος. Euseb. lib. 6. hist. cap. 2.

[b] In Genes. cap. 24. homil. 10. [c] Ibid.

[d] Origen. in Gen. cap. 26. homil. 12. [e] Proverb. cap. 5.

ex proprio sensu proferre aliquem intellectum: et secundum ea quæ in Ecclesia didicisti, tenta et tu bibere de fonte ingenii tui."

"Si[f] studio, actibus, mente, sollicitudine verbo Dei operam demus, et in lege ejus die ac nocte meditemur, omissis omnibus Deo vacemus, exerceamur in testimoniis ejus; hoc est conversum esse ad Dominum." Et post: "Aliqui vestrum ut recitari audierunt, quæ leguntur, statim discedunt. Nulla ex his, quæ dicta sunt, inquisitio ad invicem, nulla collatio, nusquam memoria mandati illius, quo te divina lex commonet: *Interroga patres tuos, et dicent tibi; presbyteros tuos, et annuntiabunt tibi.* Alii ne hoc ipsum quidem patienter expectant; usquequo lectiones in ecclesia recitentur. Alii vero nec, si recitantur, sciunt; sed in remotioribus dominicæ domus locis secularibus fabulis occupantur. De quibus ego ausus sum dicere, quia cum legitur Moses, jam non velamen super cor eorum, sed paries quidam et murus est positus. Si enim ille, qui adest, qui audit, et intentus est, et quæ audit retractat et discutit, et quæ assequi non potest, percontatur et discit, vix potest ad libertatem scientiæ pervenire; ille qui abscondit aures suas ne audiat, et terga in faciem legentis obvertit, quomodo dicendus est velamen habere superpositum cordi; ad quem ne ipsum quidem velamen literæ, quo sensus velatur, qui est sonus vocis, accessit?"

"Ego[g] si possem die ac nocte in lege Domini meditari, et omnes Scripturas memoria retinere, memoriale sacrificii mei Domino obtulissem. Certe si non omnia possumus; saltem ea, quæ nunc docentur in Ecclesia, vel quæ recitantur, memoriæ commendemus."

"Optamus[h], ut vel his auditis operam detis, non solum in Ecclesia, audire verbum Dei; sed et in domibus vestris exerceri, et meditari in lege Domini die et nocte: et ibi enim Christus est, et ubique adest quærentibus se. Propterea namque mandatur in lege, ut[i] meditemur eam, quum

[f] Origen. in Exod. cap. 34. homil. 12.
[g] Id. in Levit. cap. 6. homil. 4.
[h] Origen. in Levit. cap. 16. homil. 9.
[i] Deut. cap. 6.

imus in via, et quum sedemus in domo, et quum jacemus in cubiculo, et quum surgimus."

" Dæmonibus[i] super omnia est tormentorum genera, et super omnes pœnas, si quem videant verbo Dei operam dare, scientiam divinæ legis et mysteria Scripturarum intentis studiis perquirentem. In hoc eorum omnis flamma est; in isto uruntur incendio." At pontificii tam diligenter eis operam navarunt, ut hoc tormento eos magna ex parte liberaverint, hanc flammam et incendium restinxerint.

" Dici[k] potest, Scripturæ difficiles sunt. At nihilominus si eas legeris, profuerint tibi. Nam ipse Dominus noster Jesus Christus, si nos inveniat his (verbis divinæ Scripturæ) vacantes, et hujuscemodi studiis et exercitiis operam dantes; non solum pasci et refici dignatur in nobis; verum etiam, si has epulas viderit apud nos apparatas, Patrem secum conatur adducere."

" Sicut[l] olim Moses librum illum in Ægypto ex Syro in Hebræum transtulit; ita Septuaginta sub Ptolomæo ipsum ex Hebræo in Græcum transtulerunt; et inde per universas gentes beati Job scriptura divulgata est; primum quidem Syriace scripta in Arabia, ubi et Job habitabat: postea vero et in Hebræis et in Græcis et in omnibus gentibus interpretata."

" Utinam[m] omnes faceremus illud, quod scriptum est: *Scrutamini*[n] *Scripturas.*"

Idem, verba illa explicans: *Et*[o] *auribus suis graviter audierunt;* et gravitudinem auditionis exponens, "quæ noceat animæ hominis: Quid est, quod faciat auditum non graviter audire, sed leviter? Pennæ verbi, pennæ virtutis. Etenim pennæ verbi multum levitatis afferunt, &c. Si autem peccaverimus, et negligentes fuerimus circa alas; et defluxerint pennæ nostræ: gravabimur, et graviter audiemus." Et post: "Usque hodie autem, quotquot, audi-

[i] Origen. in Num. cap. 33. hom. 27. [k] Id. in Josu. cap. 15. homil. 20.
[l] Origen. in Prologo lib. Job. vel quisquis author ejus fuit.
[m] Origen. in Isai. cap. 1. homil. 2. [n] Johan. cap. 5.
[o] Origen. in Isai. cap. 6. homil. 6.

entes Scripturas, non audiunt sermonem spiritualiter, qui levis est; sed literam, quæ est gravis et occidens, graviter audiunt. Atque ita dupliciter auditur Scriptura. Ab eo, qui non intelligit quæ dicuntur, graviter auditur: ab eo, qui intelligit eam, non solum auditur non graviter, sed potius acute? Unde qui fit intelligens, fit auditor."

" Percurramus[n] universas Scripturas; et probati nummularii effecti, dicamus: Hoc audite; debemus hoc auribus percipere."

" Infelix[o] anima, cujus fidei ignis extinguitur, et refrigescit charitatis calor; ad quam cum venerit cœlestis Pontifex noster, quærens ab ea ignitos et ardentes carbones, super quos incensum offerat Patri; invenit in ea aridos cineres et frigidas favillas. Tales sunt omnes, qui subtrahunt se, et longe faciunt a verbo Dei, ne audientes sermones divinos accendantur ad fidem, incalescant ad charitatem, igniantur ad misericordiam. Vis tibi ostendam, quomodo de verbis Spiritus Sancti ignis exeat, et accendat corda credentium? Audi dicentem David in Psalmis[p]: *Eloquium Domini ignivit eum.* Et iterum in evangelio[q] scriptum est, postquam Dominus locutus est ad Cleopham: *Nonne cor nostrum*, inquit, *erat ardens intra nos, cum aperiret nobis Scripturas?* Tu ergo unde ardebis? Unde invenientur in te carbones ignis, qui nunquam Domini igniris eloquio? nunquam verbis Spiritus Sancti inflammaris? Audi et alibi ipsum David dicentem; *Concaluit*[r] *cor meum intra me; et in meditatione mea exardescit ignis.* Unde tu concalescis? Unde ignis accenditur, qui nunquam in divinis meditaris eloquiis? imo, quod est infelicius, concalescis in spectaculis circi, concalescis in equorum contentionibus, in certamine athletarum." Hæc omnia etiam ex Origene transtulit Cyrillus Alexandrinus in libro nono in Leviticum.

" Omnibus[s] modis conandum est; ut congregemus in

[n] Origen. in Jerem. homil. 9.
[o] Id. in Levit. cap. 10. homil. 9.
[p] Psalm. 17.
[q] Luc. cap. 24. ver. 32.
[r] Psalm. 38. ver. 4.
[s] *Συνάγειν οὖν παντὶ τρόπῳ πειρατέον ἐν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν διὰ τοῦ προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ, καὶ ἐν τῷ νόμῳ κυ-*

corde nostro, attendentes lectioni[t], exhortationi et doctrinæ, et in lege Dei meditando die ac nocte: non solum nova evangeliorum oracula et apostolorum, et horum explanationes; verum etiam vetera legis, umbram habentis futurorum bonorum, ac prophetarum, qui his consentanea prædixerunt."

"Scrutamini[u] Scripturas, ut et in his, quæ putantur esse simplicia, reperiatis non minima sacramenta. Scrutemur principium evangelicæ lectionis, quotquot hodie audivimus; et id quod latebat procedit in medium."

"Introductiones[x] ergo sunt Scripturæ, a quibus accurate intellectis, et nunc nominatis fons[y] Jacob, ascendendum est ad Jesum, ut nobis largiatur fontem aquæ salientis ad vitam æternam. Cæterum non similiter omnis haurit e fonte Jacob: nam etiamsi bibebat Jacob et filii ejus et pecora ejus, atque etiam Samaritis illa venit ad fontem ipsum et haurit; vide ne aliter et prudenter biberit Jacob cum filiis, aliter et simplicius moreque magis pecuino biberint pecora ejus, rursus biberit etiam aliter quam Jacob et filii et pecora ejus, Samaritis illa. Qui enim docti sunt in Scripturis, bibunt sicut Jacob et filii ejus; rudiores vero et simpliciores, qui dicuntur oves Christi, bibunt perinde atque oves Jacob; tum aliqui laudantes Scripturas, et quædam constituentes male dicta, prætextu quod eas intellexerint, non secus bibunt, atque bibebat Samaritis illa, antequam crederet in Jesum."

"Renovatur[z] sensus noster per exercitia sapientiæ et meditationem verbi Dei, et legis ejus intelligentiam spiritualem: et quantum quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus incedit; tanto semper novus magis et quotidie novior efficitur. Nescio autem si potest renovari sensus, qui piger est erga Scripturas divinas, et intelligentiæ spiritualis exercitia; quibus

ρίου μελετᾷν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, οὐ μόνον τὰ καινὰ τῶν εὐαγγελίων, καὶ τῶν ἀποστόλων, &c. *ἀλλὰ καὶ παλαιὰ*, &c. Origen. in Matth. cap. 13.

[t] 1 Tim. cap. 4.

[u] Origen. in Luc. cap. 4. homil. 31.

[x] Origen. in Johannem, tom. 13.

[y] Johan. cap. 4.

[z] Origen. in epist. ad Roman. lib. 19. explicans illud cap. 12. "Reformamini in novitate sensus vestri."

possit non solum intelligere quæ scripta sunt, verum ea applicare apertius, et manifestare diligentius."

"Dominus[a] in evangelio dicit: *Attendite*[b] *vobis ab iis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Et ideo vigilans sensus et mens intenta requiritur, quæ probare noverit vel ovis in propatulo simplicitatem, vel lupi latentem rapacitatem. Unde vide quam proximi periculis fiunt hi, qui exerceri in divinis literis negligunt; ex quibus solis hujusmodi examinationis agnoscenda discretio est."

"Deinde oblitus in Christianis se agere soli Deo per Jesum preces offerentibus, admiscet aliena temere cum rebus Christianorum confundens et dicens: *Quos si barbaricis nominibus quis appellet, virtutem habebunt; sin Græcis aut Romanis, non item.* Quem[c] enim nos invocamus nomine barbaro? Quare persuasum sit omnibus Celsum hæc nobis objicere immeritis; sciantque quod germane Christiani ne usitatis quidem in sacra Scriptura Dei nominibus utantur inter precandum; sed Græci Græcis, Romani Romanis; singulique precentur propria lingua, Deumque celebrent pro viribus. Et omnium linguarum Dominus omnibus linguis precantes exaudit, tam varie loquentes haud secus quam consonos, ut ita dicam, et unius vocis homines intelligens. Non est enim Deus maximus unus eorum, qui certam aliquam linguam sortiti sunt, sive Græcam, sive Barbaram, cæterarum ignari, nec solliciti de alienæ linguæ hominibus.

[a] Origen. lib. 10. in epist. ad Roman. cap. 16.

[b] Matth. cap. 7. ver. 15.

[c] —— *Δεικνύτω γὰρ τίνα ἡμεῖς βαρβάρως ὀνομάζομεν, ὡς καλοῦντες αὐτὸν ἐπὶ βοήθειαν, καὶ πυθέσθω, μάτην καθ' ἡμῶν ταῦτα εἰρηκέναι τὸν Κέλσον, ἐφιστὰς ὅτι οἱ λοιποὶ τῶν χριστιανῶν οὐδὲ τοῖς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κειμένοις ὀνόμασι, καὶ τεταγμένοις ἐπὶ τοῦ θεοῦ, χρῶνται ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἀλλ' οἱ μὲν Ἕλληνες Ἑλληνικοῖς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥωμαϊκοῖς, καὶ οὕτως ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ θεῷ, καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν ὡς δύναται. Καὶ ὁ πάσης διαλέκτου κύριος τῶν ἀπὸ πάσης διαλέκτου εὐχομένων ἀκούει,* &c. Origen. contra Celsum, lib. 8.

A. D. CCLX. ÆGYPTUS.

De[d] Antonio jam puero in ejus Vita, quæ inter Athanasii Opera habetur, ita legimus: "Ad[e] ecclesiam cum parentibus sæpe conveniens, nec infantum lascivias, nec puerorum negligentiam sectabatur; sed tantum ea quæ legebantur auscultans, utilitatem præceptorum vitæ institutione servabat." Hinc intelligitur sacra apud Ægyptios lingua vernacula peracta esse. Antonius enim Ægyptiace tantum intellexit; siquidem interprete uti solitus, qui verba ejus Græco sermone exprimeret; ut ex eodem libro apparet.

A. D. CCC. OSROENI IN MESOPOTAMIA.

Apud hos Eusebius Emisenus "ab[f] ineunte ætate sacris literis institutus est;" ut in ejus vita tradit Georgius Laodicenus a Socrate[g] citatus: et notandum est quod hic scribit Sozomenus: "Eusebius[h] cognomento Emisenus, genere oriundus ex Edessa nobili civitate Osroenorum, ab ineunte ætate (ut mos patrius fert) sacris in literis educatus, deinde disciplinis humanioris literaturæ institutus est." At Colonienses Jesuitæ[i] hoc nomine adolescentes nostros reprehendunt; quod priusquam grammaticam probe calleant, et alias disciplinas a limine salutarint; "e vestigio illotis (quod aiunt) pedibus sacras literas adoriantur."

A. D. CCC. PAMPHILUS MARTYR.

"Scripturas sanctas non ad legendum tantum, sed et ad habendum tribuebat promptissime, nec solum viris, sed et

[d] Vid. Juel. Defens. apol. pag. 176. præcipue vero Augustin. lib. 8. Confess. cap. ult.

[e] —— *τοῖς ἀναγνώσμασι προσέχων, τὴν ἐξ αὐτῶν ὠφέλειαν ἐν ἑαυτῷ διετήρει.*

[f] *Ἐκ νέας τε ἡλικίας τὰ ἱερὰ μαθὼν γράμματα.*

[g] Hist. eccl. lib. 2. cap. 6.

[h] *Ἐκ νέου δὲ κατὰ πάτριον ἔθος τοὺς ἱεροὺς ἐκμαθὼν λόγους, μετὰ ταυτὰ καὶ τὰ παρ' Ἕλλησιν,* &c. Sozomen. Hist. lib. 3. cap. 5.

[i] Censura in præfat. Monhemii.

fœminis, quas vidisset lectioni deditas: unde et multos codices præparabat, ut cum necessitas poposcisset, volentibus largiretur[j]."

A. D. CCCXI. GREGORIUS ARMENIÆ MAJORIS EPISCOPUS.

"Ludos[k] literarios construxit per omnes civitates; eisque doctores et magistros constituit, rege ita jubente, et ad hæc adjuvante, et pontificis animo magnam opem ferente. Publice quidem per civitates prædicatum fuit a pontifice, ut filii Armeniorum undique ad eos ventitarent, et sacras docerentur literas."

A. D. CCCXXX. CONSTANTINUS MAGNUS IMP.

Hujus pia exercitia ita describit Eusebius in oratione de laudibus illius: "Ille ipse sibi præceptionum salutarium doctor factus, in ipsius regiæ penetralibus Servatorem suum veneratur; et[l] interdum precibus divinos cultus exequitur, interdum sacris literis audiendis mentem suam erudit." Et: "Sumptis[m] in manus libris, vel sacrarum literarum contemplationi diligenter animum adhibebat, vel constitutas cum universo Ecclesiæ cœtu preces reddebat[n]." Habetur exemplum epistolæ ejus ad Eusebium, qua præcipit eidem, ut quinquaginta volumina ad usum ecclesiæ Constantinopolitanæ in membranis pararet; in quibus eos libros S. Scripturæ describi curaret, "quorum[o] et apparationem et usum maxime Ecclesiæ necessarium cognosceret;" descriptosque ad se Constantinopolin transmitteret.

[j] Eusebius in 3. libro de vita Pamphili, citatus ab Hieronymo in lib. 1. apologiæ adversus Ruffinum.

[k] In actis Gregorii Armeniæ majoris episcopi apud Sym. Metaphrasten Septemb. 30.

[l] —— *ᾠδὲ μὲν εὐχαῖς θεσμοὺς ἐξετέλει θείους, ᾠδὲ λόγων ἱερῶν ἀκοαῖς τὸν νοῦν ἐξεπαιδεύετο.*

[m] *Μετὰ χεῖρας γέτοι λαμβάνων τὰς βίβλους, τῇ τῶν θεοπνεύστων λόγων θεωρίᾳ προσανεῖχε τὸν νοῦν*, &c. Euseb. de vita Constant. lib. 4. cap. 17.

[n] Euseb. de vita Constantini, lib. 4. cap. 36. quemadmodum etiam apud Socratem, lib. 1. Hist. eccles. cap. 6. et Theodoretum, lib. 1. Hist. cap. 16.

[o] *Τῶν θείων δηλαδὴ γραφῶν, ὧν μάλιστα τὴν τ' ἐπισκευὴν καὶ τὴν χρῆσιν τῷ τῆς ἐκκλησίας λόγῳ αναγκαῖαν εἶναι γινώσκεις.*

Illius denique diligentia effectum esse prodit Eusebius, ut "mulieres[q] et innumerabiles virorum multitudines corporis alimenta cum rationalibus alimentis, quæ ex sacris literis perlegendis deprompta animis rationis participibus admodum conveniunt, commutarent."

A. D. CCCXXXV. EUSEBIUS CÆSARIENSIS EPISCOPUS.

"Quid[r] tam eximium ad ejus (Christi) divinitatem evidenter declarandam, quam non solum promittere se eos (apostolos) facturum piscatores hominum; quod uti verbo protulerat, sic reipsa præstitit: verum etiam tantam virtutem, tantamque facultatem illis tribuere, ut[s] monumenta scriptis mandarent, librosque ederent; iique tam magnam apud omnes haberent et authoritatem et existimationem; ut in omnes tam barbarorum quam Græcorum linguas, quæ in toto orbe terrarum existunt, converterentur; omnesque gentes in illis perdiscendis studium et operam ponerent, proque certo crederent divina eloquia in illis esse tradita comprehensaque?"

Populum Christianum "festum[t] passionis Domini, non jejuniis solum et vigiliis, sed et attenta Scripturarum auditione excolere ac celebrare" consuevisse indicat.

"Cum[u] jam Salvatoris nostri tempora viderentur propius advenire; conducebatque maxime saluti omnium gentium, quæcunque a prophetis scripta fuerant, intelligere per linguam Græcam, quam fere omnes gentes intelligunt, Judaicam Scripturam universis proposuit."

"Nonne[x] multo ante Platonem divinæ literæ fidem

[q] *Λογικὰς τροφὰς ψυχαῖς λογικαῖς κατταλλήλους, εἰ' ἐνθέων ἀναγνωσμάτων ἀντικαταλλάξασθαι τῶν τοῦ σώματος τροφῶν.*

[r] Euseb. Orat. de laudibus Constantini, paulo ante fin.

[s] —— *Γραφὰς συντάξαι, καὶ βίβλους παραδοῦναι καὶ πάντας εἰς τοσοῦτο κρατῦναι, ὡς καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης παντοίᾳ γλώσσῃ βαρβάρων τὲ καὶ ἑλλήνων μεταβαλλομένας, παρὰ πασι τοῖς ἔθνεσι μελετᾶσθαι,* &c.

[t] *Τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν, προσευχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐκτελεῖν εἰώθαμεν.* Euseb. Hist. eccles. lib. 2. cap. 16.

[u] Euseb. De præparat. evangel. lib. 8. cap. 1.

[x] Euseb. de præparat. evangel. lib. 12. cap. 1. Vide Auctuarium.

cæteris præposuere virtutibus, cum inquit, *Nisi*[y] *credideritis, non intelligetis;* ac rursum: *Credidi*[z], *propterea locutus sum.* Unde apud nos quoque incipientibus ac imperfectioribus quasique secundum animum infantibus simplicius Scripturæ leguntur. Credendum enim omnibus est, omnia quæ in ea feruntur, sicuti Dei verba, verissima esse. Illis autem, qui ad majorem jam habitum Scripturarum pervenerunt, altiora petere, ac rationem singulorum quærere conceditur[a].

A. D. CCCXL. ANTONIUS ABBAS.

"Sine[b] ulla scientia literarum Scripturas divinas et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse prædicatur."

A. D. CCCL. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS EPISCOPUS.

"Diligenter[c] ab Ecclesia disce, qui sint veteris, et qui novi Testamenti libri; ut nihil apocryphum legas. Cum enim ne ista quidem, quæ omnes confitentur, scias; quid in dubiis discere laboras? Lege sacras Scripturas, nempe viginti duos veteris Testamenti libros, quæ a LXXII. interpretibus translatæ sunt. ——Hos solos studiose meditare; quos et in Ecclesia secure tutoque recitamus."

"Vade[d] ad apem, et disce quam laboriosa sit; quomodo per flores omnis generis oberrans congerit tibi mel in usum; ut[e] et tu circuiens divinas Scripturas, tuam ip-

[y] Psalm. 7. [z] Psalm. 115.

[a] Euseb. De præparat. evangel. lib. 12. cap. 22.

[b] Augustin. De doctrin. Christ. in prologo. Vid. Juel. Defens. apol. pag. 176.

[c] *Φιλομαθῶς ἐπίγνωθι παρὰ τῆς Ἐκκλησίας, ποῖαι μέν εἰσιν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαί γε τῆς καινῆς, καί μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε. ——ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφὰς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους τῆς παλαιᾶς διαθήκης, τὰς,* &c. —— *ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, ἃς καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ μετὰ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν.* Cyrill. de Sacr. Script. cateches. 4.

[d] Cyrill. de Sacr. Scrip. cateches. 9.

[e] *Ἵνα καὶ αὐτὸς περιερχόμενος τὰς θείας γραφὰς, τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας περιδράξῃ, καὶ τούτων ἐμφορούμενος εἴπῃς, ὡς γλυκέα,* &c.

sius salutem apprehendas, et illis satiatus dicas: " *Quam*[f] *dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel et favum ori meo.*"

A. D. CCCLX. ATHANASIUS ALEXANDRINUS EPISCOPUS.

" Diacono[g] mandavi, ut trigesimum primum Psalmum legeret, populusque attente auscultaret; cum recitaret hanc particulam: *Quoniam in seculum misericordia ejus.*"

" Has[h] (orationes) si fieri potest, sola intercapedo disrumpat. Cujus rei cura in canonicis ponenda est salubriter monumentis. Non quod apocrypha debeamus, præsertim ignorata, damnare; sed quod ad scientiam Dei digestam canonis seriem putemus posse sufficere. Illa enim, si consentiunt, supervacua sunt. Si dissentiunt, vitanda sunt. Sine legendi studio nemo ad Dominum valebit esse intentus. Primum, quod hujusmodi opera ab aliis actibus caducæ occupationis abducunt; et diversorum exemplorum insinuata cognitio, vel bonorum appetentiam, vel malorum factam esse cautelam. Neque enim alias Petrus apostolus admoneret nos, dicens: *Parati semper estote ad rationem reddendam ad omnes poscentes vos de verbo spei vestræ et fidei.* Et apostolus: *Non cessamus pro vobis orantes; ut impleamini agnitione ejus in omni sapientia et intellectu spirituali.* Et rursus: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter omni sapientia.* Nam et in veteri Testamento similem hominibus curam sacræ præceptionis inculcavit eloquium. Sic enim David ait: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit; et in cathedra pestilentiæ non sedit: Sed in lege Domini voluntas ejus meditabitur die ac nocte.* Et ad Jesum Nave Deus loquitur: *Non recedet liber iste de manibus tuis; et meditaberis in eo die ac nocte.*"

[f] Psalm. 119.

[g] Προέτρεπον, τὸν μὲν διακονον ἀναγινώσκειν ψαλμὸν, τοὺς δὲ λαοὺς ὑπακούειν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα, &c. Athanas. in Apologia pro fuga sua. Citatur a Theodoreto, lib. 2. Hist. cap. 13.

[h] Athanas. in exhortat. ad Monachos. Habetur tom. 2. op. pag. 709 sed annotat Petrus Fleckmannus hoc omnino scriptum Latinum videri.

" Non[k] abscedat ab ore tuo verbum Dei. Sit autem illud opus tuum omni tempore. Meditare in S. Scripturis: habe psalterium, et Psalmos disce. In[l] ecclesia tace; ne quicquam loquaris; sed[m] lectionibus duntaxat intende."

" Vis[n] Scripturas negligam? unde ergo cognitio? Vis cognitionem relinquam? unde fides? &c. Romanas leges sine periculo nemo ignoraverit. Quas ergo parant insidias, qui magnorum cœlestis Regis oraculorum cura studioque volunt interdictum? Scriptura est animæ cibus. Desine vero, o homo, fame internum hominem necare; diramque non panis et aquæ, sed audiendi verbum Domini, famem attrahere.——Reverere eunuchum illum, sermonis amatorem, qui ne in itinere quidem lectionem neglexit; cujus propositum comprobans Deus, statim doctorem illi dedit.——Atque hinc est, cur ipse præceperit, *Scrutamini Scripturas;* scrutationem vocans diligentem attentamque abstrusorum inquisitionem de Scriptura sancta[o].

" Egone[p] verbum audiam, et convenientem sensum non inquiram? Ubi igitur aut sermonis consequentia, aut audientis utilitas? Forte et in brutorum animantium na-

[k] *Μὴ ἀποστήτω ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐκ τοῦ στόματός σου· ἤτω δὲ τὸ ἔργόν σου διαπαντὸς μελέτη τῶν θείων γραφῶν· ψαλτήριον ἔχε καὶ τοὺς ψαλμοὺς μάνθανε.* Athanas. in lib. De virginitate sive De meditatione op. tom. 2. pag. 116. quanquam non videatur Athanasii.

[l] *Ἀλλὰ τῇ ἀναγνώσει μόνον πρόσεχε.* Ibid. pag. 123.

[n] *Ἀμελήσω γραφῶν; πόθεν οὖν ἡ γνῶσις; ——— τὰ μεγάλα θεσπίσματα τοῦ βασιλέως τῶν οὐρανῶν οἱ κωλύοντες μελετᾶν καὶ μανθάνειν, ποίαν ἐπιζουλὴν οὐκ ἐογάζονται. Τροφὴ ψυχῆς ἡ γραφή, παῦσαι οὖν λιμοκτονῶν τὸν ἔσω ἄνθρωπον.* &c. Athanas. in disceptatione adv. Hæreticos, op. tom. 2. pag. 562.

[o] Melius, ex script. sancta, *ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν*, &c. Turrianus, in defens. epist. Pont. lib. 2. cap. 2. libellum hunc gravissimum appellat, et tanto auctore dignum. A Gennadio autem scholario, pag. 385. edit. Græcæ, tom. 4. biblioth. Patrum, col. 1446. dicitur disputatio S. Maximi cum Theodosio Cæsareæ episcopo.

[p] *Ἀκούσω τοῦ ῥήματος, καὶ μὴ ζητήσω τὸ εὐπρεπὲς τοῦ φρονήματος.* ——— *τάχα καὶ πρὸς ἀλόγων ἔξεις μεθιστασθαι τοὺς ἀνθρώπους προστάττουσιν, εἶπεο μέλλοιεν φέφειν μὲν ῥημάτων τῇ ἀκοῇ δέχεσθαι, κέρδος δὲ νοημάτων μηδὲν τῇ ψυχῇ προσιέσθαι; οὐχ οὕτω Παῦλος,* &c. Athanas. in Disceptatione adv. hæres. op. tom. 2. pag. 571.

turam mutari homines præcipiunt? Siquidem verborum sonum auribus arrepturi; ex sensu vero fructum nullum animo sunt percepturi. Non hoc nobis Paulus, qui de hujusmodi rebus docuit, mandavit: non amplexandum aliquid sine ratione, sine judicio, censuit[r]," &c.

A. D. CCCLXX. MACARIUS ÆGYPTIUS.

"Qui[s] accedunt ad Dominum, debent preces suas in tranquillitate, pace, et sedatione multa fundere; non ineptis, aut confusis clamoribus uti, sed attentione cordis et cogitationibus sobriis attendere Domino." Item: "Verum[t] orationis fundamentum hoc est, attendere nimirum cogitationibus, et in multa tranquillitate et pace precari." Et post: "Sunt[u] alii, qui cogitationibus attendunt, et prælium internum committunt. Hique propter intellectum ac discretionem possunt dirigere et amoliri insurgentes cogitationes, et secundum voluntatem Domini ambulare."

"Oportet[x] nos non ex more corporeo, nec pro more vociferandi, nec ex consuetudine silendi, aut genua flectendi, preces facere; verum sobrie animum attendentes exspectare Deum, quando aderit et visitabit per omnes egressiones animam, per semitas ejus ac sensuum organa; et ita quando conveniat tacere, et quando conveniat clamare, et cum vociferatione precari, modo[y] mens sit fir-

[r] Vid. Athanas. (si idem author est) initio epistolæ ad episcopos ad diœceses suas proficiscentes, apud Fr. Torrensem De resid. episcop. fol. 446.

[s] Οἱ *προσευχόμενοι τῷ θεῷ, ὀφείλουσι τὰς ψυχὰς ἐν ἡσυχίᾳ καὶ εἰρήνῃ καὶ καταστάσει πολλῇ ποιεῖσθαι.* —— *πόνῳ καρδίας καὶ λογισμοῖς νήφουσι προσέχειν.* Macar. Homil. 6.

[t] Ὁ *δὲ ἀληθινὸς θεμέλιος τῆς προσευχῆς οὗτός ἐστι, τὸ προσέχειν τοῖς λογισμοῖς*, &c.

[u] Εἰσὶ *δὲ ἄλλοι οἱ τοῖς λογισμοῖς προσέχοντες* ——— *οὗτοι διὰ τῆς συνέσεως αὐτῶν*, &c.

[x] Δεῖ *ἡμᾶς μὴ κατὰ ἔθος σωματικὸν, μήτε κραυγῆς ἕθει* ——— *προσεύχεσθαι, ἀλλὰ νηφαλέως τῷ νοΐ προσέχοντας.*—— Macar. Homil. 33.

[y] ——— *μόνον ὁ νοῦς ἐρρωμένος ᾖ πρὸς τὸν θεὸν* ———

mata in Deum. Perinde enim ac corpus, cum operatur quippiam, totum penitus occupatum incumbit operi, et omnia ejus membra se invicem adjuvant; sic[z] quoque anima tota prorsus consecretur postulationi et charitati Domini, quæ nec vagis occupetur, aut circumferatur cogitationibus, et spem atque exspectationem omnem collocatam habeat in Christo. Atque hoc pacto illucescet ille, purum docens petendi modum; et suggerens orationem puram, spiritualem, Deo dignam; et quæ fit in spiritu et veritate, adorationem.

A. D. CCCLXX. EPHRÆM SYRUS.

"Studeamus[a] jugiter lectioni sanctarum Scripturarum, ut nos doceant, quomodo laqueos diaboli possimus effugere, æternamque adipisci vitam."

"Vide[b], ne negligas animam tuam, sed lectioni ac precibus sedulo incumbe, ut mens tua illuminetur, fiasque perfectus ac integer, in nullo deficiens. Gloriantur alii de magnatum principumque ac regum familiaritate atque colloquio: at tu coram angelis Dei gloriare, colloquens et cum Spiritu Sancto per sacras literas conferens. Nam Spiritus Sanctus est, qui loquitur per eas. Da operam igitur, ut divinarum Scripturarum lectionem familiarem tibi reddas, et persistas in oratione." Et post: "Quod si legere forte nescias; adhibe eum, a quo audire queas

[z] ——— *ἡ ψυχὴ ὅλη δι' ὅλου ἀποδεδόσθω εἰς τὴν πρὸς κύριον αἴτησιν καὶ ἀγάπην, μὴ ῥεμβυμένη καὶ περιφερομένη τοῖς λογισμοῖς.* ——— *καὶ οὕτως αὐτὸς ἐπιλάμψει, ἀληθινὴν διδάσκων αἴτησιν, δεῖσθαι εὐχὴν καθαρὰν πνευματικὴν, θεοῦ ἀξίαν, καὶ τῇ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκύνησιν.*

[a] Ephræm. Syrus De armatura generali.

[b] *Μὴ ἀμελήσῃς τῆς ψυχῆς σου, ἀλλὰ σχόλαζε τῇ ἀναγνώσει καὶ ταῖς προσευχαῖς, ὅπως φωτισθῇ σου ἡ διάνοια, καὶ ὅπως γένῃ τέλειος καὶ ὁλόκληρος, ἐν μηδενὶ λειπόμενος. Ἄλλοι καυχῶνται,* &c. ——— *σπούδαζε οὖν ἐντυγχάνειν ταῖς θείαις γραφαῖς* ——— *σπούδαζε πυκνότερον ἐντυγχάνειν αὐταῖς.* ——— *ἐὰν δὲ οὐκ ἐπίστασαι τὸ ἀναγινώσκειν, προσκολλῶ ὅπου ἐστὶν ἀκοῦσαι καὶ ὠφεληθῆναι,* &c. Ephræm Syrus, De patientia et consummatione seculi, &c. quæ quidem homilia et inter Chrysostomi et inter Ephræmi opera habetur. Vid. Savil. et Vossii edit. pag. 165.

atque proficere[d]." Et: " Non studeas duntaxat libri folia evolvere; sed si opus fuerit, non[e] pigeat etiam bis terve ac sæpius eundem repetere versum, ut vim orationis intelligas."

" Psalmus[f], infantium tutela, ornamentum senibus, majorum natu consolatio, mulieribus aptissimum ornamentum, rudibus est instructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum. Ubi sacri libri adsunt et lectiones: ibi justorum est lætitia, et auscultantium salus. Ubi autem cithara et tibiarum cantus atque tripudia perstrepunt; ibi virorum pariter ac mulierum sunt tenebræ, diabolique festum celebratur."

" Vere[g] arcus æreus est contra inimicos, expansæ in oratione manus in scientia orantis; sicut etiam sagitta directe emissa ab eo, qui arcum vibrat, &c. Ejusmodi est quod dico, fratres, cum quis in scientia orat, nec sinit evagari cogitationes suas: sed intelligit, quem interpellet, quem alloquatur: et tunc oratio illius Deo appropinquat. Et tunc vehementer contristatur inimicus, veluti acerrimo spiculo in corde percussus. Nam quanto per gratiam anima amplius proficit; tanto ipse, tanquam[h] pulvis ante faciem venti effectus, magis profugit: persequitur enim illum angelus Dei. Ecce qua in re illum acriter vulnerat: quia scilicet orat in scientia, roboraturque, quia cogitationem captivat, nec evagari permittit. Et tu ergo, mi frater, etiam in scientia orationes funde."

Porro notandum est ex Hieronymo in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum Syriaca lingua Ephræmum sua scripta edidisse, eaque tantam authoritatem adepta esse, ut post lectionem Scripturarum (lingua etiam Syriaca editarum[i]) publice in quibusdam ecclesiis recitarentur. Unde intelligimus, 1. Syros in sua liturgia homilias vernacula lingua scriptas usurpasse, non peregrina, et minime

[d] Vid. op. tom. 3. pag. 100. ubi hoc pluribus persequitur Ephræm.

[e] *Μὴ ὀκνήσῃς εἰς καὶ τρὶς καὶ πλειστάκις διελθεῖν τὸν στίχον, ὅπως νοήσῃς τὴν δύναμιν αὐτοῦ.* Ibid. pag. 101.

[f] Ephraim in Encomio in Psalmos.

[g] Ephraim De panoplia sive armatura generali op. tom. 3. pag. 222.

[h] Psalm. 34.

[i] Georgius Emira Edeniensis in Grammat. Syriac. edit. Romæ, 1596.

intellecta, ut apud pontificios fit. 2. Scripturas, ad quas legendas suos hortabatur Ephræm, Syrorum vernacula lingua extitisse. Nam nec ipse Ephræm, in Scripturis exercitatissimus, sacras literas Græca lingua legere potuit; quippe cujus ignarum fuisse, tum ex ipsius encomio in Basilium M. tum ex Theodoreto[k] colligitur.

Syriace etiam divinos hymnos composuit Ephræm[l], a Syris cantari solitos in martyrum celebribus festis; quos ad sua usque tempora ab Ecclesiæ cantoribus retentos fuisse innuit Nicephorus Callistus[n].

A. D. CCCLXX. BASILIUS MAGNUS, CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA EPISCOPUS.

"Scriptura[o] omnis divinitus inspirata, et utilis, ob eam rationem a Spiritu Sancto conscripta est, ut velut e communi curandarum animarum officina, universi mortales, quisque pro morbi sui ratione medelam deligeremus." Medicamentum enim, inquit, magna sedat delicta. Et post de Psalmis: "Melodiæ jucunditatem dogmatis immiscuit Spiritus Sanctus; ut aurium oblectatione deliniti, sermonis utilitatem latenter susciperemus; more medici sapientis, qui pueris medicinas aliquanto austeriores daturus, ut vorantibus nauseam discutiat, melle poculum circumlinit. Propterea[p] nobis hæc apta Psalmorum modulamina offeruntur; ut qui ætate aut omnino etiam moribus adhuc pueri sunt, in speciem quidem concinant ac modu-

[k] Lib. 4. Hist. eccles. cap. 29. in edit. Græc. cap. 27. in edit. Lat.

[l] Sozomen. lib. 3. cap. 16. ut est in edit. Græc. vel 15. ut in Lat. Callist. lib. 9. cap. 16.

[n] Ὠδὰς παραθέμενος, εἰς δεῦρο Σύροις παρέδωκε ψάλλειν.

[o] Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος ἐκλεγώμεθα, &c. Basil. Proœmio in Psalmos quod quidem idem est cum prologo præfixo Augustini enarrationibus in Psalmos, initio tom. 4. operum ejus: sed Basilii est, non Augustini.

[p] Ταῦτα μέλη τῶν ψαλμῶν ἡμῖν ἐπινενόηται, ἵνα οἱ παῖδες τὴν ἡλικίαν, ἢ καὶ ὅλως οἱ νεαροὶ τὸ ἦθος, τῷ μὲν δοκεῖν μελῳδῶσιν, τῇ δ' ἀληθείᾳ τὰς ψυχὰς ἐκπαιδεύωνται ——— τὰ δὲ τῶν ψαλμῶν λόγια καὶ κατ' οἶκον μελῳδοῦσιν, καὶ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς περιφέρουσι, &c.

lentur, re autem vera animas suas erudiant. Nec enim ullus ex iis, qui tardiore præsertim sunt ingenio, reperitur, quin apostolicum seu propheticum aliquod præceptum statim ediscat; Psalmorum vero protinus reminiscuntur: hos et domi cantant, et foris obmurmurant, et in agro circumferunt." Unde exclamat ibidem: "O[q] sapiens doctoris inventum, qui excogitavit quo pacto una eademque opera et caneremus, et quæ utilia sunt cognosceremus: unde et quæ discuntur, animis nostris magis infigantur. Nihil enim violentum durat; quod vero cum voluptate et gratia acquiritur, durabilius animis nostris insidet."

"Homines[r] miserabiles relictis ædibus suis ad templum concurrunt, quasi emolumenti quicquam inde laturi; cum tamen nec oracula Dei attente audiant, nec naturæ suæ sensum accipiant," &c. "Psalmos[s] habes, prophetas, evangelica præcepta, apostolicas prædicationes: quæ corde oreque voluta, lingua psallat, mens sensum eorum, quæ dicuntur, scrutetur; ut psallas spiritu, psallas et mente. Non enim gloria Deus indiget; sed ut lauderis te dignum reddere cupit."

"Non[t] si quis ore profert Psalmi verba, hic Domino psallit; sed qui a puro corde emittunt psalmodias; et qui sancti sunt, servantes justitiam ad Deum; hi[u] psallere possunt Deo spirituales hymnos convenienter assequentes."

"Ideo[v] nostra sunt divina hæc oracula, et in Ecclesia Dei tanquam dona divinitus emissa, in unoquoque con-

[q] Ὦ τῆς σοφῆς ἐπινοίας τοῦ διδασκάλου, ὁμοῦ τ' ᾄδειν ἡμᾶς καὶ τὰ λυσιτελῆ μανθάνειν μηχανωμένου, &c.

[r] Ἐπὶ τὸν ναὸν ἐπιδραμόντες, ὡς δή τι ἑαυτοὺς ὠφελήσοντες, οὐχ ὑπέχουσι τὰς ἀκοὰς λόγοις θεοῦ, &c. Basil. in Psal. 28.

[s] Ψαλμὸν ἔχεις, προφητείαν ἔχεις, εὐαγγελικὰ παραγγέλματα, τὰ τῶν ἀποστόλων κηρύγματα, ἡ γλῶσσα ψαλλέτω, ὁ νοῦς ἐρευνάτω τὴν διάνοιαν τῶν εἰρημένων, ἵνα ψάλλῃς τῷ πνεύματι, ψάλλῃς δὲ καὶ τῷ νοΐ, &c.

[t] Οὐκ εἴ τις τῷ στόματι προφέρει τὰ τοῦ ψαλμοῦ ῥήματα οὕτως ψάλλει τῷ κυρίῳ, ἀλλ' ὅσοι ἀπὸ καρδίας καθαρᾶς ἀναπέμπουσι τὰς ψαλμῳδίας, &c. Basil. in Psal. 29. homil. 18. Vid. Basil. epist. 1. ad Gregorium Theologum.

[u] Διότι καὶ ἡμέτερά ἐστι τὰ θεῖα λόγια, καὶ τῇ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ὡς θέπεμτα δῶρα, καθ' ἕκαστον σύλλογον ὑπαναγινώσκεται, &c. Orat. Moral. 9. a Simeone Logotheta ex Basilii scriptis collecta.

ventu releguntur: perinde ac animabus alendis a Spiritu Sancto administrata quædam alimonia," &c.

"Neque[x] enim per se verba orationis prosunt; sed cum diligenti mentis intentione emissa tunc demum prosunt," &c.

"Oratio est boni petitio a piis mentibus ad Deum facta. Petitionem[y] autem non verbis tantum definimus. Non enim Deum putamus verborum admonitione indigere, sed ea quæ utilia sunt satis vel nobis non petentibus videre. Quid igitur est quod dicimus? quod oportet nos orationem non in syllabis perficere, sed magis animi proposito, tum actione secundum virtutem in omni vita perseverante, vim orationis implere. Non enim simplicia verba orationis prosunt (ut alibi idem[z]) sed illud demum, quod ex seria animi affectione proficiscitur *μετὰ σπουδαίας διαθέσεως*." Hoc itaque illud est quod ait in homilia in Psalmum vigesimum octavum. "Preces cujuslibet Deo manifestæ sunt. Alius ex affectu tantum orat, alius scite ac prudenter cœlestia quærit; quidam perfunctorie nec acri attentione summis labris verba loquitur; cor autem ejus procul a Deo est. *Ἡ προσευχὴ ἑκάστου πεφανέρωται θεῷ, τὶς ἐκ διαθέσεως* (ex animo) *τὶς ἐπιστημόνως ἐπιζητεῖ τὰ ἐπουράνια, τὶς ἀφωσιωμένως ἄκροις τοῖς χείλεισι τὰ ῥήματα φθέγγεται. ἡ δὲ καρδία αὐτοῦ πόῤῥω ἀπέχει ἀπὸ θεοῦ.*"

"Nobis[a] præscriptum est, ut similes efficiamur Deo, saltem quatenus humanæ naturæ fas est. Porro[b] similitudo non est absque cognitione, cognitio vero e doctrina paratur. Doctrinæ autem initium est oratio, orationis partes syllabæ ac

[x] *Οὐ γὰρ ἁπλῶς τὰ ῥήματα τῆς προσευχῆς ὠφελεῖ, ἀλλὰ τὸ μετὰ σπουδαίας διαθέσεως ἀναπέμπεσθαι.* Basil. homil. in Psal. 59.

[y] *Τὴν δ' αἴτησιν οὐκ ἐν ῥήμασιν ὁριζόμεθα πάντως. —— τί οὖν ἐστὶν ὃ φαμὲν, ὅτι χρὴ μὴ ἐν συλλαβαῖς ἡμᾶς τὴν εὐχὴν ἀποπληροῦν, ἀλλὰ προαιρέσει μᾶλλον ψυχῆς,* &c. Basil. Sermon. in Martyrem Julittam.

[z] Orat. Moral. 9. a Logoth. ex. Basil. collect.

[a] Basil. De Spiritu Sanct. cap. 1.

[b] *Ὁμοίωσις δὲ οὐκ ἄνευ γνώσεως, ἡ δὲ γνῶσις ἐκ διδαγμῶν· λόγος δὲ διδασκαλίας ἀρχὴ, λόγου δὲ μέρη συλλαβαὶ καί λέξεις, ὥστε οὐκ ἔξω σκοποῦ γέγονε τῶν συλλαβῶν ἡ ἐξέτασις.*

dictiones. Proinde syllabas (S. Scripturæ) excutere non est aberrare a scopo."

" Si[c] quis audito Domino, qui dixit, *Servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens, neque parans se ad illius voluntatem, vapulabit multis; qui vero illam ignorat, et facit digna plagis, vapulabit paucis,* hujus gratia cognitionem divinæ voluntatis studio negligat; an quid habet solatii? Respondeo. Manifestum[d] est, quod qui ejusmodi est, ignorantiam falso prætexat, et inevitabile habeat peccati judicium. *Si enim non venissem,* inquit Dominus, *et non locutus illis essem, peccatum non haberent; nunc vero excusationem de peccato suo non habent.* Cum sacra Scriptura omnibus ubique voluntatem Dei denuntiet. Itaque qui talis est, non cum ignorantibus minore judicio, sed vehementiore cum illis damnabitur, de quibus scriptum est; *Instar aspidis surdæ et obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium et venefici, dum ab illo incantatur sapienter.*"

" An[e] conducat, ut qui recens accesserunt, confestim Scripturas discant? Respondeo. Et de ista quæstione ex prædictis statuatur. Necessarium[f] enim est et consonum, ut ex sacra quisque Scriptura quod necesse sit discat, tum ad pietatis plerophoriam, tum ne adsuescat humanis traditionibus."

" Quomodo[g] spiritus alicujus precetur, mens vero fructu careat? Respondeo. Hoc[h] de illis dictum est, qui in lingua audientibus ignota preces faciunt. Dixit enim, *Si*

[c] Basil. in Regulis contractioribus, quæst. 45.

[d] Δῆλός ἐστιν ὁ τοιοῦτος σχηματιζόμενος τὴν ἄγνοιαν, καὶ ἀφευκτον ἔχει τῆς ἁμαρτίας τὴν κρίσιν. —— τῆς ἁγίας γραφῆς πανταχοῦ πᾶσι τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ἐπαγγελλούσης· ὥστε οὐχὶ μετὰ τῶν ἀγνοησάντων ὁ τοιοῦτος ἧττον κρίνεται, ἀλλὰ, &c.

[e] Basil. in Regulis contractioribus, quæst. 95.

[f] Τὸ γὰρ πρὸς τὴν χρείαν ἕκαστον ἐκμανθάνειν ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀκόλουθον καὶ ἀναγκαῖον εἴς τε πληροφορίαν τῆς θεοσεβείας, καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ προσεθισθῆναι ἀνθρωπίναις παραδόσεσιν.

[g] Basil. in Regulis contractioribus, quæst. 278.

[h] Τοῦτο περὶ τῶν ἐν γλώσσῃ ἀγνοουμένῃ τοῖς ἀκούουσι τὰς προσευχὰς ἀναπεμπόντων ἐρρήθη. —— ὅταν γὰρ ἄγνωστα ᾖ τοῖς παροῦσι τὰ ῥήματα τῆς προσευχῆς, ἄκαρπός ἐστιν ὁ νοῦς τοῦ προσευχομένου, μηδενὸς ὠφελουμένου. —— ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ πάσης ἐκφωνήσεως τῶν τοῦ θεοῦ ῥημάτων, &c.

oro lingua, spiritus meus quidem orat: mens vero sine fructu est. Nam quando præsentibus verba precationis incognita sunt; sine fructu est mens, quia nihil utilitatis redit ad precantem. Quando vero qui adsunt, precationem intelligunt, quæ utilis potest esse audientibus; tunc qui precatur, fructum habet, ædificationem scilicet eorum qui inde juvantur. Consimiliter autem et de quacunque verborum Dei pronuntiatione sentiendum est. Scriptum enim est: *Sed si quis bonus est ad ædificationem fidei.*"

" Jam[j] olim ab initio a Christianis parentibus educatus, ab[k] illis quidem a puero sacras literas didici, quæ me ad veritatis cognitionem adduxerunt."

" Ad id vero quod propter Psalmodias accusamur (qua re potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt) hoc habeo quod dicam: quod[l] qui jam obtinuerunt ritus omnibus ecclesiis Dei concordes sunt et consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit; inque labore et tribulatione ac lacrymis indesinentibus facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant; et cordibus suis attentionem, et rejectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant: deinde uni ex ipsis hoc muneris dato, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ varietate precibusque subinde inter-

[j] Basil. in proœm. de Judicio Dei, inter Ascetica (si is author est) in init.

[k] *Παρ' αὐτοῖς ἀπὸ βρέφους καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα ἔμαθον, ἄγοντά με πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας.*

[l] *—— τὰ νῦν κεκρατηκότα ἔθη πάσαις ταῖς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαις συνῳδά ἐστι καὶ σύμφωνα· ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς,* &c. *τελευταῖον ἀναστάντες τῶν προσευχῶν εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καθίστανται, καὶ νῦν μὲν δίχῃ διανεμηθέντες, ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, ὁμοῦ μὲν τὴν μελετὴν τῶν λογίων ἐντεῦθεν κρατύνοντες, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν προσοχὴν καὶ τὸ ἀμετεώριστον τῶν καρδιῶν ἑαυτοῖς διακονούμενοι. —— πάντες κοινῇ ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος καὶ μιᾶς καρδίας, τὸν τῆς ἐξομολογήσεως ψαλμὸν ἀναφέρουσι τῷ κυρίῳ, ἴδια ἑαυτῶν ἕκαστος τὰ ῥηματα τῆς μετανοίας ποιούμενοι,* &c. Basil. epist. 63. ad Clericos Neocæsar.

sertis noctem superant. Illucescente jam die pariter omnes velut uno ore ac corde uno confessionis Psalmum Dei offerunt; ut suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Horum[m] gratia si nos fugitis; fugietis simul et Ægyptios, fugietis Libyam utramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicas, Syros, et qui ad Euphratem habitant; et, ut semel dicam, omnes, apud quos vigiliæ et preces communesque psalmodiæ in pretio sunt.

A. D. CCCLXX. GREGORIUS NYSSENUS EPISCOPUS, BASILII FRATER.

" Principio causam indagabimus, ob quam cum adeo vita ex virtute acta difficilis sit et ardua; mysteriorum tamen et divinorum secretorum ænigmaticam et umbratilem doctrinam, et inexplicabilibus involutam tegumentis, theologicam[n] institutionem, tam facilem captu et jucundam (ἡ διὰ τῶν ψαλμῶν διδασκαλία) effecerit: ut non modo viri perfecti, et quibus jam animi sensa perpurgata sunt, eruditionem hanc assequantur; sed ut eandem et mulieres sibi tanquam propriam vendicent: infantibusque, crepundiorum instar, voluptatem pariat; et decrepitis baculi et quietis loco obtingat: illi vero, quibus ætas viget, hujus doctrinæ donum suum esse existiment: is autem, qui tristi est animo, et male affecto ob eventum quenpiam, propter se Scripturæ hujus gratiam divinitus missam esse credat. Adhæc qui iter seu terra seu mari faciunt, quique sedentarias artes exercent, et (ut rem in pauca con-

[m] Ἐπὶ τούτοις λοιπὸν εἰ ἡμᾶς ἀποφεύγετε, φεύξεσθε μὲν Αἰγυπτίους, φεύξεσθε δε καὶ Λιβύας, —— καὶ πάντας ἀπαξαπλῶς, παρ' οἷς ἀγρυπνίαι καὶ προσευχαὶ, καὶ αἱ κοιναὶ ψαλμῳδίαι τετίμηνται.

[n] —— θεολογίαν οὕτως εὐληπτόν τε καὶ γλυκεῖαν ἐποίησεν, ὡς μὴ μόνον τελείοις ἀνδράσιν —— ταύτην σπουδάζεσθαι, ἀλλὰ καὶ τῆς γυναικωνίτιδος ἴδιον γενέσθαι κτῆμα, καὶ νηπίοις ὡς τὶ τῶν ἀθυρμάτων ἡδονὴν φέρειν. ——— ὁδοιποροῦντές τε πρὸς τούτοις καὶ θαλαττεύοντες ἄνθρωποι, ἤ τισὶν ἐπιδιφρίοις ἐργασίαις προασχολούμενοι, καὶ πάντες οἱ ἁπαξαπλῶς ἐν πᾶσιν ἐπιτηδεύμασιν ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, ἐν ὑγείᾳ τε καὶ ἀῤῥωστίᾳ, ζημίαν ποιοῦνται τὸ μὴ διὰ στόματος τὴν ὑψηλὴν ταύτην διδασκαλίαν φέρειν. ——— ἵνα παρῶμεν τὴν ἔνθειον ἐν ταῖς πανυχίσι διὰ τούτων ὑμνῳδίαν, &c. Nyssen. Tractatu 1. in Psalmos, cap. 3. op. tom. 1. pag. 261.

feram) omnes tam viri quam mulieres, quodcunque vitæ genus sectentur, ægri simul ac firmi, damnum se pati arbitrantur; si non semper in ore divinam hanc institutionem circumferant. Jam vero et convivia et nuptiales hilaritates philosophiam hanc, ut partem lætitiæ, suis jucunditatibus adsciscunt; ut taceamus divinam illam in nocturnis pervigiliis per psalmos institui solitam hymnodiam, Ecclesiæque in his decantandis accuratam sedulitatem."

"Proinde[o] quæ ex Divino Spiritu dictata Scriptura primæ illi ætatulæ (Macrinæ) faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat (mater ejus) cum primis autem Sapientiam Solomonis, idque ex ea potissimum, quod ad vitam et mores maxime conducebat. Erat etiam Psalmorum haudquaquam ignara; præfinitamque eorum partem statutis temporibus percurrebat. Nam[q] sive surgeret e lectulo, sive ad studia accederet, sive discederet ab eis, sive cibum sumeret, sive a mensa recederet, sive cubitum se conferret, sive ad precandum exurgeret; semper ut bonam, seque nullo tempore deserentem comitem, Psalmorum habebat cantilenam."

"Hunc[r] (Petrum fratrem) Macrina paulo post ejus ortum ab ubere nutricis sublatum ipsa statim enutriit, excellentique disciplina educavit, sacris institutis a puero ipsum erudiens adeo, ut nihil otii concesserit, quo posset studiis inanibus vacare."

A. D. CCCLXX. EPIPHANIUS.

"S. Scripturæ[s], cum vitæ impertiendæ vim habent, tum nihil continent, ad quod fideles offendant. Neces-

[o] Ὅσα τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀληπτότερα (εὐληπτότερα, proculdubio legendum) ταῖς πρώταις ἡλικίαις δοκεῖ, ταῦτα ἦν τῇ παιδὶ τὰ μαθήματα, &c. Nyssen. De vita Macrinæ sororis, paulo post init.

[q] Πανταχοῦ τὴν ψαλμῳδίαν εἶχεν, οἷόν τινα σύνοδον ἀγαθὴν μηδενὸς ἀπολιμπανομένην χρόνου.

[r] ——— τοῖς ἱεροῖς τῶν μαθημάτων ἐκ νηπίων αὐτὸν ἐνασκήσασα. Nyssen. De vita Macrinæ sororis, paulo ante med.

[s] Τῆς θείας γραφῆς ζωτικῆς οὔσης, καὶ μηδὲν ἐχούσης εἰς πρόσκομμα πιστοῖς. Epiphan. Panar. lib. 2. tom. 2. hæres. 69.

saria[t] et sincera et ad vitam conciliandam idonea Scripturæ verba."

"In[u] sacra Scriptura nihil est obliquum, neque tortuosum, sed omnia mirabiliter ad nostram salutem scripta sunt et perfecta."

"Scripturæ[x] vita nostra sunt, *αἱ γραφαὶ, ἡμετέρα ζωή.*"

In libro tertio extremo, ostendit patres habuisse *ἑρμηνευτὰς γλώσσης εἰς γλώσσαν,* interpretes, qui, si opus esset, linguam in linguam verterent *ἐν*[y] *ταῖς ἀναγνώσεσι,* hoc est, cum Scripturæ populo legebantur.

A. D. CCCLXXI. PROTOGENES SCRIBA.

A Valente imperatore Ariano in Antinoen, quæ est in Thebaide, relegatus, "pueris docendis operam dedit; atque eos non modo exercuit ad celeri manu scribendum, verum[z] etiam sacra Dei eloquia edocuit. Nam hymnos Davidis tanquam dictata illis proposuit; et eas apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingeniis accommodatas putabat, ediscendas tradidit[a]."

Eant nunc Colonienses Jesuitæ, et Monhemium[b] reprehendant, quod discipulis suis provectioribus scripta vatum ac apostolorum se explicaturum polliceatur. Sed bonis istis theologis ignoscendum est; quippe qui non Protogenem, sed Aristotelem, hic sibi sequendum proposuerunt. "Juvenibusne," inquiunt, "quis arcana hæc

[t] *Ἀναγκαῖα καὶ ἀκέραια καὶ ζωτικὰ τὰ τῆς θείας γραφῆς.*

[u] *Οὐδὲν ἐν αὐταῖς ἐστὶ σκολιὸν ἢ στραγγαλιῶδες.* Epiphan. Panar. lib. 2. tom. 2. et Ancorat. cap. 41.

[x] Epiphanius, Ancorato, cap. 93.

[y] *Ἡ ἐν ταῖς προσομιλίαις·* id est, cum concio ad plebem fierit. Vid. Auctarium, cap. 2. ad ann. 335. Casaubon. adv. Perronum, pag. 62. Vid. Perroni Respons. pag. 1094.

[z] —— *τὰ θεῖα ἐξεπαίδευσε λόγια. Δανϊτικάς τε γὰρ αὐτοῖς ὑπηγόρευσε μελῳδίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας ἐκμανθάνειν τὰ πρόσφορα παρεσκεύασεν.*

[a] Theodoret. lib. 4. Hist. eccles. cap. 16.

[b] Censur. in præfat. catech. Monhemii.

Scripturæ mysteria audeat concredere; quos Aristoteles[c] ipse ob nimias animorum suorum perturbationes non satis accommodos auditores esse moralis philosophiæ fatetur?"

A. D. CCCLXXX. GREGORIUS NAZIANZENUS.

Laudat[d] verbum "illud vatis, quod nos in lege Domini die noctuque meditando versari jubet[e]."

Ἐγὼ[f] πρῶτος τῶν ἐπαινούντων εἰμὶ σοφίαν, κἂν τοῖς θείοις λόγοις ἀσχολουμένων ἢ ἀσχολεῖσθαί γε βουλομένων, καὶ μήποτε πρὸ ταύτης τὶ θείην ἀσχολίας, &c. hoc est: Equidem vel princeps illorum in numero sum, qui laudant sapientiam illorum, qui incumbunt divinis literis, vel incumbere iis cupiunt; adeoque huic occupationi nunquam aliud quicquam anteferre velim, ne infelix ab ipsa dicar sapientia, qui sapientiam et eruditionem contemnam." [Quisquis enim (notat hic Elias) sapientiam et eruditionem nihil facit, atque illi aliud quidpiam anteponit, infelix est, ut ait Solomon.]

Cum[f] dixisset, aeris, ignis, aquæ, terræ, pluviarum, fructuum, tecti, indumenti usum communem esse; nec quenquam tantum esse tyrannum, ut solus communi beneficio frui velit; aurum vero, pretiosos lapides, vestitum mollem et operosum, exquisitam mensam, facultates superfluas paucorum esse; hoc "etiam[h] in fide locum habere" subjungit. "Communia enim sunt," inquit, "lex, prophetæ, testamenta, testamentorum oracula, gratia, puerilis institutio, perfectio (id est, sublimior doctrina, inquit

[c] Lib. 1. Ethicorum cap. 3. De Apollinariorum in hac re studio vid. Socratem, lib. 3. cap. 14. De Placillæ Augustæ studio vid. Theodoret. lib. 3. Hist. cap. 18. Nicephor. lib. 12. cap. 42.

[d] Nazianz. orat. 33. op. tom. 1. pag. 531. Elias Cretensis in illum locum. Consulatur textus Græcus, vel alia translatio ab ea quam habuimus Johannis Leunclavii. Suspectus enim hoc loco est.

[e] Nazianz. in orat. De moderandis disputationibus tom. 1. pag. 455.

[f] Ibid. pag. 457.

[h] Τοῦτο καὶ περὶ τὴν πίστιν ἐγὼ θεωρῶ· κοινὰ, νόμος, προφῆται, διαθῆκαι, λόγια διαθηκῶν, χάρις, παιδαγωγία, τελείωσις, ——— ἀπόστολοι, εὐαγγέλια, —— καὶ οὐ πρὸς μέτρον, —— ἀλλὰ καθ' ὅσον ἕκαστος βούλεται. —— τούτων τὶ μεῖζον; τὶ δὲ κοινότερον; —— ᾧν γὰρ ἀνεπ[illegible]ναι χριστιανὸν οὐχ οἷόν τε, ταῦτα τῶν ὀλίγοις ἐφικτῶν χρησιμώτερα

Elias) Christi passiones, nova creatura, apostoli, evangelia, distributio spiritus, fides, spes, charitas," &c. (quasi diceret, "Nihil iis, quæ indicavimus, esse majus potest, nihil sublimius, nihil ad omnes communius. Nimirum ad omnes hæc spectant; omnibus ex æquo patent." Elias.) "Quid possit his esse majus, quid etiam communius? At quæ supra hæc sunt, quanquam ob raritatem majoris videantur pretii; necessitatis tamen respectu sunt posteriora. Nam ea, sine quibus esse Christiano non licet, utiliora sunt illis, quæ pauci consequentur." [Testamenta, inquit hic Elias, sunt, quæ tam in lege quam vatibus continentur; vel etiam tam vetus Testamentum, quam novum. Evangelia vocat quatuor evangelicæ historiæ scriptorum commentarios," &c.]

"In[i] divinis oraculis animo ac lingua dies noctesque versate. Aut enim Deus hanc laboribus nostris mercedem rependit; occultum quoddam lumen in ipsis cernamus: aut quod præstantissimum est, ut salutiferis ipsius legibus ac præceptis ad virtutem incitemur: aut postremo hujuscemodi cura et moderatione mens nostra a terrenarum rerum studiis avocetur."

"Mulierum[k] ornamentum est, morum probitate et elegantia florere, domi ut plurimum manere, colloquium cum divinis oraculis habere."

Objicitur quidem ex Gregorii Nazianzeni oratione vigesima secunda, de modestia in disputationibus, iste locus. "Sane et apud nos, quemadmodum veteres sapientes Hebræos, legem condere deceret. Illi enim nequaquam permittebant, ut juvenes sacros legerent libros, tanquam inutiles animabus infirmis adhuc et tenellis: quo non omni, nec semper, concederentur omnia; sed præscriberentur, quibus fidei imbui deberent sermonibus."

[i] *Θείοις ἐν λογίοισι ἀεὶ γλώσσῃ τε νόῳ τὲ*
Στρωφᾶσθ' ὃ γὰρ ἔδωκε θεὸς καμάτων τὸ δ' ἄελθον, &c.
Nazianz. De veris ac genuinis Scripturæ libris.

[k] *Ὁ τρόπος ἐστὶ γυναιξὶ τὸ τίμιον, οἰκάδε μίμνειν*
Πλείονα, καὶ θείοις προσλαλέειν λογίοις.
Nazianz. Adversus mulieres ambitiosius se ornantes.

Respondeo opponendo locum supra adductum ex eadem oratione. Vide responsionem meam ad Fitsium.

A. D. CCCC. SCYTHÆ, ET ARMENI.

Johannes Chrysostomus complures "qui[m] Scythica lingua loquebantur, presbyteros, diaconos, et lectores ordinavit: illisque unam [cum Scythis Arianismo infectis] tribuit ecclesiam; quorum opera multos errore lapsos Ecclesiæ reconciliavit[o]. Fertur[p] Chrysostomus novum Testamentum et Davidicos Psalmos in linguam Armenicam convertisse."

A. D. CCCXC. JOHANNES CHRYSOSTOMUS, CONSTANTINOPOLITANUS EPISCOPUS.

"Et[q] librum divinum accipiat aliquis in manus; convocatisque proximis per divina eloquia riget et suam et convenientium mentem."

"In[r] divinis autem Scripturis, et in spiritualibus et pretiosis illis lapidibus, neque periculum suspicari licet, neque multus est labor, sed lucrum ineffabile: tantum ea quæ nostra sunt, cum alacritate afferamus. Gratia enim parata est, quærens eos qui se cum largitate suscipiant. Ita enim se habet Dominus noster, quod si viderit animam

[m] Ὁμογλώττους ἐκείνων πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ τοὺς τὰ θεῖα ὑπαναγινώσκοντας λόγια προβαλλόμενος, &c.

[o] Theodoret. lib. 5. Hist. eccles. cap. 30.

[p] Azorius Jesuita, Institut. moral. lib. 8. cap. 26. pag. 714.

[q] Καὶ βιβλίον τις θεῖον λαβὼν μετὰ χεῖρας καὶ συγκαλέσας τοὺς πλησίον, διὰ τῶν θείων λόγων ἀρδέτω καὶ τὴν ἑαυτοῦ διάνοιαν, καὶ τῶν συγγινομένων. Chrysost. in Genes. homil. 6. op. tom. 4. pag. 48.

[r] Ἐπὶ δὲ τῶν θείων γραφῶν καὶ τῶν πνευματικῶν τούτων καὶ τιμίων λίθων οὔτε κίνδυνόν ἐστιν ὑπιδέσθαι, καὶ ὁ πόνος οὐ πολὺς, καὶ τὸ κέρδος ἄφατον, μόνον ἐάν ἡμεις μετὰ προθυμίας τὰ παρ' ἑαυτῶν εἰσφέρωμεν. ἡ γὰρ χάρις ἕτοιμος ἐστιν ἐπιζητοῦσα τοὺς μετὰ ἁψιλείας ταυτὴν ὑποδεχομένους. Τοιουτος γὰρ ὁ δεσποτης ὁ ἡμετέρος· ἐπειδὰν ἴδῃ ψυχὴν διεγηγαρμένην καὶ πόθον ζέοντα, τον οἰκειον πλούτον μετὰ ἁψιλείας χορηγεῖ ὑπερβαίνοντα τὴν αἴτησιν τῇ οἰκείᾳ φιλοτιμίᾳ. Ibid. hom. 9. pag. 66.

vigilem et desiderium fervens; et ipse suas divitias largiter suppeditat pro sua magnificentia, ultra etiam quam petere audeamus. Operam[s] damus, ut quotidie sententias quasdam divinæ scripturæ vestræ menti interseramus," &c.

"Hæc[t] si recte tenemus, poterimus et domi versantes, ante et post convivium acceptis in manus divinis libris utilitatem inde capere et spiritualem cibum animæ præbere. Nam sicut corpus indiget sensibili cibo; ita et anima quotidiana spiritualium ciborum refocillatione; ut roborata adversus carnis insultus et continuum bellum, quo urgemur, resistere possit. Et periculum est, ne in servitutem redigatur anima, si vel parum desides esse voluerimus. Proinde propheta David beatum illum dixit, qui in lege Domini meditatur die ac nocte," &c. "Hæc[u] nostra salus est, hæ spirituales divitiæ, hæc securitas; si sic nos ipsos quotidie munimus et per lectionem et per auditum et per spirituale verbum: sic poterimus ipsi invicti fieri," &c.

"Sciens[x] misericors Dominus nostræ voluntatis infirmitatem et ad labendum proclivitatem, magna nobis medicamina in sacrarum Scripturarum lectione reliquit; quæ cum subinde vulneribus nostris imponimus, et vitam illorum beatorum virorum ante oculos proponimus; ad æmulandum provocemur, et virtutem non negligamus."

[s] Καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν νοήματα ἐνιέναι ὑμῶν τῇ διανοίᾳ σπουδάζομεν Chrysost. in Genes. homil. 9. op. tom. 4. pag. 65.

[t] Ἂν ταῦτα μετὰ ἀκριβείας ἴδωμεν, δυνησόμεθα καὶ ἐπὶ οἰκίας ἰατρίβοντες, καὶ μετὰ τὴν ἑστίασιν καὶ πρὸ τῆς ἑστιάσεως μετὰ χεῖρας λαβόντες τὰ θεῖα βιβλία, τὴν ἐξ αὐτῶν καρποῦσθαι ὠφέλειαν, καὶ τὴν πνευματικὴν τροφὴν τῇ ψυχῇ παρέχειν, &c. Ibid. homil. 10. pag. 81.

[u] Τοῦτο γὰρ ἡμῶν ἡ σωτηρία, τοῦτο ὁ πλοῦτος ὁ πνευματικὸς, τοῦτο ἡ ἀσφάλεια, ἐὰν οὕτως ἡμᾶς καθ' ἡμέραν τεχνίζωμεν, καὶ δι' ἀναγνώσεως, καὶ, &c. Ibid.

[x] Εἰδὼς ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν δεσπότης τὸ ἀσθενὲς ἡμῶν τῆς προαιρέσεως, καὶ τὸ εὐόλισθον, μεγάλα φάρμακα ἡμῖν κατέλιπε τὴν ἐκ τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν, ἵνα ταῦτα ἐπιθέντες ἑαυτοῖς συνεχῶς καὶ τοὺς βίους ἀναλογιζόμενοι τῶν θαυμαστῶν ἐκείνων καὶ μεγάλων, ἀνδρῶν, εἰς ζῆλον ἀναγώμεθα, καὶ μὴ ἀμελῶμεν τῆς ἀρετῆς. Chrysost. in Genes. homil. 12. ibid pag. 98.

" Neque[y] frigida illa verba proferamus, et dicamus: Mundanus sum, et mulierem habeo, et puerorum curam gero; qui multis mos est ut ita dicant, quando eos rogamus ut ad virtutum labores ingrediantur, vel studium adhibeant in sacris literis legendis. Non est hoc meum, dicit. Nunquid renunciavi sæculo? Nunquid monachus sum? Quid dicis, homo? An hoc ad solos monachos pertinet, ut bene Deo placeant? &c. Oro igitur ne nosmetipsos fallamus, sed quanto magis hujuscemodi curis implicamur, tanto magis remedia ex lectione divinarum Scripturarum suscipiamus." Et post: " Sed si volueris, sicut quotidie corpori cibum suppeditas, ita et animam non despicere, ut ne fame pereat; sed dare[z] ipsi congruum cibum, admonitionem videlicet, ex lectione Scripturarum, et spiritualis adhortationis," &c.

" In[a] hoc invigilamus et incumbimus; ut vos omnes perfecti et consummati fiatis, et nihil eorum, quæ in divinis Scripturis continentur, vos lateat. Etenim eorum notitia, si vigiles sobriique esse volumus, et ad melioris vitæ frugem plurimum nobis conferet, alacrioresque ad virtutum labores faciet."

" Vidisti[b] quomodo, quacunque calamitate humanam

[y] Μηδὲ τὰ ψυχρὰ ἐκεινα καὶ ἀνόνητα ῥήματα προφέρωμεν καὶ λέγωμεν· κοσμικός εἰμι, γυναῖκα ἔχω, καὶ τέκνων φροντίδα ποιοῦμαι. Ταῦτα τοῖς πλείοσιν ἔθος λέγειν, ἐπειδὰν αὐτοὺς παρακαλῶμεν εἰς τοὺς ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς πόνους, ἢ περὶ τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν πολλὴν ποιεῖσθαι τὴν σπουδήν. ——— Ὅσῳ ταύταις φροντίσιν ἀνεχόμεθα, τοσούτῳ μᾶλλον τὰ ἀπὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν θείων γραφῶν φάρμακα δεχώμεθα. Chrysost. in Gen. homil. 21. op. tom. 4. pag. 189.

[z] Παρέχειν αὐτῇ τὴν κατάλληλον τροφὴν, τὴν ἐκ τῆς τῶν γραφῶν ἀναγνώσεως, καὶ τῆς πνευματικῆς νουθεσίας παραίνεσιν.

[a] Τοῦτο γὰρ ἡμῶν ἡ πασα ἀγρυπνία καὶ ἡ σπουδὴ, ὥστε πάντας ὑμᾶς τελείους καὶ απηρτιμένους γενεσθαι καὶ μηδὲν ὑμᾶς λανθάνειν τῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κειμένων. Ἡ γὰρ τούτων γνῶσις—καὶ πρὸς τὴν ἀρίστην πολιτείαν τὰ μέγιστα ἡμῖν συμβαλεῖται, &c. Ibid. homil. 28. pag. 169.

[b] Ἴδετε πῶς δυνατὸν ἑκάστης συμφορᾶς τῆς συνεχούσης τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν κατάλληλον ἐντεῦθεν φάρμακον λαβόντα ἀπελθεῖν ——— διὰ τοῦτο παρακαλῶ καὶ συνεχῶς ἐνταῦθα βαδίζειν, καὶ μετὰ ἀκριβείας προσέχειν τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει· μὴ μόνον ἐπειδὰν ἐνταῦθα παραγίνεσθε, ἀλλὰ καὶ οἴκαδε μετὰ χεῖρας λαμβάνειν τὰ θεῖα βιβλία, καὶ μετ' ἐπι-

naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum accipere liceat; et omnis vitæ hujus repellatur cura; neque ab ullo quod accidit gravemur? Propterea obsecro, ut subinde huc veniatis, et divinæ Scripturæ lectionem diligenter auscultetis; non solum cum huc venias, sed et domi divina Biblia in manus sumite; et utilitatem in illis positam magno studio suscipite. Inde enim multum lucri nascitur. Primum quidem, ut lectione lingua reformetur; deinde anima pennas assumit et elevatur, jubareque solis justitiæ illustratur, perque tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberatur, multa quiete ac tranquillitate fruens. Insuper quod ad augendas vires corpori sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est; et fortem reddit animam, et constantiorem, et magis philosophicam: non permittens ut a cogitationibus absurdis capiatur; sed levem et alatam faciens, in cœlum ipsum, ut dicitur, transfert. Tantum[d] igitur lucrum oro ne per negligentiam amittamus; sed etiam domi vacemus divinarum Scripturarum lectioni; et hic præsentes non in nugis et inutilibus colloquiis tempus decoquamus. Et propter quod convenimus, attendamus quæ legantur; ut majore inde fructu percepto discedere liceat."

" Non[e] ideo quotidie (in ecclesiam) confluimus, ut duntaxat conventus fiant simpliciter: sed propterea congregamur, ut unusquisque pharmaco suis affectionibus congruo suscepto, domum concedat. Quomodo enim non

μελείας ἔχεσθαι τῶν ἐγκειμένων τὴν ὠφέλειαν, &c. Chrys. in Gen. hom. 29. op. tom. 4. pag. 280.

[d] Μὴ τοίνυν ἀμελῶμεν, παρακαλῶ, τοῦ τοσούτου κέρδους, ἀλλὰ καὶ ἐπ' οἰκίας σπουδάζωμεν τῇ ἀναγνώσει τῶν θείων προσέχειν γραφῶν· καὶ ἐνταῦθα παραγινόμενοι μὴ εἰς φλυαρίας καὶ ἀνονήτους ὁμιλίας τὸν καιρὸν καταδαπανῶμεν, ἀλλὰ δι' ὃ παραγεγόναμεν, οὕτω συντείνωμεν ἑαυτοὺς, καὶ προσέχωμεν τοῖς ἀναγινωσκομένοις, ἵνα καρπωσάμενοί τι πλέον οὕτως ἐντεῦθεν ἐξέλθητε. Ibid. pag. 281.

[e] Οὐ γὰρ διὰ τοῦτο καθ' ἑκάστην ἡμέραν συνεδρεύομεν ἵνα ——— ἀλλ' ἵνα ἕκαστός τι τῶν χρησίμων μαθὼν, καὶ πρὸς τὸ ἐναχλοῦν πάθος τὴν ἰατρείαν δεξάμενος, οὕτως ἐντεῦθεν ἀναχωρήσῃ. Πῶς γὰρ οὐκ ἂν εἴη τῶν ἀτοπωτάτων τὰ μὲν παιδία, &c. ——— ἡμᾶς δὲ τοὺς εἰς

fuerit absurdissimum, quod a puerulis nostris quotidie a scholis redeuntibus petimus, quid amplius discendo profecerint et adjecerint (neque enim sineremus eos fortuito et absque utilitate in ludum ire, nisi fructum ampliorem inde consecuturos videremus) nos autem qui justam ætatem habemus, et in spiritualibus scholis sumus, non par illis studium exhibemus; maxime cum hæc in lucrum et salutem animarum spectent? Igitur obsecro, ut seipsum quotidie scrutetur unusquisque, quid ex hodierna, quid ex proxima lectione, utilitatis retulerit; ut ne videamur et nos temere atque frustra adesse.

"Proinde[f] magna diligentia divinarum Scripturarum lectioni vacemus. Ita enim et scientiam assequemur, si ad ea quæ ibi sita sunt, continuo accedamus. Neque enim fieri potest, eum qui in divinis Scripturis magno studio ferventique desiderio vacat, semper negligi. Sed licet desit nobis hominis magisterium; ipse Dominus superne corda nostra intrans, illustrat mentem, rationi jubar suum infundit, detegit occulta, doctorque fit eorum quæ ignoramus: tantum nos, quæ a nobis sunt, afferre velimus. Cogita enim obsecro, quantum erat neque in itinere lectionem negligere, et præsertim sedentem in curru. Audiant[h] exemplum ii, qui neque domi ut hoc faciant, persuaderi possunt; sed putantes supervacuam esse horum lectionem, quia vel mulieri cohabitant, vel militiæ adscripti sunt, vel puerorum et servorum aliorumque negotiorum agant curam; non convenire sibi arbitrantur, quod divinæ Scripturæ lectioni incumbant. Unde[i] non dicebat, quæ

μετρον ἡλικίας φθάσαντας, καὶ εἰς τὸ πνευματικὸν τοῦτο διδασκαλίαν παραγενομένους, μὴ τὴν ἴσην ἐκείνοις σπουδὴν ἐπιδείκνυσθαι. ——— *ἕκαστος τοίνυν, παρακαλῶ, ἑαυτὸν καθ' ἑκάστην ἡμέραν διερευνάσθω, τὶ μὲν ἐκ τῆς ἡμερινῆς ἐκέρδανε διαλέξεως, τὶ δὲ καὶ ἐκ τῆς ἐπιούσης,* &c. Chrysost. in Genes. homil. 32. op. tom. 4. pag. 316.

[f] *Παρακαλῶ, μετὰ πολλῆς σπουδῆς τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν ποιώμεθα· οὕτω γὰρ καὶ τῆς γνώσεως ἐπιτευξόμεθα,* &c. ——— *ἀλλὰ κἂν ἄνθρωπος ἡμῖν μὴ γένηται διδάσκαλος,* &c. Ibid. homil. 35. pag. 349.

[h] *Ἀκουέτωσαν οἱ μηδὲ ἐπὶ τῆς οἰκίας τοῦτο ποιῆσαι καταδεχόμενοι, ἀλλὰ νομίζοντες πάρεργον εἶναι τὴν τούτων ἀνάγνωσιν,* &c. Ibid. pag. 350.

[i] *Οὐκ ἔλεγε ταῦτα ἃ νῦν πολλοὶ λέγουσιν, οὐ νοῶ τὰ ἐγκείμενα, οὐ δύναμαι συνιέναι,* &c. Ibid. pag. 350.

nunc plerique dicunt: Non intelligo ea quæ scripta sunt; non possum intelligere profunditatem Scripturarum: Quare frustra et incassum laborem sustinerem: Lego, et non habeo, qui manuducat."

" Ingreditur[k] quis huc tristitia et negotiorum sollicitudine oneratus; et ingressus huc ita mœrore adobrutus, statim ut audivit prophetam dicentem, *Quare tristis es anima mea? spera in Deum, quoniam confitebor ei; salutare vultus mei et Deus meus:* sufficienti consolatione suscepta abit, et omnem illam mentis tristitiam excutit."

" Toti[m] nitamur et loquamur; ut non solum verba, sed et mens verborum comes, Deum accedant. Nam si lingua quidem proferat verba, mens autem foris sit, sua tractans negotia, et imaginans quæ in foro aguntur; nulla nobis utilitas est, fortassis autem et major condemnatio." Et paulo post: " Propter hoc et Paulus scribens docebat: Orantes[n] omni tempore, orate et in spiritu, non lingua tantum; et cum perpetua, inquit, vigilantia, sed et in spiritu. Spirituales enim, inquit, sint vestræ petitiones, sobria sit ratio; et iis, quæ dicuntur, mens intendat."

" Psalmum[o] nonagesimum Deo demonstrante atque enodante proposui exponere; ut omnis, qui eum psallit, sciat cui psallit, quare psallit, et quid psallat."

" Hoccine[p] est cum tremore servire, sic diffundi distendique, ut nec ipse scias quid loquaris incomposito

[k] Εἰσέρχεταί τις ἐνταῦθα λύπῃ καὶ πραγμάτων περιστάσει πιεζόμενος; —— εἰσελθὼν καὶ εὐθέως ἀκούσας τοῦ προφήτου λέγοντος, ἵνα τί περίλυπος, &c. ἱκανὴν λαβὼν παραμυθίαν ἄπεισι, &c. Chrysost. in Gen. homil. 29. op. tom. 4. pag. 279.

[m] —— Ἵνα μὴ μόνον ἡ γλῶττα φθέγγηται, ἀλλὰ καὶ διάνοια συμβαίνῃ τοῖς λεγομένοις· ἐὰν γὰρ ἡ γλῶττα μὲν προφέρῃ τὰ ῥήματα, ἡ δὲ διάνοια ἔξω ῥέμβηται, &c. Ibid. homil. 30. pag. 301.

[n] Προσεύχεσθε καὶ ἐν πνεύματι, μὴ γλώσσῃ μόνον, καὶ μετὰ ἀγρυπνίας διηνεκοῦς, φησὶν, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ, ἐν πνεύματι, &c.

[o] Chrysost. homil. ex Psal. 90.

[p] Τουτο ἐστιν ἐν φόβῳ δουλεύειν, καὶ διακεχυσθαι τε καὶ διατεινεσθαι, Μηδὲ σεαυτὸν ἐπίστασθαι περὶ τίνων διαλέγῃ τῇ ἀτάκτῳ τῆς φωνῆς ἐνηχήσει; Chrysost. homil. 1. ex illo Esaiæ, " Vidi Dominum sedentem in throno." op. tom. 6. pag. 98.

vocis boatu? Nulla[r] res enim eloquia Dei æque ducit in contemptum, atque spectaculorum, quæ illic proponuntur, admiratio. Proinde frequenter vos hortatus sum, ne quis eorum, qui[s] huc adveniunt, divinaque doctrina fruuntur, quique horrendæ ac mysticæ victimæ participes sunt, ad illa iret spectacula."

" Satis[t] est enim introspexisse (Scripturas) ut omni expleti fructu discedatis: satis est tantum aperuisse, ut illico videas gemmarum splendorem. Hæc autem mihi non temere dicta sunt; neque fortuito produxi sermonem; sed[u] ob id, quod sunt homines quidam opifices; qui postquam sacros libros in manus sumpserint, deinde repererint vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem, illico prætercurrunt, et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt, neque quicquam habent utilitatis."

" Hoc[x] quod etiam ipsi optime nostis, qui legistis, et in lectionibus divinis agnovistis."

" Scripturæ[y] et servo et rustico, et viduæ et puero, et ei qui valde imprudens videatur esse, faciles sunt ad intelligendum."

In homilia secunda, populi negligentiam in legendis et memoriter ediscendis Scripturis reprehendit, et addit: " Sed estne horum criminum tandem aliqua defensio? Non sum, inquit, ego monachus; uxorem habeo et filios, et curam domus gero. Hoc[z] enim est, quod omnes quasi

[r] Οὐδὲν γὰρ οὕτω καταφρονεῖν τῶν τοῦ Θεοῦ παρασκευάζει λογίων. Chrysos. hom. 1. ex illæ Esaiæ, " Vidi Dominum." Op. tom. 6. pag. 100.

[s] Τῶν ἐνταῦθα παραγενομένων, καὶ τῆς θείας διδασκαλίας ἀπολαυόντων. Ibid.

[t] Ἀρκεῖ γὰρ παρακύψαι μόνον, καὶ πάσης ἐμπλησθέντας ὠφελείας ἀπελθεῖν. Chrysost. homil. 2. ex illo Esaiæ: " Vidi Dominum." Ibid. pag. 109.

[u] Ἀλλ' ἐπειδή τινές εἰσιν ἄνθρωποι βάναυσοι, οἳ, ἐπειδὰν τὰς θείας μετὰ χεῖρας λάβωσόι βίβλους, εἶτα ἀριθμὸν χρόνων, &c. Ibid.

[x] Chrysost. homil. in Esai. cap. 62.

[y] Καὶ γηπόνῳ καὶ οἰκέτῃ καὶ γυναικὶ χήρᾳ, καὶ παιδὶ αὐτῷ καὶ τῷ σφόδρα ἀνοήτῳ δοκοῦντι εἶναι, πάντα εὐσύνοπτα καὶ ῥᾴδια καταμαθεῖν. Chrysost. in Matth. homil. 1. Op. tom. 7. pag. 11.

[z] Τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ πάντα ἐλυμήνατο, ὅτι ἐκείνοις [τοῖς μονάχοις] νομίζετε προσήκειν τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν, πολλῷ πλέον ἐκείνων ὑμεῖς δεόμενοι, &c. Ibid. pag. 30.

una quadam peste corrumpit: quoniam lectionem divinarum Scripturarum ad solos putatis monachos pertinere; cum multo magis vobis quam illis sit necessaria. Qui enim versantur in medio, et vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine," &c.

" Non[b] enim oporteat omnino a cœtu Ecclesiæ recedentes contrariis huic studio negotiis implicari; sed domum continuo revertentes, sacros replicare libros, et conjugem pariter liberosque ad eorum, quæ dicta sunt, collationem vocare."

Ubi[d] monet loco morionum et gnathonum pauperes homines et liberos in convivio adhibendos, et quid ob eam rem mercedis ab illis sit exigendum, " Quod[e] si uberiores," inquit, " fructus ab eis capere volueris; jube cum aliarum rerum curam agis, divinas ab eis legi Scripturas. Libentius in his morem tibi gerent, quibus tam tu quam illi honestiores efficimini; quam in illis gnathonicis, quibus una omnes dehonestamini, tu quasi contumeliator ac temulentus, illi quasi miseri ac ventri servientes."

In prima parte concionis tertiæ de Lazaro ex cap. XVI. Lucæ, ex professo hoc argumentum tractat Chrysostomus, et in eo multo vehementior est, quam ex nostris ullus. Locus est insignis; et qui legatur, dignissimus. Paucula quædam exinde descripta repræsentabo. " Idque[f] semper

[b] *Οὐ γὰρ ἐχρῆν —— ἀλλ' εὐθέως οἴκαδε ἐλθόντας τὸ βιβλίον μεταχειρίζεσθαι, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδία πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς τῶν εἰρημένων καλεῖν συλλογῆς.* Chrysost. homil. 5. in Matth. op. tom. pag. 72.

[c] *Εἰ δὲ καὶ ἑτέραν βούλει δι' αὐτῶν καρποῦσθαι παράκλησιν, κέλευσον σχολὴν ἄγων βιβλία λαβόντας τὸν θεῖον νόμον ἀναγινώσκειν.* Ibid. hom. 48. pag. 503.

[f] *Καὶ τοῦτο ἀεὶ παρακαλῶ, καὶ παρακαλῶν οὐ παύσομαι, ἵνα μὴ μόνον ἐνταῦθα τοῖς λεγομένοις προσέχητε, ἀλλὰ καὶ οἴκοι γινόμενοι, τῇ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀναγνώσει συνεχῶς ἐνδιατρίβητε. —— τί λέγεις, ἄνθρωπε; οὐκ ἔστι σὸν ἔργον γραφαῖς προσέχειν, ——τῆς ἀπὸ τῶν γραφῶν πανοπλίας χρεία ἡμῖν ἐκῶς. —— διὰ τῆς συνεχοῦς τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσεως. Οὐ γὰρ ἔστιν, οὐκ ἔστι τινὰ σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς. ———— οὕτω δὴ καὶ ἡμῖν ἐργαλεῖα τῆς τέχνης ἐστὶν, ἀποστολικὰ καὶ προφητικὰ βιβλία, καὶ πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος. —— κἂν μὴ εἰδῇς τὰ ἐγκείμενα, ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀναγνώσεως πολὺς ὁ ἁγιασμὸς γίνεται. ———— ἵνα μηδεὶς τῶν ἰδιωτῶν εἰς ταύτην ἔχῃ καταφεύγειν τὴν πρόφασιν· ἵνα πᾶσιν εὐσύνοπτα ᾖ τὰ λεγόμενα, ἵνα καὶ*

hortor, et hortari non desinam, ut non hic tantum attendatis iis quæ dicuntur; verum etiam quum domi fueritis, assidue divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Neque vero mihi quisquam proferat putida illa et absurda verba, planeque damnanda, Ego forensibus causis affixus sum, artificium exerceo, &c. non est meum legere Scripturas, sed eorum qui mundo dixerunt vale. ——Quid ais homo? Non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? Immo tuum magis est quam illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio atque vos, in mediis negotiorum undis jactati. ——Unde necesse est indesinenter a Scripturis armaturam sumere. ——Prohibeamus eminus venientia diaboli spicula extinguentes depellentesque per assiduam Scripturarum lectionem. Neque enim fieri potest; non potest, inquam, fieri; ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo versetur in lectioni spiritali. ——Annon vides fabros ærarios, aurifices, &c. omnia artis instrumenta habere parata et integra, quamvis compellat fames, quamvis affligat inopia? ——Hoc sane animo nos quoque præditos esse oportet. Quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps; sic et nobis artis instrumenta sunt apostolorum ac prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata et utilis. Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur libris? Maxime quidem, etiamsi non intelligas illic recondita; tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Quanquam fieri non potest, ut omnia ex æquo ignores; propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit ac providit, ut publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores et caprarii, idiotæ, illiterati, hos libros componerent; et ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem; ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur; ut et opifex et famulus, et vidua mulier et om-

ὁ χειροτέχνης, &c. *καὶ ὁ πάντων ἀνθρώπων ἀμαθέστατος κερδάνῃ τε καὶ ὠφεληθῇ παρὰ τῆς ἀκροάσεως.* ——— *σαφῆ καὶ δῆλα τὰ παρ' ἑαυτῶν κατέστησαν ἅπασιν* —— *ἵνα ἕκαστος καὶ δι' ἑαυτοῦ μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνης τὰ λεγόμενα.* ——— *μεγάλη προδοσία σωτηρίας, τὸ μηδὲν ἀπὸ τῶν θείων εἰδέναι νόμων· τοῦτο καὶ αἱρέσεις ἔτεκε, τοῦτο καὶ βίον διεφθαρμένον εἰσήγαγε, τοῦτο τὰ ἄνω κάτω πεποίηκεν*, &c.

nium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret. ——Apostoli ac prophetæ omnia manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores; ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, ex sola lectione. —— Cui enim non sunt manifesta, quæcunque in evangelio scripta sunt? ——Prætextus iste est, et causatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt? Quomodo possis aliquando intelligere, qui ne leviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, et quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur; accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica de his quæ scripta sunt, declara vehemens studium. ——Ne neglexerimus nostram salutem, dilectissimi. Hæc omnia scripta sunt propter nos, &c. Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio: magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus: ea res et hæreses peperit, ea vitam corruptam invexit; hoc sursum deorsum miscuit omnia," &c.

Idem, de Johannis evangelio loquens, "Syri[g]," inquit, "Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes et innumeræ aliæ gentes, in suam transferentes linguam, homines barbari philosophari didicerunt. Non temere igitur dixeram Johanni theatrum esse universum orbem." Et paulo post: "Hujus[h] autem doctrina solis radiis clarior est atque illustrior, ideoque in omnes mortales propagata." Item: "Tanta doctrinam suam perfudit facilitate; ut non modo sapientibus, sed[i] et mulierculis et adolescentulis, quicquid dixerit, ante oculos poneret."

Homilia tertia circa initium, locus est maxime insignis: ubi vehementer admonet, ut pueri etiam sacris literis instituantur.

[g] Σύροι καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Ἰνδοὶ καὶ Πέρσαι καὶ Αἰθίοπες, καὶ μύρια ἕτερα ἔθνη, εἰς τὴν αὐτῶν μεταβαλόντες γλῶτταν, ἔμαθον ἄνθρωποι βάρβαροι φιλοσοφεῖν. Chrysost. in Johan. homil. 2. op. tom. 8. pag. 10.

[h] Ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐστὶ φανερωτέρα.

[i] Καὶ γυναιξὶ καὶ νέοις ἅπαντα τὰ λεγόμενα δῆλα.

" Quid[k] igitur a vobis contendimus? ut una dierum in hebdomade, vel saltem sabbato, curæ vobis sit evangelicas legere lectiones; quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter sensum exquirere, quid clarum, quid obscurum in his sit, adnotare velitis; quid pugnare videatur, cum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quam attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parum utrisque nostrum emolumenti evenerit. Siquidem nobis non multo opus erit labore, ut evangelii vim ostendamus; cum domi ipsam vobis sententiam quantum ad verba jam familiarem reddideritis: vos autem et acutiores et perspicaciores efficiemini, non ad audiendum et doctrinam duntaxat percipiendam, sed ad docendum alios." Et paulo post: " Rebus vilibus et abjectis diligens adhibere studium potestis; divinis autem siquando vacandum est, adeo vobis inutilia et nullius momenti videntur; ut ne minimam quidem curam in his ponendam ducatis: et quonam pacto, qui ita sentiunt, spirare solemve conspicari digni sunt? Est[l] et alia his oscitantibus inepta excusatio, librorum scilicet inopia. Et divitibus quidem ad hoc respondere ridiculum est. Verum cum multos pauperes hac frequenter excusatione uti existimem; cum his parumper jocari, atque eos percontari ita placet; nunquid omnia artis suæ habeant instrumenta? etsi inopia in his comparandis admodum impediantur. Nonne igitur absurdum est, hic non causari paupertatem; sed diligenter adtendere, ne quid sibi ad artem suam necessarium deficiat; ubi autem tantam sint consecuturi utilitatem, occupationes deflere et inopiam. Verum si quis tam pau-

[k] Τί οὖν ἔστιν, ὅπερ αἰτοῦμαι ὑμᾶς, κατὰ μίαν σαββάτων, ἢ καὶ κατὰ σάββατον, τὴν μέλλουσαν ἐν ὑμῖν ἀναγνωσθήσεσθαι τῶν εὐαγγελίων περικοπὴν ταύτην πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν μετὰ χείρας λαμβάνων ἕκαστος οἴκοι καθήμενος ἀναγινωσκέτω συνεχῶς, καὶ πολλάκις περισκοπείτω μετὰ ἀκριβείας τὰ ἐγκείμενα, καὶ βασανιζέτω ταῦτα καλῶς, &c. Chrysost. in Johan. homil. 11. op. tom. 8. pag. 62.

[l] Ἔστι καὶ ἑτέρα πρόφασις τοῖς οὕτω ῥαθύμοις ἀλογωτάτη, τὸ μὴ κεκτῆσθαι μηδὲ ἔχειν βιβλία. ——— πλὴν ἀλλὰ καὶ εἴτινες οὕτω πένητες εἶεν, ἔνεστιν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐνταῦθα γινομένης ἀναγνώσεως μηδὲν ἀγνοεῖν τῶν ἐγκειμένων. Ibid. pag. 11.

per esset, ut nullo pacto libros sibi comparare queat; ei ex continua, quæ hic habetur, lectione, nihil ex divinarum literarum sententiis ignorare licet."

" Quis[m] nostrum, quæso, repetita domo, aliquod Christiano dignum opus aggreditur? Quis Scripturarum sensus perscrutatur? Nemo sane; sed alveolos et talos frequenter inveniemus, libros quam rarissimos: quos si qui habent, ac si non haberent, in scriniis servant; vel omne suum studium in membranarum tenuitate, in literarum characteribus quam pulcherrimis consumunt; non ut legant, non ut usum inde aliquem consequantur; sed ut divitias, ut ambitionem ostentent, in his student." Et paulo post: " Non[n] autem libros comparari prohibeo; sed admoneo, et majorem in modum rogo, ut eos comparemus: ita tamen, ut et literas et sensus frequenter animo repetamus."

" Vacemus[o] Scripturis, dilectissimi, et saltem evangeliis; ea frequenter pertractemus." Et post: " Quamobrem[p] hortor, ut[q] lectioni vacetis, sensus imbibatis, eosque vestris inscribatis mentibus."

" Merito[r] ostium Scripturas appellat; quoniam nos ad Deum ducunt, et ejus nobis cognitionem aperiunt: ipsæ oves faciunt; ipsæ custodiunt, neque lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, et in

[m] Græca sunt pleniora, et ad rem magis apposita. *Τίς γὰρ ὑμῶν, εἰπέ μοι, ἐν οἰκίᾳ γενόμενος, πύκτιον ἔλαβε χριστιανικὸν μετὰ χεῖρας, καὶ τὰ ἐγκείμενα ἐπῆλθε, καὶ ἠρεύνησε τὴν γραφήν*; Quæ sic vertenda sunt. "Quisnam vestrum, oro, domi positus, Enchiridium Christianum (sc. N. Testamentum) in manus sumit, et sententias ejus ordine pervolvit, et scripturam scrutator? Chrysost. homil. 32. op. tom. 8. pag. 188.

[n] *Ταῦτα λέγω, οὐ κωλύων βιβλία κεκτῆσθαι, ἀλλὰ καὶ παραινῶ τοῦτο καὶ σφόδρα εὔχομαι. Βούλομαί δε ἐξ ἐκείνων καὶ τὰ γράμματα καὶ τὰ νοήματα εἰς τὴν διάνοιαν περιφέρεσθαι.*

[o] *Τὰ οὖν εὐαγγέλια περισπούδαστα ἡμῖν γενέσθω, καὶ ταῦτα μεταχειριζώμεθα.* Ibid. homil. 53. pag. 314.

[p] *Διὸ παρακαλῶ καὶ κτᾶσθαι βιβλία, καὶ μετὰ τῶν βιβλίων τὰ νοήματα κατέχειν, καὶ ταῖς διανοίαις ἐγγράφειν.* Ibid.

[q] Melius, " ut biblia vobismet comparetis, et illorum pariter sensum assequamini."

[r] *Εἰκότως δὲ θύραν τὰς γραφὰς ἐκάλεσεν· αὗται γὰρ ἡμᾶς προσάγουσι τῷ θεῷ, καὶ τὴν θεογνωσίαν ἀνοίγουσιν.* &c. Ibid. homil. 59. pag. 346.

tuto constituunt: neque nos, modo velimus, aberrare unquam sinent, &c. Qui enim sacra non utitur Scriptura, sed ascendit aliunde; id est, non concessa via; is fur est."

"Multi[s] nunc etiam, ecclesiam ingressi, ignorant quæ dicuntur. Eunuchus autem et in foro et in curru vectus, lectioni Scripturarum attendebat. Sed neque vos hoc agitis. Nullus enim vestrum in manibus habet librum, sed omnia potius quam librum." Et post: "Stat[t] minister, communis minister, alta voce clamat ac dixit, Attendamus; et sæpius illam vocem clamat. Hæc communis Ecclesiæ est, quam ille emittit, et nullus attendit. Post illum incipit lector prophetiam Esaiæ; et neque sic attendit quis, tametsi prophetia nihil humanum habeat. Deinde auditori pronuntiat dicens: Hæc dicit Dominus; et neque sic attendit quis. Quid dico? Horrenda quædam et terribilia pertractat; et neque sic est qui attendit. Verum quid dicunt plerique? Semper, aiunt, eadem leguntur. Hoc vos maxime perdit. Itaque siquidem scivissetis illa; neque sic oportebat ab illis recedere; quoniam et in theatris semper eadem fiunt, attamen non satiamini," &c.

"Magnum[u] malum est ignorare Scripturas; si a quibus utilitatem capere oportebat, ab his incommodamur."

"Quapropter[x] si et vos quoque in animum induxeritis hujus," Pauli scilicet, "lectioni studiosam ac diligentem operam navare; nihil sane erit, quod aliud requirendum vobis sit. Verax est enim Christi sermo dicentis: *Quæ-*

[s] Πολλοὶ νῦν, οὐδὲ εἰς ἐκκλησίαν εἰσιόντες, οὐκ ἴσασι τὰ λεγόμενα. —— οὐδεὶς γὰρ ὑμῶν βιβλίον ἔχει κατὰ χεῖρας. Chrysost. in Act. homil. 19. op. tom. 9. pag. 158.

[t] —— Ἔστηκεν ὁ διάκονος μέγα βοῶν καὶ λέγων, πρόσχωμεν, καὶ τοῦτο πολλάκις, —— καὶ οὐδεὶς ὁ προσέχων. —— εἶτα εἰς ἀπήκοον ἐκφωνεῖ λέγων, τάδε λέγει Κύριος, καὶ οὐδὲ οὕτω προσέχει τις. —— ἀλλὰ τίς ὁ λόγος τῶν πολλῶν; ἀεί, φησὶ, τὰ αὐτὰ ἀναγινώσκεται, &c. Ibid. pag. 159.

[u] Μέγα κακὸν ἀγνοεῖν γραφὰς, ἀφ' ὧν ὠφελεῖσθαι δεῖ, ἀπὸ τούτων βλαπτόμεθα. Ibid. homil. 34. pag. 265.

[x] Εἰ θελέτε μετὰ προθυμίας προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, οὐδενὸς ἑτέρου δεηθήσεσθε. —— καὶ γὰρ ἐντεῦθεν τὰ κύρια ἐφύη κακὰ, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας, ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη, ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι, ἐντεῦθεν οἱ ἀκερδεῖς πόνοι, &c. Chrysost. in Proœm. epistolæ ad Romanos. Op. tom. 9. pag. 425.

rite[y] *et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Cæterum quandoquidem complures ex iis, qui huc nobiscum convenere, et liberorum educationem, et familiæ curam, et uxoris providentiam suscepere; ob idque totos se huic labori dare non sustineant; attamen ipsi vos excitantes comparate ad ea demum capienda, quæ alii collegerint, studii tantundem iis quæ dicta fuerint auscultandis, quantum pecuniis colligendis impertientes. Tametsi enim sordidum est a vobis nihil amplius postulare, tamen vel hoc ipso contenti erimus: tantundem ergo date. Siquidem hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsa scilicet sacrarum Scripturarum ignoratione: hinc multa hæreseum lues pullulavit, hinc vitæ in multis neglectus, hinc inutiles ac lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis hujus usura sunt privati, nequaquam recta ingredi possunt; ita qui ad divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessario in multa frequenter errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis ambularent. Id quod ut ne eveniat, oculos ad ipsum apostolicorum verborum fulgorem adaperiamus. Etenim hujus lingua supra ipsum etiam solem illuxit, cæteros omnes verbi doctrina exuperans."

"Οἱ[z] *βουλόμενοι σωθῆναι προσεχέτωσαν ταῖς γραφαῖς.* Primum igitur qui salutem consequi volunt, Scripturis vacent."

"Contemptus[a] autem ex stultitia et præsentium studio, cum nulla diligentia rerum inquiratur natura. Hoc ipsum unde accidit? quod[b] Scripturarum lectionibus non attendimus.

"*Seipsum linguis loquens ædificat,* (inquit Apostolus) quod[c] quidem fieri non potest, nisi, quæ loquatur, norit." Item: "Est autem quod dicit hujusmodi. Nisi[e] dixero,

[y] Matth. cap. 7. ver. 7.

[z] Chrysost. in 1 Corinth. homil. 6. op. tom. 10. pag. 48.

[a] *Ἐκ τοῦ μὴ γραφῶν ἀναγνώσει προσέχειν.* Ibid. hom. 29. pag. 268.

[b] —— *καὶ πῶς εἰ μὴ οἶδεν ἃ λέγει;* Ibid. hom. 35. pag. 322.

[c] *Ἐὰν μήτι εἴπω ὑνάμενον ὑμῖν ἐὔληπτον γενέσθαι, καὶ ὑνάμενον εἶναι σαφές,* —— *οὐδὲν κερδάναντες ἀπελεύσεσθε. Πῶς γὰρ ἀπὸ φωνῆς, ἧς οὐ συνιέτε;* Ibid. pag. 323.

quod percipi facile clareque a vobis possit, sed linguarum munere præditum esse me tantum ostendam; nullum ex his, quæ non intelligitis, fructum facientes abibitis credo. Nam quæ utilitas esse ex voce non intellecta potest?" Et post, in apostoli persona: "Sic et vos, nisi significantem sermonem dederitis; verba (quod dicitur) vento facietis, hoc[f] est, nihil loquentes, nulli loquentes: et ubique ostendit (Apostolus) inutile." Item: "Haud[g] calumnior ego linguas, sed esse inutiles dico, quantisper sint ignotæ." Et post, "*Si lingua*," inquit, "*orem; orat quidem spiritus, at mens fructu vacat.* Si[h] quis enim loquitur modo, vel Persarum, vel peregrina tandem quacunque lingua, non intelligatur autem quæ loquatur; erit ille sibi ipsi barbarus quoque, non alteri solum, ut qui non intelligat vim vocis. Erant enim jam olim, qui precandi donum et linguæ conjunctum haberent multi; et precabantur quidem, et lingua sonabant, vel Persarum, vel Romana utentes; mente vero, quid dixissent, non intelligebant; idcirco, *si lingua*, inquit, *orem; orat spiritus*, hoc est, donum[i] mihi concessum, linguamque movens: *mens autem fructu vacat.* [Quid[k] ergo factu optimum et utilissimum sit? Quid facere, quæ postulare a Deo oportet? spiritu pariter et mente precari.] *Orabo*, inquit, *spiritu, sed orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.* Idem etiam hic docet lingua loqui, et intelligere mentem verba simul debere. Nam hoc nisi fit, confusio quædam alia

[f] Τουτέστιν, οὐδενὶ φθεγγόμενοι, πρὸς οὐδένα λαλοῦντες· καὶ πανταχοῦ τὸ ἀνωφελὲς δείκνυσι. Chrysos. in 1 Cor. hom. 35. op. tom. 10. pag. 323.

[g] Οὐ διαβάλλων τὴν φωνὴν ταῦτα λέγω, ἀλλὰ δεικνὺς ὅτι μοὶ ἀνωφελὴς, ἕως ἂν ᾖ ἀσαφὴς. Ibid. pag. 324.

[h] Ἂν γάρ τις φθέγγηται μόνον τῇ Περσῶν γλώσσῃ ἢ ἑτέρᾳ τινὶ ἀλλοτρίᾳ μὴ εἰδῇ δὲ ἃ λέγει, ἄρα καὶ ἑαυτῷ λοιπὸν ἔσται βάρβαρος, οὐχ ἑτέρῳ μόνον, διὰ τὸ μὴ εἰδέναι τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς. Ibid. pag. 325.

[i] Τὸ πνεῦμά μου, τουτέστι τὸ χάρισμα τὸ δοθέν μοι, καὶ κινοῦν τὴν γλῶτταν.—Τί ποτ' οὖν τὸ ἄριστον, καὶ τὸ ὠφέλιμον; καὶ πῶς χρὴ ποιεῖν, ἢ τί αἰτεῖν παρὰ τοῦ θεοῦ; τὸ καὶ τῷ πνεύματι, τουτέστι, τῷ χαρίσματι, καὶ τῇ διανοίᾳ προσεύχεσθαι.—ἵνα καὶ ἡ γλῶττα φθέγγηται, καὶ ὁ νοῦς μὴ ἀγνοῇ τὰ λεγόμενα. Ibid.

[k] Verba uncis inclusa omisit in versione sua interpres Latinus, in editione Morelliana. Gentianus Hervetus is fuit.

nascatur oportet. *Alioqui si benedixeris*, inquit, *spiritu; is qui locum tenet indocti, quomodo dicturus est, Amen*, &c. En rursus amussi (quod dicitur) sacrum applicat, Ecclesiæ ædificationem ubique requirens. Indoctum[m] vero promiscuam plebem vocat, monstratque non leve incommodum esse (pontificii commodum putant) si Amen dicere non possit. Est autem quod dicit, hujusmodi. Si peregrina lingua gratias agas, quam nec intelligas ipse, nec cæteris idem interpreteris; subjicere Amen plebeius non potest; et illud, *in sæcula sæculorum*, qui finis precum est, audiens, Amen non dicet."

"Magna[n] pars, Non audio quæ prælegantur; quæ dicuntur, non satis percipio: inquit. Mirum vero tumultuaris, vociferaris, mente composita non accedis; et non percipio quæ dicantur, inquis? Advertere igitur ob hoc ipsum oportebat. Cum enim, cum quid obscurius dicitur, non excitaris; proculdubio cum plana dicuntur, præterlaberis. Idcirco enim ut ne studium remittas, perspicue non omnia dicuntur; nec inperspicue omnia, ne animum despondeas. Nihil horum Eunuchus[o] ille et barbarus prætexebat; sed tanta negotiorum turba vallatus, etiam in via existens, librum in manibus habet tamen legitque; quanquam non satis, quæ legeret, intelligeret. Tu, cui tantum præceptorum suppetit, qui tot anagnostas habes, prætextum et excusationes quæris? quæ dicuntur non percipis? Quin oras igitur, ut percipias aliquando. Immo fieri ne, si velis quidem, potest, ut omnia ignores; sua sponte multa clara sunt et perspicua. Ubi nos cœpimus loqui, Dominus vobiscum: Cum[q] spiritu tuo, plebs respondet."

[m] Ἰδιώτην δὲ τὸν λαϊκὸν λέγει, καὶ δείκνυσι καὶ αὐτὸν οὐ μικρὰν ὑπομένοντα τὴν ζημίαν, ὅταν τὸ ἀμὴν εἰπεῖν μὴ δύνηται, &c. Chrysos. in 1 Cor. hom. 35. op. tom. 10. pag. 325.

[n] —— Τί φῂς; οὐκ οἶδα τίνα ἐστὶ τὰ λεγόμενα· δι' αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο προσέχειν ἐχρῆν —— οὐδὲ γὰρ τοῦτο, οὔτε σαφῆ πάντα ἔστιν, ἵνα μὴ ῥαθυμήσῃς, οὔτε ἀσαφῆ, ἵνα μὴ ἀπογνῷς, —— οὐκ οἶσθα τὰ λεγόμενα; οὐκοῦν εὖξαι ἵνα μάθῃς· μᾶλλόν δ' ἀμήχανον πάντα ἀγνοεῖν, καὶ γὰρ πολλὰ αὐτόθεν ἐστὶ κατάθηλα καὶ σαφῆ. Ibid. homil. 36. pag. 312.

[o] Act. cap. 8.

[q] Ὁ λαὸς ἀντιφθέγγεται, τῷ πνεύματί σου. Ibid. pag. 339.

"Nam[r] quod dicitur, Oremus, non tantum sacerdotibus dicitur; verum et his qui populum constituunt. Diaconus[s] non dicit parietibus, Oremus pro catechumenis. Sed quidam adeo sunt incogitantes, stulti ac dissoluti; ut non solum a tempore quo hæc aguntur cum catechumenis, verum etiam in his quæ aguntur cum fidelibus, stent et fabulentur."

"Quomodo non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare et supputare: pro rebus autem ampliоribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim[t] cum habeamus omnium exactissimam trutinam et gnomonem ac regulam, divinarum (inquam) legum assertionem. Ideo obsecro et oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, deque his a Scripturis hæc omnia inquirite: et veras divitias discentes, eas sectemur, ut et æterna scilicet bona assequamur."

"Vis filium tuum esse morigerum? Ab initio ipsum educa in eruditione et correptione Domini. Ne[u] putes superfluum esse, si divinas Scripturas audierit. Nam illic hoc primum audiet: *Honora patrem tuum ac matrem tuam.*" Item: "Mundanis[x] potissimum nesessarium est scire quæ ex Scripturis docentur, maxime pueris. Est enim plurimum insipientiæ in illa ætate." Item: "Educemus eos in eruditione et correptione Domini. Demus[y] illis exemplum, facientes eos a primæva ætate Scripturarum lectioni vacare. Hei mihi! continue ista dicens nu-

[r] Τὸ γάρ, δεήθωμεν, οὐ τοῖς ἱερεῦσι λέγεται, ἀλλὰ καὶ τοῖς εἰς τὸν λαὸν συντελοῦσιν. Chrysost. in 2. Corinth. homil. 2. op. tom. 10. pag. 435.

[s] Ου γὰρ δὴ τοῖς τοίχοις ὁ διάκονος λέγει, δεηθῶμεν ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων, &c. Id. ibid.

[t] ——— Καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν. Διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ——— παρὰ τῶν γραφῶν ταῦτα ἅπαντα πυνθάνεσθε, &c. Ibid. hom. 13. pag. 536.

[u] Μὴ νομίσῃς εἶναι περιττὸν, τὸ τῶν θείων γραφῶν αὐτὸν ἐπακούειν· ἐκεῖ γὰρ, &c. Chrysost. in Ephes. homil. 21. op. tom. 11. pag. 158.

[x] Μάλιστα γὰρ τοῖς κοσμικοῖς ἀναγκαῖον τὰ ἐντεῦθεν εἰδέναι διδάγματα. Μάλιστα τοῖς παισί. Πολλὴ γὰρ ἡ ἄγνοια ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡλικίᾳ. Ibid.

[y] Δῶμεν αὐτοῖς ὑπόδειγμα, ἐκ πρώτης ἡλικίας τῇ τῶν γραφῶν ἀναγνώσει ποιοῦντες αὐτοὺς ἐνσχολάζειν. Ibid. pag. 160.

nugari videor: veruntamen non cessabo quod mei est officii facere." Item: "Ne putes solitario duntaxat eruditionibus istis, quæ ex Scripturis sunt, opus esse. Nam[b] eis potissimum pueris necessariæ sunt, qui mundo isto usuri sunt. Quemadmodum enim in apparatu navium gubernatoreque ac supplemento nautarum non ita opus habet, qui semper in portu consistit, atque qui semper in mari versatur: ita habent mundanus et solitarius."

"Propterea et in aliorum peccatis amarulenti scrutatores et inquisitores sumus, nostri autem nullam rationem habemus, quoniam[c] Scripturas non tenemus, quoniam in divinis legibus instructi non sumus."

"Audite[d] quotquot estis mundani, et uxoribus præestis ac liberis; quomodo et vobis potissimum præcipiat Scripturas legere; idque non simpliciter, sed magna diligentia." Item: "Neque[e] moreris alium doctorem. Habes oracula Dei. Nemo te docebit, quemadmodum illa. Alius tibi multa sæpe, sive per vanam gloriam, sive per invidentiam invidebit. Audite, obsecro, sæculares omnes. Comparate vobis biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis; vel novum Testamentum acquirite, apostolum Acta, evangelia, continuos ac sedulos doctores. Si acciderit mœstitia; huc veluti ad apothecam pharmacorum accumbe. Hinc tibi sume solamen mali, sive damnum evenerit, sive mors, sive amissio domesticorum. Immo non accumbe solum, sed omnia lege, menteque illa contine. Hoc de-

[b] Μάλιστα γὰρ τούτοις δεῖ τοῖς παισὶ τοῖς μέλλουσιν εἰς τὸν βίον τοῦτον ἥκειν. Chrysost. in Ephes. hom. 20. op. tom. 11. pag. 161.

[c] Ὅτι τὰς γραφὰς οὐκ ἴσμεν, ὅτι τοὺς θείους οὐ παιδευόμεθα νόμους. Chrysost. in Philippens. homil. 9. ibid. pag. 272.

[d] —— Καὶ ὑμῖν ἐπιτρέπει μάλιστα τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν, καὶ οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς. Chrysost. in Coloss. homil. 9. ibid. pag. 390.

[e] Μηδὲ περιμείνῃς ἕτερον διδάσκαλον· ἔχεις τὰ λόγια τοῦ θεοῦ· οὐδείς σε διδάσκει ὡς ἐκεῖνα· —— ἀκούσατε, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιωτικοί, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς· εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια, διδασκάλους διηνεκεῖς. —— τοῦτο πάντων αἴτιον τῶν κακῶν, τὸ μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς. —— μὴ τὰ πάντα ἐφ' ἡμᾶς ῥίπτετε, πρόβατά ἐστε, ἀλλ' οὐκ ἄλογα, ἀλλὰ λογικά. Ibid. pag. 391.

mum malorum omnium causa est, quod Scripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, et quomodo servaremur? Non omnia in humeros nostros projicite. Oves estis; verum non irrationales, sed rationales," &c. Item: "*Ex gratia,* inquit, *Spiritus Sancti canentes in cordibus vestris Deo:* non[g] simpliciter ore, sed cum attentione. Hoc enim demum est Deo canere, illud vero aeri. Vox namque temere diffunditur."

"Divinis[h] usi Scripturis, navis instar, vela fidei in sublime extendamus. Si in istis navigaverimus, aderit nobis etiam gubernator sermo Dei. Si vero humanis cogitationibus, non item. Cui namque natantium quisquam adfuerit gubernator? Duplex itaque periculum est; cum quod nulla navis est, tum quod nemo gubernator adest. Si enim scaphus sine gubernatore periculum habet; quando utraque absunt, quæ poterit spes esse salutis? Ne projiciamus itaque nos ipsos in apertum periculum; sed in tuto incedamus, per sacram anchoram liberantes nos ipsos."

"Non attendunt, non cogitant huc ad Deum se ingressos, Deum cum ipsis sermocinari. Quando enim qui lecturus est surgens dicit: Hæc dicit Dominus; et diaconus stans omnes indicto silentio compescit, non[i] ut legenti honorem exhibeat, hæc dicit, sed ei, qui per illum omnibus sermocinatur," &c. "Omnia[k] sunt dilucida et recta, quæ sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt, quæcunque sunt necessaria," &c. Item: "Ignoro, inquis, quæ in divinis Scripturis posita sunt. Quamobrem? Num[l] enim

[g] Μὴ ἁπλῶς, φησὶ, τῷ στόματι, ἀλλὰ μετὰ προσοχῆς, τοῦτο γὰρ ἐστὶ τῷ θεῷ ᾄδειν, ἐκεῖνό δε τῷ ἀέρι. Chrysost. in Coloss. hom. 9. op. tom. 11. pag. 393.

[h] Ταῖς θείαις κεχρημένοι γραφαῖς, καθάπερ πλοίῳ τινὶ τὰ ἱστία τῆς πίστεως ἀναπετάσωμεν, &c. Chrysost. in 1 Thess. homil. 7. ibid. pag. 477.

[i] Οὐκ ἀναγινώσκοντι τιμὴν ποιῶν, τοῦτο φησὶν, ἀλλὰ τῷ δι' ἐκείνου πᾶσι διαλεγομένῳ. Chrysost. in 2 Thess. hom. 3. ibid. pag. 527.

[k] Πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς. Πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. Ibid. pag. 528.

[l] Διὰ τί οὐκ οἶδας; μὴ γὰρ Ἑβραϊστὶ; μὴ γὰρ Ῥωμαϊστὶ; μὴ καὶ ἑτερογλώσσως εἴρηται; οὐχὶ Ἑλληνιστὶ λέγεται; ἀλλ' ἀσαφῶς, φησί. Ποῖον ἀσαφὲς, εἰπέ μοι; —— πρόφασις ταῦτα καὶ λόγοι. Ibid.

Hebraice? num Latine? num alio externo idiomate prolata sunt? Non Græce dicuntur? At obscure, inquis. Quæ est ista obscuritas, dic quæso? Non historiæ sunt? Nosti quæ clara sunt; quid de obscuris rogas? Mille historiæ sunt in Scripturis; dic mihi unam ex illis. Sed non dices. Prætextus sunt ista et inania verba."

"*Sic etiam*, inquit, *testificatus est quodam loco quidam dicens:* et hoc ipsum existimo non abscondentis[o] esse, sed ostendentis eos multam habere scientiam Scripturarum, ut nec opus haberet nomen posuisse dicentis; sed veluti de re manifesta et in promptu constituta inducere testimonia."

"Ostendit[p]," apostolus, "etiam quia et laici debent docere." Ibidem: "*Meditaberis*[q], inquit, *in illis semper, exurgens, sedens, et dormitum iens. In cis persiste*, inquit, et decem millia quisque reperiet de iis. Et tamen post tanta sunt quidam, qui neque sciunt, quid sint Scripturæ. Propterea igitur nihil salvum, nihil utile apud nos fit." "Nec si audieris quia non est Paganus non est Judæus, statim putes esse Christianum; sed examina et alia cuncta. Nam Manichæi et omnes hæreses hanc sibi personam induerunt, ut hoc pacto seducant rudiores. Sed si habuerimus sensus exercitatos ad discretionem boni et mali; poterimus et hujusmodi discernere. Quomodo autem[r] fiunt sensus nostri exercitati? Ex usu Scripturarum, ex frequenti auditione," &c. Et post: "Sed[s] nemo vult ad Scripturas attendere. Si enim adverteremus, non solum non incideremus in fallaciam; sed etiam alios deceptos inde liberaremus, et de periculis adstraheremus. Item: *Discite bonum facere.* Nunquidnam scitis ubi hæc lateant?

[o] —— Δεικνῦντός ἐστιν αὐτοὺς σφόδρα ἐμπείρους εἶναι τῶν γραφῶν. Chrysost. in epist. ad Hebr. homil. 4. op. tom. 12. pag. 40.

[p] Δείκνυσί δε ὅτι καὶ ἄλλους ὀφείλουσι κατηχεῖν. Chrysost. in epist. ad Hebr. homil. 3.

[q] Ἀλλ' ὅμως μετὰ τοσαῦτα εἰσί τινες οὐδὲ εἰδότες ὅτι εἰσί ποτε γράφαί; διά τοι τοῦτο, οὐδὲν ὑγιές, οὐδὲν χρήσιμον παρ' ἡμῶν γίνεται. Ibid. homil. 8. pag. 90.

[r] Πῶς δὲ γεγυμνασμένα γίνεται ἡμῶν τὰ αἰσθητήρια; ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἀκροάσεως, ἀπὸ τῆς τῶν γράφων ἐμπειρίας. Ibid. pag. 89.

[s] Ἀλλ' οὐδεὶς βούλεται ταῖς γραφαῖς προσέχειν· εἰ γὰρ προσείχομεν, οὐ μόνον οὐκ ἂν, &c. Ibid.

Non arbitror præter paucos. Ista[t] tamen per unamquamque septimanam secundo aut tertio vobis leguntur. Ascendens enim qui legit, primo dicit librum cujus est, illius (verbi gratia) vel illius prophetæ; et tunc profert quæ is dicit. Proinde annotata vobis esse debeant: et non solum ipsum textum debebatis scire, sed et causas eorum quæ scripta sunt, et quis hæc dixerit: sed omnia frustra et sine fructu. Omne enim studium in his quæ ad vitam hanc pertinent, evacuatur; de spiritualibus autem nulla ratio est."

"Sed[u] dicis, non legi. Non est hæc excusatio, sed crimen. Per singulos dies intras ecclesiam; et adhuc istud ignoras? Veruntamen ut neque hanc tibi excusationem invenias; propterea in altiori loco stans magna voce et trementi conclamat sacerdos, veluti quidam præco," &c. Quæ vero fuerit sacrarum lectionum in Ecclesia ratio, ab eodem explicatur in sexta homilia De pœnitentia; ubi refert librum Geneseos semel quotannis lectum fuisse per ecclesias; ex evangeliis vero, quemadmodum ex epistolis Pauli, his hebdomadatim lectiones propositas; sed præ cæteris utriusque instrumenti Scripturis librum David sic adamatum fuisse omnibus Christianis; "ut in ecclesiis, et extra ecclesias, primus et medius et novissimus fuerit David," &c.

"Qui[x] sacrorum studiosus est librorum, jure etiam dici poterit amator Christi; secundum quod dictum est a Do-

[t] Καίτοι καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα δὶς ἢ καὶ τρὶς ταῦτα ὑμῖν ἀναγινώσκεται· καὶ ἀνελθὼν ὁ ἀναγνώστης λέγει πρῶτον τὸ βιβλίον τίνος ἐστὶ, —— καὶ τότε λέγει ἃ λέγει, ὥστε εὐσημότερα ὑμῖν εἶναι, &c. Chrysost. in epist. ad Hebr. hom. 8. op. tom. 12. pag. 91.

[u] Ἀλλ' ἐρεῖς, ὅτι οὐκ ἀνέγνων; οὐκ ἐστὶ τοῦτο ἀπολογία, ἀλλὰ καὶ ἔγκλημα· καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰσέρχῃ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἔτι τοῦτο ἀγνοεῖς; Ibid. homil. 17. pag. 170.

[x] Ὁ γὰρ φιλόβιβλος δικαίως ἂν λεχθείη φιλόχριστος. —— Ὁ γὰρ τοιοῦτος ἀνεξάλειπτον ἔχει ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ τὴν τοῦ θεοῦ μνήμην, καὶ πάντοτε ἐν χερσὶν αὐτοῦ κατέχων τὰς ἱερὰς βίβλους, οὐκ ἐπιλήσεται, &c. ὁρᾷς ὅσον τὸ κέρδος ἐστὶ τοῦ ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς, καὶ καθὼς πολλάκις ἠκούσατε; τί δέ ἐστιν ὃ λέγω ὑμῖν; ὅτι οὐδὲν ἐνέλιπεν οὐδὲ παρεσιώπησε ἡμῖν ἡ θεία γραφὴ, &c. Chrysost. in sermone pseudoprophetis, &c. (a Gerardo Vossio edit. ad calcem operum Ephræm Syri. Sed Nestenta potius author videtur fuisse quam Chrysostomus;) quem, cum tempus resolutionis suæ instaret, conscripsit.

mino : *Qui*[y] *diligit me, sermones meos servat : Et qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Talis enim indelebilem in corde suo continet Dei memoriam : semperque sacros suis manibus retinens libros, non obliviscetur horribilium illorum librorum, de quibus scriptum est : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Vide, quantum sit lucrum scrutari Scripturas ; quemadmodum sæpe audistis. Quid est autem id quod vobis dico? Nihil reliquisse neque reticuisse utilium vobis sacram Scripturam, sive per prophetas, sive per apostolos, ac per ipsum etiam universorum Dominum," &c. Et post : " O[z] quam multas quotidie Scripturas audimus nec intelligimus ! Quare et inexcusabiles in die judicii erimus ; quando judicium sedebit, et libri aperientur."

" Orationem[a] autem non eam commendo, quæ frustra in ore habeatur ; sed quæ ab imis animi prodeat."

" Non[b] cernis ut mulieres et parvi pueri pro magna custodia collo evangelia suppendunt, et ubique circumferunt quocunque abierint? Tu evangelii mandata et leges mente describas," &c.

" Versare[c] semper in divinis Scripturis.—Legite Salvatoris Scripturas ; et discite, quomodo nos hinc illuc migrantes adjuvare potest nemo."

" Cape[d] in manibus istorum (apostolorum) libros, et scripta perlege. Hæc te mulieris illius facient non absimilem."

[y] Johan. cap. 14.

[z] Ὢ πόσων καὶ πηλίκων γραμμάτων ἀκούοντες οὐ συνιῶμεν· ὑθεν καὶ ἀναπολόγητοι ἐσόμεθα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, &c.

[a] Εὐχὴν δὲ λέγω, οὐ τὴν ἁπλῶς ἐπὶ τοῦ στόματος κειμένην ἀλλὰ τὴν ἀπὸ βάθους τῆς διανοίας ἀνιοῦσαν. Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos, op. tom. 1. pag. 491.

[b] Εὐαγγέλια ἐξαρτῶσι τοῦ τραχήλου, καὶ πανταχοῦ περιφέρουσιν. —— σὺ δὲ τὰ παραγγέλματα τοῦ εὐαγγελίου καὶ τοὺς νόμους ἔγγραψόν σου τῇ διανοίᾳ. Chrysost. ad populum Antioch. homil. 19. quæ ad rusticos facta est, op. tom. 2. pag. 197.

[c] Ἐντύγχανε ἀεὶ ταῖς θείαις γραφαῖς. Ἀνάγνωτε τοῦ σωτῆρος διδασκαλίας, καὶ μάθετε, ὅπως ἀπελθοῦσιν ἡμῖν ἐκεῖ οὐδεὶς ἡμῖν βοηθῆσαι δύναται. Chrysost. homil. 22. quæ quidem est Joannis Nestentæ.

[d] Chrysost. serm. De eleemosyna.

" Non[e] metuis, non expavescis, dum iisdem auribus audis et scortum obscœne loquens, et prophetam apostolumque ad arcana Scripturæ introducentem?"

" Cur[f] adeo librum David sic adamarunt Christiani, ut hunc solum voluerint ore versari; lectionem vero evangeliorum semel aut bis legamus in hebdomade? Paulum vero bis per hebdomadam legamus, ita ut nec feramus ejus epistolam in ore; sed lectioni duntaxat accommodantes intellectum, pro tempore ipso huc solum procedimus."

" Nonnulli[g] introeuntes ecclesiam, in mille versus extendunt orationem suam; quasi apud Dominum multitudine sermonum opus sit, tanquam ignorantem quid postules; qui antequam cogites, novit. Nam et illi quidem quid dicunt nesciunt. Labia moventur solummodo: mens autem sine fructu est, et aures ejus surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam; et Dominum vis audire precem tuam?"

" Perdiderunt[h] audiendi laborem, et tempus. Nam qui non intelligit quod audit, perdit quod audit."

" In Psalmis[i] non simpliciter verborum sonum attendendum, sed sententiam et vim eorundem explorandam: neque enim Spiritum Sanctum psalmodia oblectari, sed[k] animo per modulationem excitato et attento. Oportet itaque (inquit) in genere omnium psalmorum vim et sententias perscrutari; præcipue vero ejus, qui nobis hodie est recitatus."

[e] *Ταῖς αὐταῖς ἀκοαῖς πόρνης ἀκούων αἰσχρολογούσης, καὶ προφήτου καὶ ἀποστόλου σε μυσταγωγοῦντος.* Chrys. homil. 3. de spectaculis David et Saul.

[f] Chrysost. homil. Lat. De pœnitentia.

[g] —— *Καὶ οὐκ οἶδασί τι εἶπον· τὰ χείλη κινεῖται· ἡ δ' ἀκοὴ οὐκ ἀκούει. σὺ οὐκ ἀκούεις τῆς εὐχῆς σου, καὶ τὸν Θεὸν θέλεις εἰσακοῦσαι τῆς εὐχῆς σου*; Ex variis in Matthæum locis homil. de muliere Cananæa. Op. tom. 3. pag. 442.

[h] Chrysost. homil. in Matthæum.

[i] *Μὴ ἁπλῶς δεχόμενος τὸν κρότον τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ τὴν ἔννοιαν βασανίζων τῶν νοημάτων.* Chrysost. in oratione quod unus et idem sit legislator et veteris et novi Testamenti, &c. quæ est 8. inter eas, quæ a Jacobo Beurero inter *Ἀνέκδοτα* Chrysostomi, Basil. 1585. editæ sunt.

[k] *Ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τῇ ὑπὸ τῆς ψαλμῳδίας διεγερθείσῃ. Δεῖ μὲν οὖν καθόλου τὰς δυνάμεις τῶν ψαλμῶν ἐρευνᾶν*, &c.

A. D. CCCCX. PHILO CARPATHIORUM EPISCOPUS.

"Incredibile[l] est nescienti quam suave sit de Deo optimo maximo ex sacris literis meditari ac loqui. In his enim legendis peccatores de propriis erratis admonentur; quoque modo se castigent, corrigant, ac emendent, apertissime docentur. Et quicquid homines alter alteri vel dicere verentur vel ignorant; hoc sacræ literæ et sanctissime audent, et uberrime noverunt. Ex his guttur nostræ mentis admirabili dulcedine repletur in Deum; seque adeo inflammari sentit desiderio æternæ vitæ consequendæ: ut mystice dulcedo et totum desiderium guttur sui sponsi, non dulce neque desiderabile prædicetur a sponsa. Est ergo totum desiderium atque dulcedo testamentum sponsi; eo quod per illud homines bona omnia docti, qualeque et quantum sit Deus ipse summum bonum intelligentes, ad illud ipsum consequendum ardentissimo desiderio rapiuntur."

A. D. CCCCX. PROCOPIUS GAZÆUS.

"Solet[m] divina Scriptura, quæ ad communem omnium utilitatem data est, rudioribus, aut etiam segnioribus, facilem sensum protendere: perfectioribus autem et diligentioribus, in quæ mentis aciem exacuant, abstrusiora largiri. ——Eo vero spectat ista Scripturarum difficultas, ut dum illis opera navatur, a deterioribus avocemur. Præterea diligimus magis, et in pretio habemus, quæ nobis ipsi labore comparavimus. ——Ad hæc assidua meditandi diligentia divina oracula mentibus nostris imprimuntur, et venerabiliora redduntur."

[l] Philo, in Cantica Canticor.

[m] Ἡ γὰρ θεία γραφὴ, τῆς ἁπάντων ὠφελείας γινομένη, καὶ τοῖς ἁπλουστέροις, ἢ καὶ ῥαθυμοτέροις πρόχειρον προτείνει διάνοιαν, &c. ——ἅμα δὲ καὶ διὰ τῆς συνεχοῦς μελέτης ἐντυποῦται τὰ θεῖα λόγια τῇ ψυχῇ, καὶ σεμνότερα καθίσταται.

A. D. CCCCXV. THEODOSIUS JUNIOR IMPERATOR.

"Ejus[o] regia non dissimilis fuit monasterio. Nam primo diluculo ille ipse cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit. Quinetiam sacras literas memoriter pronunciavit. Nam cum episcopis, perinde ac si sacerdos jam olim designatus fuisset, de eisdem disseruit (ex divina lectione disseruit; sic Historia Miscella, libro decimo quarto). Libros etiam, tum qui sacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorundem interpretibus conscripti erant, multo diligentius, quam Ptolomæus Philadelphus olim, in unum colligendos curavit[p]."

A. D. CCCCXX. THEODORUS ANTIOCHENUS.

"Septuaginta[q] virorum interpretationem plane liquet accepisse apostolos, et tradidisse his qui ex nationibus crediderunt, ad quos ante vetus Testamentum non pervenerat; et ab apostolis accipientes hanc Septuaginta virorum translationem habemus omnes, qui ex gentibus credidimus, et in ecclesis legimus, et domi evolvimus."

A. D. CCCCXX. CYRILLUS ALEXANDRINUS EPISCOPUS.

"Omni[r] virtute nitendum est, ut ab occupationibus sæculi, et a mundanis actibus liberi et ipsas etiam (si fieri potest) superfluas sodalium fabulas relinquentes, verbo Dei operam demus, et in lege ejus meditemur die ac

[o] —— Ταῖς ἑαυτοῦ ἀδελφαῖς ὀρθρίζων, ἀντιφώνους ὕμνους εἰς τὸ θεῖον ἔλεγε· διὸ καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα ἀπὸ στήθους ἀπήγγειλεν, &c. Theodos.

[p] Socrates, lib. 7. Hist. eccles. cap. 22. Author Miscellæ histor. lib. 14. prope fin. Freculphus tom. 2. Chronic. lib. 5. cap. 11. Nicephor. lib. 14. Eccles. histor. cap. 3. ubi etiam notat, evangelia ipsius manu aureis literis descripta ad sua tempora permansisse.

[q] Theodorus, ad cap. 1. Sophoniæ.

[r] Cyrill. in Levitic. lib. 6. paulo post initium; quamvis ista in Leviticum Commentaria revera non sint Cyrilli, sed Origenis.

nocte; ut toto corde conversi revelatam et apertam Mosi faciem possimus aspicere, et maxime in iis, quæ nunc recitata sunt," &c.

"An[s] tu putas, qui vix diebus festis ad ecclesiam venis, nec intentus es ad audienda verba divina, nec des operam ad implenda mandata; quod possit sors Domini venire super te? Si[t] ad ecclesiam frequenter veniens, aurem literis divinis admoveas, explanationemque mandatorum cœlestium capias: sicut cibis et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet; ac sensibus et cupiditatibus robustior effectus, carnem sibi parere coget ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur."

"Dicimus[u] igitur, quod lingua quidem Hebræorum prophetica dicta sunt et Mosaica; ut autem omnibus essent nota, parvis et magnis utiliter familiari sermone commendata sunt, ita ut nullius captum transcendant." Et paulo post: "Itaque[x] a divina Scriptura melior evadet quisquis fuerit, et aliis quoque non inutilis erit."

CCCCXXX. ISIDORUS PELEUSIOTA.

"Ἀναγινώσκειν[y] τὰς γραφὰς ὀφείλεις, καὶ μὴ περὶ πάντων ἐρωτᾷν. Scripturas sacras lectitare debes, ac non de omnibus alios interrogare."

Χρὴ[z] μὲν καὶ ψάλλειν μετὰ συνέσεως, καὶ εὐχέσθαι μετὰ νήψεως· id est, "attento ac vigilanti animo:" νήψεως enim vocabulum significationem habet συνέσεως et νουνε-

[s] Cyrill. in Levit. lib. 9. [t] Id. ibidem.

[u] Φαμὲν οὖν, ὅτι γλώττῃ μὲν Ἑβραίων ἐλαλήθη τὰ προφητῶν, καὶ αὐτὰ δὲ τὰ Μωσέως, ἵνα δὲ καὶ ὑπάρχῃ γνώριμα, μετεποιήθη χρησίμως εἰς τὸ τῆς γλώττης εὐτριβὲς, καὶ δυσέφικτον ἐχούσης παντελῶς οὐδέν. Cyrill. contra Julian. lib. 7.

[x] Οὐκοῦν ἀπὸ μὲν τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, ἑαυτοῦ βελτίων ἂν γένοιτο πᾶς τις οὖν, καὶ μὲν καὶ ἑτέροις οὐκ ἀσυντελὴς εἰς ὄνησιν.

[y] Isidor. lib. 3. epist. 13.

[z] Locum sic vertit Jacobus Billius: "Psallere quidem cum prudentia, et attento ac vigilanti animo precari, oportet." Isidor. lib. 3. epist. 171.

χείας· ut annotationibus ad Gregorium Nyssenum de opificio hominis ostendit Johannes Leunclavius.

A. D. CCCCL. THEODORETUS CYRENSIS EPISCOPUS.

"Universa quæ sub sole est terra, his (S. Scripturæ) sermonibus referta est. Hebraici[a] libri non modo in Græcum idioma conversi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamque, et Scythicam, atque adeo Sauromaticam; semelque ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur." Et paulo post: "Passimque[b] videas hæc nostratia dogmata non ab iis solum teneri, qui sunt Ecclesiæ magistri, populorumque præceptores: sed ab ipsis quoque sutoribus, fabrisque ferrariis, lanificibus præterea cunctisque artificibus; quin et a fœminis item omnibus, non iis modo, si quæ demum illæ sunt, quæ literas didicerunt, sed quæstuariis ac sartricibus, ancillisque adeo et pedissequis. Neque ii solum, qui urbes incolunt, homines, sed ipsi quoque agricolæ probe eadem sciunt: fossoresque adeo ac bubulcos invenias, plantarumque consitores, de divina Trinitate rerumque omnium creatione dissertantes, humanæ item naturæ magis conscios esse, quam Plato Stagiritesque fuerint."

"Pronum siquidem fuit et quam facillimum sapientiæ fonti, qui prophanis impiisque hominibus eam, qua tantopere gloriantur, eloquentiam dedit, vel Platone facundiores, vel acriores Demosthene, vel rotundiores Thucydide, vel Aristotele et Chrysippo cudendis insolubilibus syllogismis acutiores prodere veritatis præcones (id est, sacrarum literarum scriptores, ut ex antecedentibus liquet). Cæ-

[a] Καὶ ἡ Ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν Ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν Ῥωμαίων καὶ Αἰγυπτίων, &c. καὶ συλλήβδην εἰπεῖν εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα ὑιατελεῖ. Theodoret. De Græcarum affectionum curatione serm. 5.

[b] Καὶ ἐστὶ ἰδεῖν ταῦτα εἰδότας τὰ δόγματα, οὐ μόνους γε τῆς ἐκκλησίας τοὺς ὑιδασκάλους, ἀλλὰ καὶ σκυτοτόμους καὶ χαλκοτύπους, &c. καὶ γυναῖκας ὡσαύτως, οὐ μόνον τὰς λόγων μετεσχηκυίας, ἀλλὰ καὶ χερνήτιδας, &c.

terum[c] locuples illa liberalissimaque divinitas noluit quinque solum, decemve aut quindecim, centumve aut ducentos homines aquis salutaribus recreari, sed cunctas affatim tum Græcas tum barbaras nationes: neque solum homines literarum studiis innutritos, sed sutores juxta textoresque, fabros item ferrarios cæterosque manuales artifices, præterque hos ipsos etiam mendicos, agricolas, lignatores; fœminas quoque tum divitiis affluentes, tum manuum suarum studio parce ac duriter victitantes."

"Qui[f] enim aderant, non intelligebant ea quæ dicebantur. *Eritis in aera loquentes.* Præsentibus[g] enim non intelligentibus, verba in aerem inaniter diffunduntur. *Orabo spiritu, orabo et mente.* Spiritum donum appellat, mentem autem declarationem[h] eorum quæ dicuntur. Dicit ergo oportere eum, qui alia lingua loquitur, sive[i] in psalmodia, sive in oratione, sive in doctrina, vel ipsum interpretari ad utilitatem eorum qui audiunt, vel alium qui præstare id possit, socium assumere. *Qui supplet locum idiotæ.* Idiotam appellat eum, qui[k] in laicorum ordine constitutus est. *Nam tu quidem bene gratias agis.* Scio, inquit, te divina actum gratia Deum laudare: sed[l] ea quæ dicuntur, non intelligit is qui linguam ignorat."

A. D. CCCCLX. MARCUS EREMITA.

"Orationem[m] autem dicimus, non quæ tantum gestu

[c] Ἀλλὰ οὐκ ἐβουλήθη πέντε ἢ δέκα, ἢ, &c. τῶν σωτηρίων ἀπολαῦσαι ναμάτων, ἀλλὰ πάντας ἀνθρώπους καὶ Ἕλληνας, καὶ βαρβάρους, καὶ τοὺς λόγοις ἐντεθραμμένους καὶ τοὺς λόγων οὐ γεγευμένους, καὶ σκυτέας καὶ ὑφάντας, &c. Theodoret. De Græc. affect. curatione serm. 8.

[f] Οὐ συνίεσαν γὰρ τὰ λεγόμενα οἱ παρόντες. Theodoret. Comment. in 1 Corinth. cap. 14.

[g] Τῶν παρόντων οὐ συνιόντων.

[h] Τὴν σαφήνειαν τῶν λεγομένων.

[i] Εἴτε ἐπὶ ψαλμωδίας, εἴτε ἐπὶ προσευχῆς, εἴτε ἐπὶ διδασκαλίας.

[k] Τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον.

[l] Οὐ συνίησι τῶν λεγομένων ὁ τὴν γλῶτταν οὐκ ἐπιστάμενος.

[m] Προσευχὴν δὲ λέγομεν οὐ μόνον διὰ σαρκὸς ἐπιδεικνυμένην, ἀλλὰ καὶ δι' ἐννοίας ἀπερισπάστου τῷ θεῷ προσφερομένην. Marcus Eremita, in disputatione cum Scholastico.

quodam corporeo demonstratur, sed quæ etiam per intellectum indistractum offertur Deo."

Marcum hunc ferunt in ætate juvenili sanctarum Scripturarum fuisse memorem; ita ut cum adhuc esset junior, memoriter vetus et novum Testamentum diceret[o].

A. D. D. OLYMPIODORUS.

" Sacra[q] Scriptura, instar terræ, immobilis est, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit."

" Meditatio[r] quam intendimus circa divinos libros (in qua nos versari die noctuque sanctus David hortatur cum dicit: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*) non labor est carnis, sed exultatio spiritus. Quamvis enim in sudore ac lachrymis seminemus, laborantes circa honestum; in exultatione tamen metemus inclytum virtutis fructum. Bonorum siquidem laborum gloriosus est fructus."

A. D. DXX. DOROTHEUS ABBAS.

" Psalmodiæ[t] studium et curam adhibeamus; et mentem tamen non divertamus a virtute sanctorum verborum. Ut scilicet et os et cor pariter psallant. *Ὀφείλομεν οὖν καὶ ἡμεῖς μετὰ νήψεως ψάλλειν καὶ τιθέναι τὸν νοῦν ἡμῶν εἰς τὴν δύναμιν τῶν λόγων τῶν ἁγίων, ἵνα μὴ μόνον τὸ στόμα (καθὼς λέγει τὸ γεροντικὸν) ἀλλὰ καὶ ἡ καρδία ἡμῶν μετὰ στόματος ψάλλῃ.*"

" Nihil[u] aliud adeo ut hoc demiror, quod videlicet non

[o] Sozomenus, lib. 6. hist. cap. 29. Palladius, in historia Lausiaca.

[q] *Ἡ δὲ θεία γραφὴ, γῆ ὀνομαζομένη, διὰ τὸ ἀκίνητον, καὶ καρποφόρον, καὶ πάνδεκτον.* Olymp. in Ecclesiast. cap. 1.

[r] *Ἡ δὲ περὶ τὰ θεῖα βιβλία μελέτη, περὶ ἣν ἡμᾶς ἐνασχολεῖσθαι ἡμέρας καὶ νυκτὸς ὁ ἅγιος ἐγκελεύεται, λέγων, καὶ ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ,* &c. *οὐ κόπωσις ὑπάρχει σαρκὸς, ἀλλὰ ψυχῆς ἀγαλλίασις,* &c. Olymp. in Ecclesiast. cap. 12.

[t] Dorotheus, doctrina 23. [u] Id. doct. 8.

advertimus quid quotidie psallamus. Psallimus quotidie, atque nos ipsos maledicimus et execramur, neque id advertimus. Annon debemus, quod psallimus, intelligere? *Si reddidi*, ait, *retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Οὐ ξενίζωμαι ἄλλο, ἢ ὅτι οὔτε οἴδαμεν τί ψάλλωμεν, καθ' ἑκάστην ψάλλωμεν, καὶ καταρώμεθα ἑαυτοὺς καὶ οὐ συνιοῦμεν· οὐκ ὀφείλομεν εἰδέναι τὶ ψάλλωμεν; ὅτι ἀεὶ λέγομεν. Εἰ ἀνταπέδωκα τοῖς ἀνταποδιδοῦσι μοι κακὰ, ἀποπέσοιμι ἄρα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενὸς."

" Habenda est a nobis temporis ratio, exquirendumque ut diem noctemque transegerimus. Si[x] cum reverentia et attentione ad psalmodiam, ad orationem steterimus, nec passi sumus captivos nos trahi a cogitationibus et passionibus nostris. Si attentas aures præstitimus divinis lectionibus. Si interrupimus psalmodiam, inaniter extra ecclesiam et chorum educti."

" Libet[y] mihi, fratres, pauca quædam de Psalmis non inutiliter vobis afferre; ut non sitis tantum ad cantus suavitatem intenti, sed et omnis mens quoque vestra, ut par est, incalescat in virtute sermonum. Ἵνα μὴ ἀπομετεωρίζεσθαι πρὸς τὸ μέλος, ἀλλ' ἵνα καὶ αὐτὸς ὁ νοῦς ὑμῶν κατὰ ἀναλογίαν συμπεπύρωται τῇ δυνάμει τῶν λόγων[z]."

Hactenus Græcos audivimus patres, qui prioribus quinque sæculis a Domini nostri ascensione claruerunt. Atque his temporibus vixisse videtur author ille, qui Dionysii Areopagitæ personam assumens, pro Pauli discipulo a pontificiis agnoscitur. Itaque nec testimonium ejus hic omittendum censuimus.

In capite tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ, ubi in mysterio synaxeos explicando Psalmodiæ meminisset, et Scripturarum lectionis a ministro recitatæ, addit in Θεωρίᾳ·

[x] —— Εἰ μετὰ νήψεως ἵστατό τις εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καὶ εἰς τὴν εὐχὴν, —— εἰ νουνεχῶς ἤκουσε τῶν θείων ἀναγνωσμάτων· εἰ μὴ ἀφῆκε τὴν ψαλμῳδίαν, &c. Dorotheus, doctrin. 11.

[y] Dorotheus, doctrin. 22.

[z] Vid. eund. doct. 20.

Αἱ μὲν γὰρ ἱερώταται τῶν λογίων ᾠδαὶ καὶ ἀναγνώσεις διδασκαλίαν αὐτοῖς ἐναρέτου ζωῆς ὑφηγοῦνται· καὶ πρόγε τοῦτου τὴν παντελῆ τῆς φθοροποιοῦ κακίας ἀποκάθαρσιν. id est, "Sacratissima Scripturarum cantica et lectiones, integerrimæ illis vitæ magisterium dictant; et (quod ordine præit) exactissimam malitiæ totius ac perniciosissimæ vitiositatis emendationem docent."

A. D. DLX. ANASTASIUS SINAITA, PATRIARCHA ANTIOCHENUS.

"Igitur[a] fides Christianorum est incuriosa, in simplicitate et rectitudine cordis totam divinam Scripturam recipere et audire consueta, maxime vero doctrinam a patribus traditam. Dicta enim evangelica et apostolica scimus universim depravari non posse, quemadmodum variis locis jam ostendimus; eo quod evangelium septuaginta duarum linguarum et gentium literis consignatum sit. Quare fieri nequit, ut vel detractione vel additione a sceleratis corrumpatur. Nam licet quis unius vel alterius linguæ libros falsare conaretur, improbitas tamen ista statim detegeretur et redargueretur ab aliis septuaginta linguis. Quidam enim ex evangelio S. Lucæ locum illum de guttis sanguinis et sudoris exscindere tentarunt, nec potuerunt. Nam codices, qui his carent, falsitatis convincuntur ex plurimis aliis, qui omnia illa repræsentant, codicibus; qui tam Græce quam aliarum nationum linguis exarati sunt. At vero monumenta patrum, maxime dogmatica, non sunt in omnium gentium sermonem conversa, nec ad omnes regiones perlata. Quo fit, ut Hæretici quædam adjiciendi, quædam vero demendi occasionem

[a] *Οὐκοῦν πίστις ἀπερίεργός ἐστιν ὁ χριστιανισμὸς, καὶ ἕιον ἐν ἁπλότητι καὶ εὐθύτητι καρδίας ἕχεσθαι καὶ ἀκούειν πᾶσαν θείαν γραφὴν, καὶ μάλιστα τὰς διδασκαλικάς.* —— *διαδοθέντος καὶ γραφέντος τοῦ εὐαγγελίου ἐν τοῖς γράμμασι τῶν ἑβδομήκοντα δύο γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν, ἀδύνατόν ἐστι ῥαδιουργίαν ἢ μείωσιν ἢ προσθήκην ὑπομεῖναι αὐτῷ· κἂν γὰρ μιᾶς ἢ καὶ δευτέρας γλώττης ἐπεχείρησέ τις νοθεῦσαι τά βιβλία, ἠλέγχετο εὐθὺς ὑπὸ τῶν ἄλλων ἑβδομήκοντα γλωσσῶν ἡ ῥαδιουργία αὐτή.* —— *ἐν γὰρ πᾶσι τοῖς ἐθνικοῖς εὐαγγελίοις κεῖται καὶ ἑλληνικοῖς πλείστοις.* Anastas. in *Ὁδηγῷ*, cap. 22. pag. 339.

nacti fuerint." Huic loco non aliud habet quod objiciat Gretserus, quam Anastasium hallucinatum esse[b].

" Qui[c] studiose audiunt eum qui jubet et dicit, Scrutamini Scripturas; accipiant in manus libros cœli et terræ et alium qui dicit, Liber generationis Jesu Christi;" hoc est, vetus et novum Testamentum.

A. D. DC. HESYCHIUS HIEROSOLYMITANUS EPISCOPUS.

" In[d] multas linguas et differentes divisum est verbum Dei."

A. D. DCXVI. SYRI.

Anno ab Alexandro (sic Seleucidarum epocham notant Syri) DCCCCXXVII. apparet sacros libros conversos in linguam Syriacam, ex Græco exemplari, quod manu Eusebii ad Origenis libros, qui in Cæsareensis ecclesiæ bibliotheca asservabantur, fuerat emendatum, et scriptos Alexandriæ: ex quibus Andreas Masius se Deuteronomii bonam partem una cum libris historicis MS. habuisse testatur[e].

[b] Defens. Bellarm. adv. Whitaker. tom. 1. pag. 904.
[c] Anastas. in Hexameron, lib. 7. col. 255.
[d] Hesychius, comment. in cap. 8. Levitici, lib. 2.
[e] Andreas Masius, præfat. in Josuam, pag. 6. et 123.

CAP. III.

Latinorum patrum testimonia, qui iisdem temporibus floruerunt.

A. D. CC. TERTULLIANUS.

"Qui[a] ergo putas nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, literas nostras, quas neque ipsi supprimimus, et plerique casus ad extraneos transferunt."

"Coimus[b] in cœtum et congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum et potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur[c] ad divinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum inculcationibus densamus." Et paulo post de Agapis verba faciens: "Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere."

"Quid[d] maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat aliquid de Dei cœna, de taberna, de gehenna. Quæ Dei mentio? Quæ Christi invocatio? Ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? Ubi spiritus refrigerium? Ubi divina benedictio? Sonant[e]

[a] Tertull. in apologetico adversus Gentes, cap. 31.
[b] Tertull. in apologetico adversus Gentes, cap. 39.
[c] In edit. Rhenani et Pamelii, "Coimus."
[d] Tertull. ad Uxorem, lib. 2. [e] Ibid.

inter duos" (maritum scilicet et uxorem) "psalmi et hymni; et mutuo provocant quis melius Deo suo canat. His pacem suam Christus mittit."

A. D. CCL. CYPRIANUS CARTHAGINIENSIS EPISCOPUS.

"Et[f] quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt," &c.

"Cum[g] Dei sermo Dominus noster Jesus Christus omnibus venerit, et colligens doctos pariter et indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit; præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret; sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret."

"Quando[h] autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat; nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda;* ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum;* admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare." Et paulo post: "Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te

[f] Cyprianus de Oratione Dominica, op. pag. 205.
[g] Cyprianus de Oratione Dominica, pag. 213.
[h] Cyprianus de Oratione Dominica, ibid.

ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis[i]?"

"Sit[k] tibi vel oratio assidua vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla jam poterit, cum semel pectus cœlestis sagina saturavit."

"Sit[l] ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio."

A. D. CCCXVI. LACTANTIUS FIRMIANUS.

"Prophetæ[m] communi et simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti."

"Num[n] igitur Deus, et mentis et vocis et linguæ artifex, diserte loqui non potest? Immo vero summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt; ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur."

A. D. CCCLX. HILARIUS PICTAVORUM EPISCOPUS.

"Meditatio[o] legis non solum in verbis legentis est, sed et in operis religione: neque ut libros tantum et Scripturas recenseamus, sed ut ea quæ Scripturis et libris continentur, gestis rebusque meditemur."

"Audiat[p] orantis populi consistens quis extra ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, et ante divinorum quoque sacramentorum officia responsionem devotæ confessionis accipiat."

"Utile[q] est justificationes Dei sine aliqua temporis intermissione scrutari; quia per exquisitionem earum me-

[i] Locus iste a Gratiano in Decretum transfertur, par. 3. de consecrat. dist. 1. cap. Quando autem.
[k] Cyprianus ad Donatum, epist. 1. op. pag. 6.
[l] Cyprianus de zelo et livore, sec. 14.
[m] Lactant. Firmian. institut. divin. lib. 5. cap. 1.
[n] Ibid. lib. 6. cap. 21.
[o] Hilarius in Psalm. 1.
[p] Hilarius in Psalm. 65.
[q] Hilarius in Psalm. 118. ad finem Zain.

moriam nos perpetim continemus in Jesu Christo. Utinam[r] cordis clamore loqueremur. Labia tantum nostra sensu peregrinante quod nesciunt murmurant; et officium corporis mens in res alias occupata non sequitur."

"Sermo[s] divinus secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem naturamque se temperat, communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinæ suæ et institutionis aptatis; nobis enim non sibi loquitur, atque ideo nostris utitur in loquendo."

"Plerunque[t], immo semper, vitio nostro accidit, ut quæ legi in ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longe ab his peregrinantibus negligamus; ut per audiendi incuriam vilescat apud nos dictorum cœlestium dignitas; cum in lectionis tempore rationes supputamus, iras concipimus, injurias cogitamus, luxus recolimus. Tunc ad hæc occupatis nobis surdæ aures sunt, et hebes mens est. Et si quid forte in aures nostras eorum quæ leguntur inciderit, virtutem tamen dictorum obrutus sæculi curis animus non sentit; et quorum intelligentiam non sequitur, levem existimabit authoritatem. Omnia autem, quæ in libris propheticis sunt, maximum humanæ et salutis et doctrinæ profectum in se habent; nostrique causa universa scripta sunt," &c.

A. D. CCCLXX. ULPHILAS GOTHORUM EPISCOPUS.

Hic primus "*γράμματα ἐφεῦρε Γοτθικὰ, καὶ τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν Γοτθῶν μεταβαλὼν, τοὺς βαρβάρους μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρεσκεύασεν*, Gothicas literas excogitavit; et sacris Scripturis in Gothorum sermonem conversis, effecit ut Barbari divina eloquia perdiscerent[u]." Atque hinc est quod Walafridus Strabo De rebus ecclesiasticis capite septimo de Gothis ita scribat. "Et (ut histo-

[r] Hilarius in Psalm. 118. ad literam Caph.

[s] Hilarius in Psalm. 126. [t] Idem in Psalm. 135.

[u] Ut habet Socrates lib. 4. Hist. eccles. cap. 33. juxta edit. Græc. nam in Latin. est 27. cui consentit Sozomenus lib. 6. Hist. cap. 37. edit. Lat. et Nicephorus, lib. 11. cap. 48.

riæ testantur) postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur." Quin et hodie translationis Ulphilæ exemplar MS. idque vetustissimum Gothicis literis majoribus scriptum in aliqua Germaniæ bibliotheca delitescere dicitur[w].

Matthæus Parker de archiepiscopis Cantuariensibus[x], ex Roffensi historia, Ado[y]; Isidorus[z], Galfilam dicunt Gothorum episcopum Gothicas literas adinvenisse et Scripturas sacras in eandem linguam convertisse. Petrus Equilinus in catalogo sanctorum de S. Gulphila agens, (sic enim appellat) "Testamentum," inquit, "vetus ac novum in linguam transtulit propriam." Sixtus Senensis, "Omnes[a]," inquit, "divinas Scripturas e Græco in Gothicam linguam a se conversas Gothis tradidit, et catholice explicavit, diu multumque adversus Arianos decertans." Simeon etiam Metaphrastes in martyrio S. Nicetæ (quod habetur 15. die Septembris) de Ulphila ita scribit: "Hic cum esset vir prudens et doctus, invenit figuras literarum et sonos Gothicæ voci convenientes: et cum in eis sacram nostram et divinitus inspiratam Scripturam e Græca in linguam Gothicam vertisset; omni studio et diligentia effecit, ut eam discerent qui erant suæ gentis. Quamobrem magnum incrementum accipiebat pietas apud Barbaros, et indies proficiebat." Vide Sigebertum.

Sixtus Senensis, et Rhemenses in præfatione novi Testamenti fatentur translationem hanc ab Ulphila factam, antequam esset Arianus: factumque id probat Angelus Roccha[b], ut falsum esse appareat, quod scribit Bellarminus[c] et Johannes Magnus[d], Ulphilam, "ut suam insignem impietatem efficacius stabiliret," primum omnium divinarum literarum sacratissimum thesaurum in Gothicam lin-

[w] B. Vulcanius præfat. in lib. de lingua et moribus Getarum.
[x] Pag. 42.
[y] In Chron. ætat. 6. A. D. 364.
[z] In Chron. Goth. æra 415.
[a] Biblioth. sanct. lib. 4.
[b] In Biblioth. Vatic. pag. 152.
[c] Lib. 2. de Sacram. in genere cap. 31.
[d] Lib. 15. hist. Gothor. cap. 1.

guam transfudisse, "immixto, quod imbiberat, pernicioso veneno."

"Gothi, temporibus Valentis Augusti Wulfila episcopo authore, Christiani quidem facti sunt, sed Ariani: atque adeo etiamnum in iisdem regionibus degunt sub Præcopensi Tartarorum dynasta; et utrumque Testamentum iisdem literis, quas excogitavit Wulfila, conscriptum, et eadem lingua, qua tempore Ovidii utebantur, interpretatum legunt[e]."

A. D. CCCLXX. HILARIUS ROMANUS DIACONUS.

Vel[f] quicunque author fuit Commentariorum, qui Ambrosii nomine feruntur, in Pauli epistolas.

Authorem hunc sancti Hilarii nomine citat Augustinus[g]. Alii Hilarium, qui Romæ diaconus fuit temporibus Damasi, esse suspicantur. In commentariis ad 1 Timothei cap. III. mentionem factam legimus Damasi rectoris ecclesiæ; quem locum cum pontificii doctores, Hardingus[h], Sanderus[i], Bellarminus[k], Stapletonus[l], et alii[m] passim ad primatum pontificium stabiliendum citare soleant; ejusdem authoris explicationem decimi quarti capitis prioris epistolæ ad Corinthios aspernari non debeant. Hinc autem sententiæ sequentes deductæ sunt.

"*Nam qui loquitur lingua.* Hoc est quod dicit; quia qui loquitur incognita lingua, Deo loquitur, quia ipse omnia novit; homines vero nesciunt; ideoque nullus est ex hac re profectus. *Si igitur nesciero virtutem vocis*, &c. Non utique id studendum monet, ut invicem per incogni-

[e] Josephus Scaliger, lib. 3. Canonum Isagogicorum, pag. 138. De Ulphilæ translatione vid. Paulum Diaconum, lib. 12. Gothicam IV. Evangeliorum versionem antiquam cum Glossario et notis Junius et Marcschallus ediderunt Dordraci, 1665. quarto.

[f] Hilario Diacono deberi hosce Commentarios, apud omnes fere eruditos receptum est.

[g] Lib. 4. contra 2. epist. Pelagian. cap. 4.

[h] Artic. 4. contra Juel.

[i] De visib. monarch. lib. 7.

[k] De Roman. pontif. lib. 2. cap. 16.

[l] In epist. dedicat. princip. doctrinal. ad Gregor. XIII.

[m] Rhemenses in 1 Tim. cap. 3. ver. 15.

tam linguam barbari sibi videantur: sed quia concordiæ res est, his nitendum est, ut per unanimitatem intellectus communi lætitia glorientur." Etiam: "Exemplis commendat, per quæ facile assequantur non debere illos loqui linguis, qui interpretari non possunt; ut quid enim loquatur, quod nemo intelligit? *Si oravero lingua; spiritus meus orat, mens autem est sine fructu.* Manifestum est ignorare animum nostrum, si lingua loquatur quam nescit: sicut assolent, non autem in ecclesia, Latini homines Græce cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. At quem potest habere fructum, qui ignorat quæ loquatur? *Cæterum si benedixeris spiritu.* Hoc est si laudem Dei lingua loquaris ignota audientibus. *Quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? quia nescit quid dicas.* Imperitus enim, audiens quod non intelligit, nescit finem orationis; et non respondet Amen, id est, Verum, ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent Amen; ut omnia dicta veri testimonio in audientium mentibus confirmentur."

"*Nam tu quidem bene gratias agis,* de eo dicitur, qui cognita sibi loquitur, quia scit quid dicat. *Sed alius non ædificabitur.* Si utique ad ædificandam ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, ut quis lingua loquatur, quam solus scit; ut qui audit, nihil proficiat? Ideo tacere debet in ecclesia, ut ii loquantur, qui prosint audientibus. *Per sensum meum, ut et alios ædificem,* &c. Utilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, quod omnes intelligunt, quam prolixam orationem habere in obscuro. Hi ex Hebræis erant, qui aliquando Syra lingua, plerunque Hebræa in tractatibus aut oblationibus utebantur ad commendationem. Gloriabantur enim se dici Hebræos propter meritum Abrahæ. *Si intret aliquis infidelis vel idiota,* &c. Cum enim intelligit et intelligitur, audiens laudari Deum, et adorari Christum, pervidet veram esse et venerandam religionem: in qua nihil fucatum, nihil in latebris videt

[m] Citatur locus iste postremus Ambrosii nomine ab Amalario Fortunato. Ecclesiast. offic. lib. 3. cap. 9.

geri; sicut apud Paganos, quibus velantur oculi, ne quæ sacra vocant perspicientes, variis se vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impostura tenebras petit, et falsa pro veris ostendit. Ideo apud nos nihil astute, nihil sub velamine; sed simpliciter unus laudatur Deus, ex quo sunt omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Si enim nullus sit qui intelligat, aut a quo ipse discutiatur, potest dicere seductionem esse quandam et vanitatem, quæ ideo linguis canitur, quia pudoris est, si reveletur. *Omnia ad ædificationem fiant.* Conclusio hæc est, ut nihil incassum in ecclesia geratur; hocque elaborandum magis, ut et imperiti proficiant, ne quid sit corporis per imperitiam tenebrosum. *Quod si non fuerit interpres, taceat in ecclesia; sibi autem loquatur et Deo.* Hoc est, intra se tacite oret aut loquatur Deo, qui audit muta omnia. In ecclesia enim ille debet loqui, qui omnibus prosit."

"Pastores[n] (quorum scilicet apostolus meminit, Ephes. cap. IV. ver. 11.) possunt esse lectores, qui lectione saginent populum audientem: quia non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei."

A. D. CCCLXXV. TURONENSIS ECCLESIA.

Cum S. Martinus ad Turonensis ecclesiæ episcopatum a populo eligeretur; "inter episcopos qui affuerant, præcipue Defensor quidam nomine dicitur restitisse: unde animadversum est, graviter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur qui non aderat, unus e circumstantibus sumpto Psalterio, quem primum versum invenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: *Ex*[o] *ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et defensorem:* quo lecto, clamor populi

[n] Hilarius, in Ephes. cap. 4. [o] Psalm. 8.

tollitur, pars adversa confunditur." Hæc Severus Sulpitius[p]; ex cujus narratione intelligimus Scripturas lingua a populo intellecta recitatas fuisse in Gallicanis quoque ecclesiis[q].

A. D. CCCLXXVII. AMBROSIUS, MEDIOLANENSIS EPISCOPUS.

" Si[r] quis in via ambulat, scrutetur testimonia Domini. Et[s] tu lege prophetam, ut videas: lege, ut aperiat oculos tuos." Et paulo post: " Quod si fugias lectionem propheticam, si domi non legas, in ecclesia audire nolis; nonne sicut ille qui averso connivet obtutu, ne videat quod possit videre, claudit oculos ne aspiciat, cui potestas videndi est; aut sicut in furore plerique injecere manus oculis suis: ita et tu primo averteris conniventi magis (dissimulatione) quam refragatione prærupta. Nam cum ad ecclesiam venis, et Christianum te asseris, sanus videris; aperis oculos, quibus possis videre: sed dum audire dissimulas quæ leguntur; claudis ne videas tibi, etsi aliis videre videris. Injicis etiam quasdam perfidiæ et intemperantiæ manus oculis animæ tuæ, et cœcitatem infers cordi tuo (quod est gravius) voluntariam; ut videns non videas, audiens non audias."

" Noctibus[t] ac diebus sine ulla cessatione recenseto Scripturas divinas; quia et siquid aliud seniorem interrogaveris, nescit nisi Scripturæ divinæ seriem resultare. Vacat illic sermo de sæculo: sola illic Scriptura contexitur: singulorum sibi per vices ora succedunt," &c.

" Inveni[u] heptateuchum, inveni regnorum libros, &c. inveni sapientem auditorem, populum Christianum, qui novit ea, quæ leguntur, audire. Ille enim audit, qui ea, quæ audit, intelligit. Lex enim spiritualis est. Non eam audit Judæus, qui audit corporaliter: sed ille audit, qui audit in spiritu."

[p] Lib. 1. de vita Martini.

[q] Eandem historiam habes apud Venantium Fortunatum, lib. 1. de vita Martini, cap. 11. et Paulinum Nolanum, lib. 2. de vita Martini.

[r] Ambros. in Psalm. 118. serm. 1. [s] Ibid.

[t] Ambros. in Psalm. 118. serm. 19. [u] Ibid. serm. 21.

" Sit[x] igitur sermo hujusmodi de Scripturis maxime."

" Mens[y] igitur nostra cum ipso (Jesu) semper sit: ab ejus templo, ab ejus verbo nunquam recedat. Semper in lectione Scripturarum sit, meditationibus, orationibus; ut sermo ejus, Qui[z] est, semper operetur in nobis: et ut quotidie procedentes in ecclesiam, vel domesticis incubantes orationibus, ab ipso incipiamus, et in ipso finiamus."

" Quam[a] bene autem jejuniorum tempore verbum Dei dixit, eo quod reficit; ut ostenderet jejunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri. Negligit enim famem corporis, qui pabulo lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimenta verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera; cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit; et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit. Quod autem sacrarum literarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens: *Verba*[b] *quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita est.*"

" Maxima[c] est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum fugiet sententia lectionum, si aurem admoveas, vocem premas," &c. " Conservabat[d] enim Maria, ut legimus, omnia in corde suo, quæ de filio dicebantur; et tu, cum legitur aliquid, quo Christus aut venturus annunciatur, aut venisse ostenditur; noli fabulando obstrepere, sed mentem admove. An quicquam est indignius, quam divina oracula circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur; circumsonari sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium: cum Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt?"

" Hæc[e] est symphonia; quando concinit in ecclesia

[x] Ambros. offic. lib. 1. cap. 22. de colloquiis agens.
[y] Ambros. de Abraham, lib. 2. cap. 5.
[z] Apoc. cap. 1.
[a] Ambros. de jejunio Domini in deserto, serm. 35.
[b] Johan. cap. 6.
[c] Ambros. De virginitate, lib. 3.
[d] Luc. cap. 2.
[e] Ambros. in Luc. lib. 7. cap. 15.

diversarum ætatum atque virtutum velut variarum chordarum indiscreta concordia. Psalmus respondetur: Amen dicitur. Hæc est symphonia, quam scivit et Paulus: et ideo ait: *Psallam*[f] *spiritu, psallam et mente.*"

"Ecquid[g] aliud ille concentus undarum, nisi quidam concentus est plebis? Unde bene mari plerumque comparatur[h] ecclesia; quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit; deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus stridet: tum responsoriis Psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonus undarum fragor resultat."

"Psalmus[m] benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox ecclesiæ, &c. institutio incipientium, perfectorum confirmatio, &c. Psalmum reges sine potestatis supercilio resultant: Psalmus cantatur ab imperatoribus, jubilatur a populis. Certat in Psalmo doctrina cum gratia simul. Cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem."

A. D. CCCLXXX. RUFFINUS AQUILEIENSIS.

"Si[n] veraciter volumus orare, valde attendendum, et memoriæ commendandum est quod dicitur: Apud me oratio mea Deo vitæ meæ. Sæpe quando oro, mens mea vagatur exterius: non intelligo quod dico. Tunc oratio mea non est apud me; neque ipse ego sum apud me. De talibus Dominus ait; *Populus*[o] *hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Quomodo autem intendit Deus orationi meæ, cui non intendo?"

"Sic[p] Psalmum dicam, ut vota reddam, id est, sic psallam voce, ut vox oris cum animi concordet devotione. Psallentium enim Deo vox concordare debet cum corde, ut impleatur illud apostoli: *Psallam*[q] *spiritu, psallam et*

[f] 1 Cor. cap. 14.
[g] Ambros. Hexaemer. lib. 3. cap. 5.
[h] Psalm. 23. et 79.
[m] Ambros. Præfat. in Psalmos.
[n] Ruffin. Aquileiens. in Psalm. 41.
[o] Esai. cap. 26. et Matth. cap. 15.
[p] Ruffin. in Psalm. 60.
[q] 1 Cor. cap. 14.

mente. Non enim placet Deo laus illorum, de quibus dicitur: *Hic populus labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Tunc est autem Deo acceptabilis nostra psalmodia; quando sic ore psallimus, ut corde accendamur: quando in laude Dei simul conveniunt lingua, vita, et conscientia."

"Est[r] etiam Scriptura sacra cibus nobis paratus a Domino, quo quotidie reficimur, ne deficiamus in hujus peregrinationis deserto. Unde scriptum est: *Non*[s] *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.*"

"Puellis[t] quoque et mulierculis scribens, quæ non utique nisi de nostris Scripturis ædificari et cupiunt et debent, exempla eis Flacci sui et Tullii vel Maronis intexit."

A. D. CCCXC. HIERONYMUS STRIDONENSIS.

"Reddat[u] tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum." Et post: "Pro gemmis et serico divinos codices amet; in quibus non auri et pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata et erudita distinctio. Discat primo Psalterium; his se Canticis avocet; et in Proverbiis Solomonis erudiatur ad vitam, In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt, calcare. In Job virtutis et patientiæ exempla sectetur. Ad evangelia transeat, nunquam ea depositura de manibus. Apostolorum Acta et epistolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit; mandet memoriæ prophetas, Pentateuchum, et Regum et Paralipomenωn libros, Esdræ quoque et Hester volumina," &c. Et: "Adhuc[x] tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur." Item: "Quærant[y] eam in itinere sæculi inter turbas et frequentiam propinquorum, et nusquam alibi

[r] Ruffin. in Psalm. 64.
[s] Deut. cap. 8. et Matth. cap. 4.
[t] Ruffin. Apologiæ, seu invectivæ potius in Hieronymum, lib. 2.
[u] Hieron. epist. 57. ad Lætum de institutione filiæ. op. tom. 1. pag. 594.
[x] Ibid. pag. 592.
[y] Ibid. pag. 594.

reperiant nisi in adyto Scripturarum: prophetas et apostolos de spiritualibus nuptiis sciscitetur."

> " Unum[z] illud tibi nata Deo, præque omnibus unum,
> Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo

ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes; nec in bona terra pectoris tui sementem lolii avenarumque suscipias," &c. Et post: " Statue quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem et instructionem animæ." Et in fine: " Finem jungo principio, nec semel monuisse contentus sum. Ama Scripturas sanctas; et amabit te sapientia: dilige eam, et servabit te: honora illam, et amplexabitur te. Hæc monilia in pectore et in auribus tuis hæreant."

" Semper[a] in manibus tuis sit divina lectio."

" Quando[b] comedis, cogita quod statim tibi orandum, illico et legendum sit. De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum; istud pensum Domino tuo redde; nec ante quieti membra concedas, quam calathum pectoris tui hoc sub tegmine impleveris. Post Scripturas sanctas doctorum hominum tractatus lege, &c. Amorem monilium atque gemmarum sericarumque vestium transfer ad scientiam Scripturarum."

" Cum[c] autem virgunculam rudem et edentulam septimus ætatis annus exceperit, et cœperit erubescere; scire quid taceat, dubitare quid dicat; discat memoriter Psalterium, et usque ad annos pubertatis libros Solomonis, evangelia, apostolos, et prophetas sui cordis thesaurum faciat."

" Crebrius[d] lege, disce quamplurima. Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat." Ibidem monachorum sui temporis instituta describens: " Dominicis diebus orationi tantum et lecti-

[z] Hieron. ad Demetriadem, epist. 97. op. tom. 4. pag. 787.
[a] Hieron. ad Salvinam viduam, epist. 85. ibid. pag. 668.
[b] Hieron. ad Furiam viduam, epist. 47. ibid. pag. 558.
[c] Hieron. ad Gaudentium de Pacatulæ educatione, epist. 98. ibid. pag. 798.
[d] Hieron. ad Eustochium, epist. 18. ibid. pag. 34.

onibus vacant: quod quidem et omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de Scripturis discitur."

" Cumque[e] a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, et eos servaret evangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurissa et cerussa et stibio sæpe depinxi."

" Porro[f] quia caro Domini verus est cibus, et sanguis ejus verus est potus, juxta *ἀναγωγὴν*, hoc solum habemus in præsenti bonum; si vescamur carne ejus cruoreque potemur, non solum in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione. Verus enim cibus et potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est."

" Frequenter[g] evenit, ut homines sæculi, mystica nescientes, simplici Scripturarum lectione pascantur."

" Possumus[h] *terram et montem Domini*, quem sancti possessuri sint; et Scripturas sanctas intelligere, &c. de quo et in Michea legimus: *Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini.* Et ipse Dominus præcepit apostolis, cunctisque doctoribus Ecclesiæ, ut quicquid asperum videretur atque difficile, sua interpretatio dissolvant, et intelligentiæ viam præbeant, omniaque tollant de medio scandala; ut populus Domini absque ullo impedimento, quod legit, intelligat, et in Dei timore proficiat."

" Quod[i] cubitos genere masculino, et non neutrali cubita dicimus (in versione) juxta regulam grammaticam, et in superioribus docui, non nos ignorantia hoc facere, sed consuetudine, propter simplices quosque et indoctos, quorum in congregatione ecclesiæ major est numerus."

" Tam[k] stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem."

" In[l] adventu Christi et sermonis Dei, et Doctrinæ ecclesiasticæ et consummationis Ninivæ speciosissimæ quondam meretricis, elevabitur et properabit populus, qui sub

[e] Hieron. ad Eustochium de Paula matre, epist. 86. op. tom. 4. pag. 678.
[f] Hieron. in Ecclesiast. cap. 3. op. tom. 2. pag. 734.
[g] Hieron. in Isai. lib. 4. cap. 11. op. tom. 3. pag. 102.
[h] Hieron. in Isai. lib. 16. cap. 57. ibid. pag. 402.
[i] Hieron. in Ezech. lib. 14. cap. 47. ibid. pag. 1055.
[k] Hieron. adv. Ruffinum, lib. 2. cap. 7. de Septuaginta, op. tom. 4. pag. 421.
[l] Hieron. in Nahum, cap. 3. op. tom. 3. pag. 1590.

magistris ante fuerat consopitus, et ibit ad montes Scripturarum, ibique inveniet montes Moysem et Jesum filium Naue; montes prophetas; montes novi Testamenti, apostolos et evangelistas: et cum ad tales montes confugerit, et in hujuscemodi montium lectione fuerit versatus; si non invenerit qui eum doceat (*Messis*[m] *enim multa, operarii autem pauci*) tunc et illius studium comprobabitur, quia confugerit ad montes, et magistrorum desidia coarguetur."

"Igitur[n] quia hæc mandata sunt nobis, ut ponamus corda nostra in viis nostris; ascendamus in montem rationabilem, et ad singula problemata congrua de testimoniis Scripturarum ligna quærentes, præcidamus ea, et ædificemus domum sapientiæ in nobis." Et paulo ante: "De omni Scripturæ sanctæ monte, in quo varia virtutum et Paradisi ligna plantata sunt, præcidamus ea, et ædificemus domum sapientiæ in nobis."

"Quotusquisque[o] nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros novere vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt: rusticanos vero et piscatores nostros totus orbis loquitur, universus mundus sonat. Itaque sermone simplici simplicia eorum verba pandenda sunt."

"Si[p] quicquid est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat; id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum. Cum enim a cæteris animantibus hoc vel maxime differamus, quod rationale animal sumus, et loqui possumus: ratio autem omnis et sermo divinis libris contineatur; per quos et Deum discimus, et quare creati sumus non ignoramus; miror quosdam extitisse, qui aut ipsi se inertiæ et somno dantes, nolunt quæ præclara sunt discere; aut cæteros qui id studii habent, reprehendendos putent."

"Et[q] canere igitur et psallere et laudare Dominum magis animo quam voce debemus. Hoc est quippe quod

[m] Matth. cap. 9.

[n] Hieron. in Agge. cap. 1. op. tom. 3. pag. 1688.

[o] Hieron. Procem. lib. 3. commentar. ad Galat. op. tom. 4. pag. 290.

[p] Hieron. Procem. commentar. in epist. ad Ephes. ibid. pag. 319.

[q] Hieron. in epist. ad Ephes. lib. 3. cap. 5. ibid. pag. 387.

dicitur: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Audiant hæc adolescentuli; audiant hi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce sed corde cantandum: nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis (ut solent illi appellare) κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur," &c.

" Quod[r] autem Amen consensum significet audientis, et sit signaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet: in qua Paulus ait: *Cæterum[s] si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet Amen super tua benedictione: quoniam quidem nescit quid dicas?* Ex quo ostendit idioten non posse respondere verum esse quod dicitur, nisi intellexerit quod docetur." Universum autem populum Amen acclamare solitum idem indicat procœmio in secundum librum commentariorum in eandem epistolam; ubi de Romanæ plebis devotione disserens: " Ubi," inquit, " sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur."

" Exerceatur[t] sensus, mens quotidie divina lectione pascatur: et quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones."

" Bessorum[u] feritas, et Pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos, et totius mundi una vox est Christus."

" Dicas[x] Psalmum in corde tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur; dicente apostolo: *Psallam et spiritu, psallam et mente: Cantantes in cordibus vestris Domino.* Legerat enim esse præceptum, *Psallite sapienter.*"

[r] Hieron. in fine comm. in epist. ad Galat. op. tom. 4. pag. 318.
[s] 1 Cor. cap. 14. ver. 16.
[t] Hieron. in epist. ad Titum, cap. 3. op. tom. 4. pag. 436.
[u] Hieron. epist. 35. ad Heliod. epitaph. Nepotiani, ibid. pag. 268.
[x] Hieron. ad Rusticum Monachum, epist. 95. ibid. pag. 775.

" Hunni[y] discunt Psalterium."

" In[z] Christi villa (Bethlehem intelligit) tota rusticitas est. Extra Psalmos silentium est. Quocunque te verteris, arator, stivam tenens, alleluia decantat. Sudans messor psalmis se avocat; et curva attendens vites falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in provincia carmina, hæ (ut vulgo dicitur) amatoriæ cantiones."

Idem, funus[a] Paulæ describens, ad quod tota Palæstinarum urbium turba convenit, " Hebræo," inquit, " Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant."

Ex commentariis in Psalmos et Paulinas epistolas, quæ inter opera Hieronymi habentur.

" Ego[b] cupio intrare in domum tuam, et volo intrare per viam tuam rectam, &c. Quæ est autem ista via? lectio Scripturarum."

" Dominus[c] narrabit in Scripturis populorum: In Scripturis sanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, ut omnes intelligant. Quod dicit, hoc est. Sicut scripserunt apostoli, sic et ipse Dominus, hoc est, per evangelia sua locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes. Plato scripsit in Scriptura: sed non scripsit populis, sed paucis. Vix enim intelligunt tres homines. Isti vero, hoc est, principes Ecclesiæ, et principes Christi, non scripserunt paucis, sed universo populo."

" Solent[d] et viri, solent et monachi, solent et mulierculæ hoc inter se habere certamen, ut plures ediscant Scripturas; et in eo se putant meliores, si plures edidicerint." Et paulo ante: " Scripturas legimus, Psalmos ediscimus, evangelia tenemus, prophetas edisserimus."

[y] Hieron. ad Lætam, epist. 57. op. tom. 4. pag. 591.
[z] Epist. ad Marcellam inter op. Hieron. ibid. pag. 552.
[a] Hieron. ad Eustochium, epitaph. Paulæ, epist. 86. ibid. pag. 688.
[b] Hieron. commentar. in Psalm. 5. op. tom. 2. app. pag. 128.
[c] Hieron. commentar. in Psalm. 86. ibid. pag. 350.
[d] Hieron. commentar. in Psalm. 133. ibid. pag. 474.

A. D. CCCCXL. PRIMASIUS UTICENSIS EPISCOPUS.

Sequentia hominis sunt Pelagiani. Eadem tamen habet et Primasius.

" Cum[d] hæc inanimata, nisi distinctionem habeant, non possunt reddere cantilenam, et ut superflua respuuntur: quanto magis vobis, qui spirituales estis, suavitas non aures debet mulcere sed mentes? *Si igitur nesciero*, &c. Omnis sermo, qui non intelligitur, barbarus judicatur. *Mens autem mea sine fructu est*, &c. Quia non intelligo quod loquor. *Quis supplet locum idiotæ?* Laicum significat, qui nullo gradu ecclesiastico fungitur. *Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* &c. Quomodo tuæ perhibet benedictioni testimonium vel consensum? *Nam si orem lingua, spiritus meus orat.* Hoc dicit, quoniam si quis incognitis aliis linguis loquatur; mens ejus non ipsi efficitur sine fructu, sed audienti: quicquid enim dicitur, ignorat." Hæc omnia habentur etiam in Primasii commentariis: conferantur ergo.

" *Verbum*[e] *Christi habitet in vobis abundanter.* Hic ostenditur verbum Christi non sufficienter, sed abundanter etiam laicos habere debere, et docere se invicem vel monere." Eadem verbatim habet Primasius; et paulo ante: " Ut sapienter et rationabiliter proferatur." Item, " ut non solum ore sed etiam in corde cantetis, ut cor cum voce concordet; vel intelligatis quod cantatis."

A. D. CCCCX. PELAGIUS HÆRETICUS[f].

" Nihil[g] in hoc secreto magis agere debes quam animam divinis eloquiis pascere; et quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare. Ita

[d] Primasius, in 1 Cor. cap. 14. " Tamen ea quæ sine anima sunt," &c.

[e] Primasius, in Coloss. cap. 3.

[f] Anonymo autori testimonium istud Cl. Usserius acceptum retulerat.

[g] Pelagius Hæreticus, epist. ad Demetriadem De virginitate, quæ 1. est in tom. 4. operum Hieronymi editionis Basileensis, vel 9. in editione Mariani Victorii.

Scripturas sacras lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed etiam impleri jubet. Nihil enim prodest facienda didicisse et non facere. Optime uteris lectione divina, si eam tibi adhibeas speculi vice; ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat; et vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio; et animam jugiter adhærentem Deo grata vicissitudo sancti operis accendat," &c.

A. D. CCCXC. PAULA ET EUSTOCHIUM.

Postquam[h] dixissent Bethlehemum (vel Hierosolymam potius et reliqua loca sancta) convenisse Gallos, Britannos, Armenos, Persas, Indos, Æthiopas, Ægyptios, &c. addunt: "Vox quidem dissona, sed una religio: tot pene psallentium chori, quot gentium diversitates." Posteaque illud adjungunt, quod habet etiam Hieronymus in epistola quadragesima quinta ad eandem Marcellam. "In Christi villula tota rusticitas et extra Psalmos silentium est. Quocunque te verteris, arator stivam tenens Alleluia decantat. Sudans messor Psalmis se avocat; et curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac provincia carmina: hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ."

A. D. CCCCX. AUTHOR OPERIS IMPERFECTI IN MATTHÆUM.

"Quicquid[i] quæritur ad salutem, totum adimpletum jam est in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias et promissiones vitæ perpetuæ, quas manducando amplius excitetur ad opus," &c.

[h] Paula et Eustochium epist. ad Marcellam, quæ 44. est tom. 4. operum Hieronymi.

[i] Author operis imperfecti in Matth. homil. 41. inter op. Chrysost. tom. 6.

"Sapienter[l] primum arguit stultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei. Ignorantia autem negligentiæ filia est. Si enim nec omnes qui legunt, cognoscunt Deum; quomodo cognoscet qui non legit? Quod autem diximus non omnes legentes cognoscere veritatem Dei; tunc est si nolentes invenire legant."

"Montes[m] autem sunt Scripturæ apostolorum aut prophetarum; de quibus dictum est: *Illuminas*[n] *tu mirabiliter de montibus æternis.* Et iterum de Ecclesia dicit: *Fundamenta*[o] *ejus in montibus sanctis.* Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia ex tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, et quæ Gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? quia omnia hæc, quæ sunt proprie Christi in veritate, habent et hæreses illæ in schismate; similiter ecclesias, similiter et ipsas Scripturas divinas, similiter episcopos, cæterosque ordines clericorum, similiter baptismum, similiter eucharistiam, et cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tantæ confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? ——Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis temporibus esse futuram; ideo mandat ut Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem

[l] Author operis imperfecti in Matth. homil. 42. in illud, "Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei."

[m] Author operis imperfecti in Matth. homil. 42. in illud, "Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto; tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes."

[n] Psalm. 6. [o] Psalm. 86.

fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si alia respexerint, scandalizabuntur, et peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis; quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis."

A. D. CCCCXX. AUGUSTINUS HIPPONENSIS EPISCOPUS.

"Cum[p] essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, et ob hoc nobis opus esset autoritate sanctarum literarum; jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem; nisi et per ipsam tibi credi et per ipsam te quæri voluisse. Jam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, cum eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam; eoque mihi venerabilior et sacrosancta fide dignior apparebat authoritas, quo et omnibus ad legendum esset in promptu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum qui non sunt leves corde: ut exciperet omnes populari sinu, et per angusta foramina paucos ad te trajiceret; multo tamen plures, quam si nec tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, aderas mihi: suspirabam, et audiebas me: fluctuabam et gubernabas me: ibam per viam seculi latam, nec deserebas me."

"Quodam[q] die, non recolo causam, qua erat absens Nebridius, cum ecce ad nos domum venit, et ad me et ad Alypium Politianus quidam civis noster in quantum Afer, præclare in palatio militans: nescio quid a nobis volebat. Et consedimus ut colloqueremur, et forte super mensam lusoriam quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, invenit apostolum Paulum, inopinate sane; putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum vero arridens, meque intuens, gratulatorie mi-

[p] Augustin. Confession. lib. 6. cap. 5. op. tom. 1. pag. 123.
[q] Augustin. Confession. lib. 8. cap. 6. ibid. pag. 150.

ratus est; quod eas et solas præ oculis meis literas repente comperisset. Christianus quippe et fidelis erat; et sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in Ecclesia crebris et diuturnis orationibus. Cui ego cum indicassem illis me Scripturis maximam curam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio Ægyptio monacho," &c. Vide etiam caput duodecimum.

" Cum[r] reminiscor lachrymas meas, quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ; et nunc ipso quodmoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, et experimentum salubritatis; magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in ecclesia; ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem.

" Si[s] (Moses) Hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum nec inde mentem meam quicquam tangeret."

" Interea[t] missa sunt mihi a quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent a bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est De fide et operibus."

" Modus[u] ipse dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo

[r] Augustin. Confession. lib. 10. cap. 33. op. tom. 1. pag. 187.

[s] Augustin. Confession. lib. 11. cap. 3. ibid. pag. 197.

[t] Augustin. Retractat. lib. 2. cap. 38. libri De fide et operibus conscribendi occasionem explicans, ibid. pag. 55.

[u] Augustin. ad Volusianum, epist. 137. op. tom. 2. pag. 409.

erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam."

"Psalmis[x] et hymnis cum oratis Deum; hoc versetur in corde, quod profertur in voce."

"De[y] hac re (Psalmodia) tam utili ad movendum pie animum et accendendum divinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est, et pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt; ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in ecclesia divina cantica Prophetarum: cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antistites clara voce precantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur. Aliis autem particulis temporum quid melius a congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video."

"Qui[z] verbis orare cupit, verba quæ intelligit convenienter adhibet; ut seipsum ad orationem internam excitet."

"In[a] Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus: quare non in eis et Christum et Ecclesiam communiter retinemus?"

"Si[b] minime licet Patris et Filii et Spiritus Sanctus unam

[x] Augustin. epist. 211. op. tom. 2. pag. 783.

[y] Augustin. ad Januarium, epist. 55. ibid. pag. 142.

[z] Augustin. ad Probam, epist. 121. cap. 9.

[a] Augustin. ad Donatistas, epist. 105. ibid. pag. 301.

[b] Augustin. epist. 20. ibid. app. pag. 43.

substantiam lingua exeri Græca; ergo nec Deum laudari decet et barbara. Sicut enim Græca lingua quod est homusion, una dicitur vel creditur a fidelibus Trinitatis omnino substantia; sic una rogatur ut misereatur a cunctis Latinis et Barbaris unius Dei natura; ut a laudibus Dei unius nec ipsa lingua barbara sit nullatenus aliena. Latine enim dicitur, *Domine miserere.* Sola ergo hæc misericordia ab ipso uno Deo Patre et Filio et Spiritu Sancto lingua debet Hebræa vel Græca et ipsa ad postremum postulari Latina, non autem et Barbara. Si enim licet dicere non solum Barbaris lingua sua, sed etiam Romanis, *Sihora*[c] *armen,* quod interpretatur, *Domine miserere:* cur non liceret in conciliis patrum in ipsa terra Græcorum (unde ubique destinata est fides) lingua propria homusion confiteri, quod est Patris et Filii et Spiritus Sancti una substantia?"

"Ex[d] quo factum est, ut etiam Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta, qua opportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem; quam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatemque istorum, a quibus conscripta est, invenire, et per illas voluntatem Dei; secundum quam tales homines locutos esse credimus."

"Erit[e] igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit; et si nondum intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. Nam cæteras securius leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, et periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam."

"In[f] his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti quærunt voluntatem Dei; cujus operis et laboris

[c] Gothicam linguam Roma capta didicit.
[d] Augustin. De doctrina Christ. lib. 2. cap. 5. op. tom. 3. pag. 21.
[e] Augustin. De doctrina Christ. lib. 2. cap. 8. ibid. pag. 23.
[f] Augustin. De doctrina Christ. lib. 2. cap. 9. ibid. pag. 24.

prima observatio est (ut diximus) nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ vel omnino incognitos non habere."

"Homo[g] timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit."

"Divina[h] dispensatione factum" scribit, ut "libri, quos gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus, ministra regis Ptolomæi potestate, tanto ante proderentur."

"Quid[i] enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis; cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur?"

"Apostolus[k] ad Corinthios dicit, *Si autem oravero lingua; spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est.* Hoc enim ait, quando id quod dicitur, non intelligitur."

"Si[l] intellectum mentis removeas, nemo ædificatur audiendo quod non intelligit."

"Ita[m] enim non irridebunt (rhetores) si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligere, perturbateque distinguere?" Non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id quod plane intelligit, dicat, Amen: "Sed tamen pie toleranda sunt ab eis qui didicerunt, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici."

"Populi[n] confluunt ad ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant, quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur. Ubi sancta Scriptura justitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium

[g] Augustin. De doctrina Christ. lib. 3. cap. 1. op. tom. 3. pag. 43.
[h] Augustin. De doctrina Christ. lib. 2. cap. 15. ibid. pag. 28.
[i] Augustin. De doctrina Christ. lib. 4. cap. 10. ibid. pag. 73.
[k] Augustin. De Trinitate, lib. 14. cap. 16. op. tom. 8. pag. 962.
[l] Augustin. De Genesi ad literam, lib. 12. cap. 8. op. tom. 3. pag. 302.
[m] Augustin. De catechizandis rudibus, cap. 9. op. tom. 6. pag. 272.
[n] Augustin. De civitate Dei, lib. 2. cap. 28. tom. 7. pag. 57.

personante, et qui faciunt audiant ad præmium; et qui non faciunt, audiant ad judicium."

"Editionem[o] Septuaginta, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia, atque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit ignorant."

"Leguntur[p]," inquit de miraculis loquens, quæ in sacris libris conscripta sunt: "in populis ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur." Et statim: "Canon quippe sacrarum literarum, quem definitum esse oportebat, illa facit ubique recitari, et memoriæ cunctorum inhærere populorum."

"Quicquid[q] est, mihi crede, in Scripturis illis, altum et divinum est. Inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina; et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modo ad hauriendum, devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat."

"Psalmis[r] et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce." Et post: "Cum accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite. Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed et aures percipiant Dei verbum."

"Utinam[s] Scripturæ Dei solicita mente intendentes, in quibusque scandalis adjutorio nostri sermonis non egeretis."

"Non[t] opus est locutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi forte, sicut sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non ut Deus sed ut homines audiant, et consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum."

[o] Augustin. De civitate Dei, lib. 18. cap. 43. op. tom. 7. pag. 525.

[p] Augustin. De civitate Dei, lib. 22. cap. 8. ibid. pag. 663.

[q] Augustin. De utilitate credendi, ad Honoratum. Op. tom. 8. pag. 54.

[r] Augustin. ad Sanctimoniales (monachas) ex qua fecerunt regulam tertiam monachorum. Op. tom. 2. pag. 783.

[s] Augustin. ad clerum, seniores, et universam plebem eccl. Hippon. epist. 78. ibid. pag. 182.

[t] Augustin. De magistro, cap. 1. op. tom. 1. pag. 542.

" Movetur[u] certe animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic si sonum, non sensum libido audiendi desideret, improbatur."

" Deprecati[x] Dominum, ut ab occultis nostris mundet nos, et ab alienis parcat servis suis, quid hoc sit intelligere debemus, ut humana ratione, non quasi avium voce cantemus. Nam et meruli et psittaci et corvi et picæ, et hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare quod nesciunt. Scienter enim cantare naturæ hominis divina voluntate concessum est. Et quam multi mali et luxuriosi sic cantant, digna auribus suis et cordibus, novimus et dolemus. Eo enim pejores sunt, quo non possunt ignorare quod cantant. Sciunt enim scilicet cantare flagitia, et tamen cantant tanto liberius, quanto immundius: quoniam tanto se putant lætiores, quanto fuerint turpiores. Nos autem qui in ecclesia divina eloquia cantare didicimus, simul etiam instare debemus esse quod scriptum est: *Beatus*[y] *populus, qui intelligit jubilationem.* Proinde charissimi quod consona voce cantavimus, sereno etiam corde nosse ac tenere debemus."

" Legite[z] Scripturas. Ideo voluit Deus ut scriberentur, ut nos consolaremur."

" Hoc[a] scriptum est, et ubi sit scriptum commemoravimus, Qui meminerunt, recognoscant; qui non meminerunt, legant; qui non legerunt, credant.

" Misit[b] inde (ex civitate scilicet cœlesti) ad nos epistolas Pater noster; ministravit nobis Scripturas Deus: quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium."

" Vide[c] formicam Dei; surgit quotidie, currit ad ecclesiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cantat, ruminat quod audit, apud se cogitat, recondit intus grana electa de area.

" Sicut[d] intentissime audivimus, cum Psalmus iste lege-

[u] Augustin. contra Julianum Pelag. lib. 4. cap. 14. op. tom. 10. pag. 615.
[x] Augustin. in Psalm. 18. expositio 2. op. tom. 4. pag. 81.
[y] Psalm. 88.
[z] Augustin. in Psalm. 33.
[a] Augustin. in Psalm. 44.
[b] Id. in Psalm. 64.
[c] Augustin. in Psalm. 66.
[d] Id. in Psalm. 93.

retur, ita intente audiamus cum revelat Dominus, quæ hic dignatus est opacare mysteria. Ad hoc enim clauduntur quædam sacramenta Scripturarum: non ut denegentur, sed[e] ut pulsantibus aperiantur." Et post: "Modo lectio necessaria est, quamdiu *ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus*, sicut dicit apostolus: *Cum*[f] *autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est.* Non enim liber necessarius est, neque legemus in illa civitate Hierusalem, ubi angeli vivant, &c. Sed tamen ipsa lex quæ scripta est, firmamentum nobis est: ibi si sit cor nostrum, non impellitur iniquitatibus hominum."

"Audistis[g] cum Hieremias legeretur ante apostolicam lectionem, si aurem apposuistis; vidistis ibi tempora præsentia quæ nunc agimus." Ibidem: "Quanta mirabilia Deus fecit per manum Moysis, noverunt omnino qui istas Scripturas libenter audiunt in ecclesia, vel apud se legunt, vel quoque modo didicerunt."

"*Beatus*[h] *populus qui intelligit jubilationem.* Curramus ergo ad hanc beatudinem, intelligamus jubilationem, non eam sine intellectu fundamus. Quid opus est jubilare, et obtemperare huic Psalmo dicenti; *Jubilate Deo omnis terra;* et non intelligere jubilationem, ut vox nostra sola jubilet, et cor non jubilet? Sonus enim cordis intellectus est."

"Nos[i] sub cœlo, tanquam sub pelle divinarum Scripturarum legimus modo cum tenditur, &c. Prophetas vivos sola Judæa habuit, mortuos omnes gentes. Cum enim viverent, nondum erat extensa pellis; nondum erat extensum cœlum, ut tegeret orbem terrarum."

"Audiamus[k] Scripturam divinam humiliter excelsa dicentem, cum et parvulis nutriendis sumenda porrigit, et majoribus exercendis perscrutanda proponit."

"Quod[l] hic ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et*

[e] Matth. cap. 7.
[f] 1 Cor. cap. 13.
[g] Augustin. in Psalm. 98.
[h] Id. in Psalm. 99.
[i] Augustin. in Psalm. 103.
[k] Id. in Psalm. 105.
[l] Augustin. in Psalm. 118. conc. 23.

lumen semitis meis, verbum est quod Scripturis sanctis omnibus continetur."

" Non[m] intelligis, parum intelligis, non consequeris. Honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum: differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse, accusare aut obscuritatem, aut quasi perversitatem Scripturæ. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est; non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est; medicus illud fecit, ut pulses. Voluit[n] ut exercereris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret."

" Omnia[o] quæ post ascensionem Domini canonica veritate atque authoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam catechumenus, antequam Spiritum Sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit etiamsi nondum sicut oportet intelligit?"

" Omnia[p] quæ leguntur de Scripturis sanctis, ad instructionem et salutem nostram intente oportet audire. Maxime tamen memoriæ commendanda sunt, quæ adversus hæreticos valent plurimum: quorum insidiæ infirmiores quosque et negligentiores circumvenire non cessant." Et post: " Audistis cum Acta apostolorum legerentur, quot millia crediderunt ex interfectoribus Christi. Si crediderunt postea, qui occiderant; non erant credituri, qui paululum dubitabant? Et ipsis tamen (quod maxime debetis animadvertere et memoriæ vestræ mandare, quia contra insidiosos errores Deus ponere voluit firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult haberi Christianum) cum se palpandum præbuisset, non illi sufficit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium: prospiciebat enim nos futuros. In quo palpemus, nos non habemus; sed quod legamus, habemus."

" Constituit[q] montes Israel, authores Scripturarum di-

[m] Augustin. in Psalm. 146. [n] Matth. cap. 7.
[o] Augustin. in Evangelium Johannis, tract. 96. op. tom. 3. pag. 734.
[p] Augustin. in epist. Johan. tractat. 2. ibid. pag. 835.
[q] Augustin. De pastoribus, cap. 11. op. tom. 5. pag. 238—

vinarum. Ibi pascite, ut secure pascatis, &c. Colligite vos ad montes Scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri: ibi nihil venenosum, nihil alienum," &c.

" In[r] omni copia Scripturarum sanctarum pascimur apertis, exercemur obscuris. Illic fames pellitur, hic fastidium."

" Caput[s] nostrum Dominus Christus locutus est ad Judæos ea quæ audivimus cum evangelium legeretur, caput ad inimicos suos: loquatur et corpus, id est, Ecclesia, ad inimicos suos, &c. Hoc ergo illis dicamus, voce Ecclesiæ loquor: O fratres, filii dispersi, oves errantes, rami præcisi, quid mihi calumniamini? Quid me non agnoscitis? *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere; ipsæ testimonium perhibent de me.* Judæis dicit caput nostrum, quod vobis corpus dicit. *Quæretis me, et non invenietis.* Quare? Quia non scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent de me."

" Sancta[t] et divina eloquia, fratres, jugiter, immo quotidie, nobis salubriter recitantur; ut animæ nostræ pascantur, in futuro autem seculo æternis epulis saginentur."

" Divinarum[u] Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam, fratres charissimi, sine ullo labore comprehendit, et sine ullo labore custodit; cûjus cor plenum est charitate."

" Nec[x] solum vobis sufficiat, quod in ecclesia divinas lectiones auditis; sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, et libenter audite." Et circa initium: " Si Scripturas divinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus; ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera," &c.

" Lectiones[y] divinas et in ecclesia, sicut consuestis

[r] Augustin. De verbis Domini sec. Matth. serm. 71. op. tom. 5. pag. 389.
[s] Augustin. De verbis Domini sec. Johan. serm. 129. ibid. pag. 634.
[t] Augustin. serm. 384. ibid. pag. 1483.
[u] Augustin. serm. 350. ibid. pag. 1348.
[x] Augustin. serm. 140. app. tom. 5. pag. 249.
[y] Augustin. serm. 141. ibid. pag. 251.

audite; et in domibus vestris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem Scripturæ divinæ non possit insistere; non eum pigeat in conviviolo suo aliquid de Scripturis divinis relegere: ut quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo: ut totus homo, id est, et exterior et interior, de sancto et de salubri convivio satiatus exurgat. Nam si sola caro reficitur, et anima Dei verbo non pascitur; ancilla satiatur, et domina fame torquetur. Et hoc quam sit injustum, sanctitas vestra non potest ignorare. Et ideo sicut jam dixi, lectiones divinas illo desiderio legere et audire debetis; ut de ipsis in domibus vestris, et alibi ubicunque fueritis, etiam loqui et alios docere possitis."

"Quamvis[z], fratres charissimi, omni tempore verbum Dei cum grandi desiderio nos oporteat fideliter semper audire; in istis tamen diebus specialiter lectioni divinæ insistere, et de salute animæ nostræ debemus attentius cogitare."

"Et[a] ideo, fratres charissimi, quantum possumus, cum Dei adjutorio lectioni divinæ studeamus insistere; ut legem Dei spiritaliter mereamur agnoscere," &c.

"Adhuc[b] ergo bonum habemus solatium, divinarum lectionem Scripturarum: quia sacrarum lectio Scripturarum divinæ est præcognitio non parva beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, vel quo tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum; sive quia intellectum mentis erudit, seu quia a vanitatibus mundi abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, et multum ad emundationem animi proficit. Sicut enim ex

[z] Augustin. serm. 17. op. tom. 3. app. pag. 35.
[a] Augustin. serm. 25. ibid. pag. 53.
[b] Augustin. serm. 302. ibid. pag. 508.

carnalibus escis alitur caro; ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur: sicut Psalmista ait: *Quam*[c] *dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo.* Et ideo, fratres charissimi, quicunque ex vobis lectiones sacras legere et intelligere possunt; in his studium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur. Qui vero sensum locutionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attentius audiant interpretantem, et recipiant saltem inde ædificationem."

"Modo[d] cum evangelica lectio legeretur, audivimus dicentem Dominum: *Venite benedicti, percipite regnum*, &c. Ut ergo istam vocem desiderabilem audire, et ab audito malo possitis per Dei gratiam liberari; totis viribus Deo auxiliante contendite lectionem divinam in domibus vestris frequenter legere, et in ecclesia libenter et obedienter audire."

Author libri De vita Christiana.

In fine libri[e] ita sanctam quandam viduam affatur: "Ante omnia incessabiliter Domini tui meditare mandata; orationibus et Psalmis instanter incumbe; ut si possibile est, nemo te aliquando nisi aut legentem inveniat aut orantem."

Author libri De salutaribus documentis.

"Omnis[f] librorum sanctorum series ad nostram salutem scripta est; et hoc maxime auribus nostris intonat, et iterum atque iterum replicat, quid sit homini cavendum vel quid sequendum. In quibus libris tua dignitas (ad Laicum loquitur) optime exerceri solet; quia per illos nobis loquitur Deus ipse et Dominus noster, et piæ nobis voluntatis demonstrat affectum."

[c] Psalm. 118. ver. 103.
[d] Augustin. serm. 77. op. tom. 5. app. pag. 140.
[e] Inter op. Augustini, tom. 6. app. pag. 192.
[f] Inter op. Augustini, tom. 6. app. pag. 194.

" Grandis[h] confusio est animabus laicorum, qui dicunt; Quid pertinet ad me legendo libros Scripturarum audire vel discere, vel etiam frequenter ad sacerdotes et ecclesias sanctorum recurrere? Dum clericus fiam, faciam ea quæ oportet clericos facere."

Author præfationis præfixæ Augustini commentariis in Psalmos, in principio tomi 5. Recentior est anonymus, ut recte notat Gesnerus.

" Cum intelligenter Deo psallendum sit; quomodo debite Deo psallere potest, qui quid psallit ignorat? Jubet namque sanctus Psalmista noster, ut psallentes Deo intelligenter psallant. *Quoniam rex*, inquit, *omnis terræ Deus, psallite sapienter*, hoc est, intelligenter, ut alia litera habet."

A. D. CCCCXX. PAULINUS NOLANUS EPISCOPUS.

In carne vivens vita carnis exulet,
In lege mentis ambulans;
Totamque regni crediti terram sibi
Peragret in libris sacris.
Et sicut ille vir Joseph Dei pius
Memphiticos fines obit;
Et ampliatis horreis lætas opes
Fœcunditatis congerens,
Exuberantum dives annorum bonis:
Jejuna pavit tempora:
Sic iste noster in sacratis literis,
Perambulet regnum Dei.
Scriptura namque sancta flata spiritu,
Regni perennis mater est, &c.

Eidem tribuitur epistola ad Celantiam matronam, quæ centesima nona est in quarto tomo operum Hieronymi. Illic de institutione matris familiæ agens, " Præcipua (inquit) tibi cura sit, legem nosse divinam; per quam possis quasi præsentia cernere exempla sanctorum; et quid faciendum sit, quidve vitandum, illius consilio discere. Maximum

[h] Author libri De salutaribus documentis, apud August. tom. 6. app. pag. 200.
[i] Paulinus ad Cytherium de institutione filii agens.

enim ad justitiam auxilium est implere divinis eloquiis animum; et quod opere exequi cupias, semper corde meditari." Et paulo post: "Sint ergo divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, et jugiter in mente volvantur." Item: "Eligatur tibi opportunus et aliquantulum a familiæ strepitu remotus locus; in quem tu velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma et pressa de futuris cogitatio; ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses."

A. D. CCCCXXX. SEDULIUS HYBERNIENSIS.

"*Qui*[k] *loquitur lingua,* id est, ignota qualibet lingua, *non omnibus loquitur.* Dum non intelligunt, quia barbara est. *Sed Deo,* qui intelligit, sive dum per hoc ipse magnificatur. *Nemo enim audit;* id est, intelligit. *Spiritu loquitur mysteria,* spirituali dono prædítus, vel suo spiritu loquitur. *Seipsum ædificat;* dum solus ipse intelligit, vel glorificatur. *Ecclesiam ædificat;* dum multis proficit. *Nisi interpretetur;* ex ignota lingua in aliquam notam. *Major enim est qui prophetat, quam qui loquitur lingua;* sicut profectu, sic et merito major est. *Nunc autem, fratres, si venero ad vos lingua loquens;* suo exemplo hortatur eos illud non pro magno quærere, quod non prodest ecclesiæ. *Eritis enim in aera loquentes;* hoc est, si etiam tam multa loquamini, ut genera sunt linguarum; quid proderit? cum omnia in aera solvantur, et nulli proficiant. *Et nihil eorum sine voce est;* proprium est uniuscujusque linguæ habere vocem. *Ero, cui loquar, barbarus;* omnis enim sermo, qui non intelligitur, barbarus judicatur. *Et ideo qui loquitur lingua,* id est, ignota. *Oret ut interpretetur;* oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur; ut grammatica verba,

[k] Sedulius annotat. in 1 Corinth. cap. 14. ver. 2.

quæ dicturus sit, intelligantur; vel oret, ut illi interpretandi gratia donetur. *Nam si orem lingua*, mihi ignota. *Sine fructu est;* mens in ipso homine, si absente mente et intellectu spiritus oret: quanto magis quæ ignorantur ab auditoribus, dici non prodest? *Mens autem mea sine fructu est*, dum non intelligo quod loquor. Est autem spiritus vis quædam animæ mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. *Orabo spiritu;* oratio hoc loco oris narratio intelligitur. Ergo *orabo spiritu*, hoc est, ignota lingua in spiritu meo expressa eloquar. *Orabo et mente;* id est, intellectu mentis meæ aliis prædicabo. Qui enim interpretatur, necesse est, ut ipse prius intelligat quod aliis dicturus est. Non ergo sufficit, ut quis solo spiritu aliena lingua loquatur, nisi mens et intellectus accesserit, quatenus ipse cognoscat, quid loquatur, aut aliis interpretando patefaciat. *Cæterum si benedixeris spiritu;* id est, sine interpretatione, quatenus aliis clarescat quod loqueris. *Qui supplet locum idiotæ;* quod ipse diceret idiotæ, id est, nuper baptizati, et qui nullam præter propriam intelligit linguam, quod proprium est auditoribus. *Quomodo dicet Amen;* hoc est, quomodo tuæ benedictioni perhibebit testimonium vel consensum, cum ignoret ipsius linguæ qualitatem? *Nam tu quidem bene gratias agis;* quod superius dixerat, *Si benedixeris spiritu*, hoc ipsum exponit. Nam benedicere spiritu est gratias agere, licet ignota idiotis lingua. *Sed in ecclesia volo sensu meo quinque verba loqui;* mavult pauca verba lucida sensu recto loqui, quam innumerabilia obscura et incognita, quæ auditores non ædificant; quia meliora sunt pauca verba quæ prosunt, quam multa quæ non prosunt."

" *Sed*[k] *intelligentes quæ sit voluntas Domini;* id est, scrutamini legem, in qua voluntas ejus continetur."

" *Ut*[l] *impleamini agnitione voluntatis Dei;* quia aliter voluntatem ejus non potestis facere: quod propheta in-

[k] Sedulius, in Ephes. cap. 5. ver. 17.
[l] Sedulius, in Coloss. cap. 1. ver. 9.

telligens dicebat ad Dominum: *Doce*[m] *me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*"

"Nec[n] Hieronymi divinæ legis interpretis, et cœlestis bibliothecæ cultoris, exempla te pudeat imitari, atque ad generosas quoque fœminas et præclaræ indolis fama subnixas, in quarum mentibus sacræ lectionis instantia sobrium sapientiæ domicilium collocavit, propriæ disputationis documenta transmittere."

A. D. CCCCL. ARNOBIUS JUNIOR.

"Venimus[o] ad alleluia, quod duplex scribitur: in quo illud considero, quod nec caro sine anima, nec anima sine carne poterit Domino confiteri. Duo ergo in unum duo alleluia decantent, ut dum sunt in uno vitæ hujus transitu, confitendi ordinem teneant; dicat caro alleluia suum, dicat anima suum. Duplex homo est, duplex alleluia est."

A. D. CCCCL. LEO I. ROMANUS PONTIFEX.

"Sacram[p] Dominicæ passionis historiam evangelica, ut moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus; ut unicuique audientium ipsa lectio quædam facta sit visio."

"Sacratissimum[q], dilectissimi, Dominicæ passionis diem tam plane ac lucide evangelicus sermo reseravit; ut religiosis ac piis cordibus non aliud sit audisse quæ lecta sunt, quam vidisse quæ gesta sunt."

"Evangelica[r] lectio, dilectissimi, quæ sacratissimam Dominicæ passionis reseravit historiam, ita universæ Ecclesiæ nota est de communi frequenter auditu; ut rerum

[m] Psalm. 143.
[n] Sedulius, in operis Paschalis præfatione ad Macedonium.
[o] Arnobius, jun. in Psalm. 135.
[p] Leo I. De passione Domini, serm. 19.
[q] Leo I. De passione Domini, serm. 1.
[r] Leo I. De passione Domini, serm. 13.

gestarum ordinem, tanquam sub vestris habitum oculis, singuli quique recolatis."

"Quamvis[s] sciam, dilectissimi, quod sanctitatem vestram hodiernæ festivitatis causa non lateat, eamque secundum consuetudinem evangelicus vobis sermo reseraverit."

"Notum[t] quidem, dilectissimi, paschale sacramentum evangelica nobis narratio præsentavit; et ita per aurem carnis penetratus est mentis auditus, ut nemini nostrum rerum gestarum imago defuerit; cum divinitus inspiratæ textus historiæ evidenter ostenderit."

"Evangelica[u] lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsavit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat."

A. D. CCCCL. MAXIMUS TAURINENSIS EPISCOPUS.

"Hodie[x] igitur nobis, sicut decursa evangelii lectione cognovimus, secundum carnem natus est Christus. Audistis[y], fratres, lectionem evangelii salutaria præsentis diei sacramenta recitantem. Audistis qualiter Christus Dominus, qui in hunc mundum latenter advenit, paulatim dignatus est suam aperire mortalibus majestatem," &c. "Ait[z] prophetarum præcipuus Esaias, sicut audistis, fratres charissimi, *Illuminare*[a], *illuminare Hierusalem*," &c. Etiam: "Judæus Christum videt et invidet, sicut lectum est: *In*[b] *sua venit, et sui eum non receperunt.*" Ibidem: "Et cum perambularent magi, *stella*[c], sicut lectum est, *quam viderant in oriente, antecedebat eos.*" (Ergo tres lectiones.)

[s] Leo I. De epiphania Domini, serm. 1.
[t] Leo I. De resurrectione Domini, serm. 2.
[u] Leo I. serm. De transfiguratione Domini.
[x] Maximus, homil. 5. De natali Domini.
[y] Maximus, homil. 2. in epiphania Domini.
[z] Maximus, homil. 4. in epiphania Domini.
[a] Esai. cap. 60.
[b] Johan. cap. 1. Ubi nota Esai. cap. 60. et Johan. cap. 1. simul lecta in Epiphania. Vide an ita hodie.
[c] Matth. cap. 2.

A. D. CCCCLX. PROSPER, RHEGIENSIS EPISCOPUS.

"Doctrina[e] apostolica salubris atque vitalis est; ut pro capacitate utentium neminem sui relinquat exortem. Quia sive parvuli, sive magni, sive infirmi, sive fortes, habent in ea unde alantur, et unde satientur." Hanc sententiam in libro Epigrammatωn ita explicat:

Exueret Deus ut tetra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen apostolicæ.
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans pueros, pane cibans validos.
Non tempus, non sexus huic, non causa resistit,
Omnes curat, alit, justificat, vegetat.
Sumite quæ magnæ apposuit sapientia mensæ,
Et variis pasci discite deliciis.
Quarum pars totum est epulum, quo quisque juvatur.
Inde capit vitam, quam parit una fides.

"Bonæ[f] sunt in Scripturis sanctis mysteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vilescant; ob hoc quæruntur, ut exerceant; ob hoc autem aperiuntur, ut pascant." Id in Epigrammatωn libro sic exprimit:

Quamvis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint, Lector, clausa et opaca tibi;
Invigilare tamen studio ne desine sancto.
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit.
Ultro objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem.
Qui dedit, ut quæras; addet, ut invenias.

"Qui[g] in Scripturis sanctis non inveniunt veritatem quam quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt quod in promptu habent, fastidii languore marcescunt: et par utrorumque periculum est; dum sapientiæ cibum et illis obcæcatio et his inedia subtrahit."

[e] Prosper, in libro Sententiarum ex operibus Augustini excerptarum, sent. 8.
[f] Prosper, in lib. Sentent. ex oper. Augustini excerpt. sentent. 67.
[g] Prosper, sentent. 271. inter opera Augustini, tom. 10. app. pag. 240.

"Ignorantia[i] in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est excusatio, sed justa damnatio."

A. D. CCCCXC. GENNADIUS MASSILIENSIS.

"Musæus Massiliensis[j] ecclesiæ presbyter, hortatu sancti Venerii episcopi, excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus; responsoria etiam psalmorum capitula tempori et lectionibus congruentia; quod opus tam necessarium a lectoribus in ecclesia probatur, ut expetitum, et sollicitudinem tollat et moram, plebique ingerat scientiam, celebritatem et decorem."

A. D. DX. FULGENTIUS, RUSPENSIS EPISCOPUS.

"Equidem[k] erroris hujus qualitatem Dominus ipse Salvatorque noster, dum Saducæos increparet, ostendit, dicens, *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Propterea utique miserabiliter errabant, quia illum, qui Dei virtus est, nesciebant. Sicut ergo virtutis Dei scientia tenax est cœlestis itineris; sic est inscitia mater erroris: quod etiam beatus David ostendit dicens de quibusdam: *Nescierunt*[l] *neque intellexerunt; in tenebris ambulant.*"

"Nunquam[m] cesses a divinis eloquiis; et totam delectationem cordis tui Scripturis sanctis indulge."

"Scripturæ[n], ut ditissima fercula, habent quod omni ætati congruat, omni professioni conveniat. In verbo Dei abundat quod perfectus comedat; abundat etiam, quod parvulus sugat. Ibi est enim simul et lacteus potus, quo

[i] Prosper, sentent. 309. inter opera Augustini, tom. 10. app. pag. 244.
[j] Gennadius in catologo virorum illustrium.
[k] Fulgentius ad Thrasimundum, lib. 1.
[l] Psalm. 81.
[m] Fulgentius, epist. 2. ad Gallam viduam.
[n] Fulgentius, serm. De confessoribus et dispensatoribus Domini.

tenera fidelium nutriatur infantia; et solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritalia sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis, quos Dominus salvare dignatur: ibi est, quod omni ætati congruat; ibi, quod omni professioni conveniat."

A. D. DXX. CÆSARIUS ARELATENSIS EPISCOPUS.

"Quando[o] aliquid de utilitate animæ proferimus, fratres charissimi, nemo se excusare conetur, ut dicat; non mihi vacat legere, et ideo non possum Dei præcepta vel agnoscere vel implere; nec dicat aliquis vestrum: Non novi literas, ideo mihi non imputabitur quicquid minus de Dei præceptis implevero. Inanis est et inutilis excusatio ista, fratres charissimi. Primum est, quod lectionem divinam etiamsi aliquis nesciens literas non potest legere, potest tamen legentem libenter audire. Qui vero literas novit, nunquid potest fieri quod non inveniat libros, quibus possit scripturam divinam legere? &c. Quando noctes longiores sunt, quis erit qui tantum possit dormire, ut lectionem divinam vel tribus horis non possit aut ipse legere aut alios legentes audire. Illi enim lectionem divinam legere non possunt, qui se usque ad mediam noctem inebriare contendunt." Et post: "Si illi qui literas nesciunt, conducunt sibi mercenarios literatos, ut acquirant terrenam pecuniam; tu quicunque es, qui literas non nosti, quare etiam non cum pretio et mercede rogas, qui tibi debeat Scripturas divinas relegere, ut ex illis possis præmia æterna acquirere? Pro certo, fratres, qui hoc studiose requirit, credit, quod ille in æternum prodesse possit. Qui vero lectionem nec ipse vult legere, nec legentem libenter audire; omnino non credit, quod possit aliquid boni acquirere. Vos ergo, fratres, rogo et admoneo, ut quicunque literas scitis, Scripturam divinam frequentius relegatis. Qui vero non scitis, quando alii

[o] Cæsarius, homil. 20.

legunt, intentius auribus audiatis. Lumen enim animæ, et cibus æternus, non est aliud, nisi verbum Dei, sine quo anima non vivere potest nec videre: quia quomodo caro nostra moritur, si non capiat cibum, ita et anima nostra extinguitur, si non accipit divinum verbum. Sed dicit aliquis; Ego homo rusticus sum, et terrenis operibus jugiter occupatus sum; lectionem divinam nec audire possum nec legere. Quam multi rustici, et quam multæ mulieres rusticanæ; et tamen cantica diabolica, amatoria, et turpia ore decantant? Ista possunt tenere atque parare quæ Diabolus docet; et non possunt tenere quod Christus ostendit. Quando celerius et melius quicunque rusticus, vel quæcunque mulier rusticana, poterit utilius et symbolum discere et orationem Dominicam, et aliquas Antiphonas, et Psalmum quinquagesimum vel nonagesimum et parare et tenere et frequentius dicere; unde animam suam et Deo conjungere et Diabolo liberare posset. Nam quomodo cantica turpia in tenebras Diaboli mittunt; sic cantica sancta Christi lumen ostendunt. Nemo ergo dicat: Non possum aliquid de hoc, quod in ecclesia legitur, retinere. Sine dubio enim, si velis, poteris. Incipe velle, et statim intelliges."

"Sunt[p] plures minus de salute suæ animæ cogitantes; qui lectis divinis lectionibus, statim de ecclesia foras exeunt; cum tamen etiam dum ipsæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ita otiosis et sæcularibus fabulis occupentur; ut eas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant." Ibidem: "Si enim diligenter attenditis, cognoscitis, quia tunc non fiunt missæ, quando divinæ lectiones in ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, et corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones, sive propheticas, sive apostolicas, sive evangelicas, etiam in domibus vestris vel ipsi legere, vel alios legentes audire potestis. Consecrationem vero corporis et sanguinis Christi, non alibi nisi in domo Dei audire vel videre poteritis[q]."

[p] Cæsarius, homil. 5. De divin. myster. apud Pamel. tom. 1. liturg. pag. 616, 617, 618.

[q] Est homil. 12. in biblioth. patr. tom. 2. ubi in 3. editione col. 597. e. in mar-

A. D. DXXX. BENEDICTUS ABBAS.

"Consideremus[q] qualiter in conspectu divinitatis et sanctorum angelorum esse oporteat: et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ."

A. D. DXXXIII. ATHALARICUS REX.

Virum commendans, cui præfecturæ prætorianæ dignitatem obeundam tribuit: "Hos[r] mores lectio divina solidavit; quando semper bene geritur, si cœlestis metus humanis motibus opponatur. Hinc enim virtutum omnium sumitur manifesta cognitio; hinc sapientia veritatis sapore conditur: sic ad omnia redditur humilis, quem imbuit doctrina cœlestis."

A. D. DL. AURELIUS CASSIODORUS.

"Cantus[s], qui aures oblectat, et animas instruit, fit vox una psallentium."

"Non[t] solum cantantes, sed etiam intelligentes psallere debemus. Nemo enim sapienter quicquam facit, quod non intelligit."

gine ponitur: "Isto modo fieri debet in ecclesia tantum:" cum in 2. editione col. 1069. d. alia nota haberetur: "Consecratio corporis et sanguinis Domini fit in ecclesia tantum."

[q] Benedictus, in regula monachorum citat. a Walafrido Strabone de rebus Ecclesiast. cap. 12.

[r] Athalaricus, in epistola ad senatum Romanum apud Cassiodor. lib. 9. Variarum cap. 25.

[s] Aurelius Cassiodorus, prologo in Psalterium.

[t] Aurelius Cassiodorus, prologo in Psal. 46.

A. D. DLXX. VENANTIUS FORTUNATUS, PICTAVIENSIS EPISCOPUS.

"Pontificis[u] monitis clerus, plebs psallit, et infans. Unde labore brevi fruge replendus erit."

S. SERVULUS.

Pauper is quidam apud Romanos mendicus fuit. De illo habet Gregorius: "Nequaquam[x] literas noverat, sed Scripturæ sacræ sibimet codices emerat; et religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est, ut quantum ad mensuram propriam attinet, plene sacram Scripturam disceret; cum, sicut dixi, literas funditus ignoraret."

A. D. DXCV. GREGORIUS I. ROMANUS EPISCOPUS.

"Quid[y] est Scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta, et scripta terreni jam imperatoris acciperet; non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator cœli, Dominus hominum et angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit; et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo quæso, et quotidie creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur."

"Divinus[z] sermo, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat: servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quippe fluvius (ut ita dixerim) planus et altus; in quo et agnus ambulet, et elephas natet."

[u] Venantius Fortunatus, lib. 2. poematum in laudem Parisiaci cleri.
[x] Gregorius, homil. 15. in Evangelia.
[y] Gregorius I. lib. 4. epist. 31. ad Theodorum Modicum, op tom. 2. pag. 712.
[z] Greg. I. epist. ad Leandrum, in moral. exposit. Job, cap. 4. op. tom. 1. pag. 5.

" Sed[a] quia hæc ipsa sacra eloquia ad æternam damnationem sunt eis, qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt; recte de hoc volumine dicitur: *Hæc*[b] *est maledictio, quæ egredietur super faciem universæ terræ.*"

" Quæ[c] tamen tempora jam nunc inchoasse ingemiscimus; cum multos intra ecclesiam positos cernimus, qui aut nolunt operari quod intelligunt, aut hoc ipsum quoque, sacrum eloquium intelligere ac nosse, contemnunt. A veritate etenim avertentes auditum ad fabulas convertuntur: dum *omnes quæ sua sunt, quærant, non quæ sunt Jesu Christi.* Scripta Dei ubique reperta opponuntur oculis; sed hæc cognoscere homines dedignantur. Pene nullus quærit scire quod credidit." Horum temporum ingratitudo postulabat ut vindicta illa subsequeretur, de qua apostolus: *Propterea*[d] *quod amorem veritatis non susceperunt, ut salvi fierent; ideo mittit eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio.*

" Omnem[e] scientiam atque doctrinam Scriptura sacra in aliqua comparatione transcendit: ut taceam, quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectanda cor legentis immutat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur; quod nec sic clausa est, ut pavesci debeat; nec sic patet, ut vilescat: quod usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur: quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat; quod aliquo modo cum legentibus crescit; quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis semper nova reperitur."

Thomas Hybernicus in doctorum floribus, titulo De oratione, ex homilia quadam Gregorii hanc sententiam citat: " Illam orationem Deus non exaudit; cui homo, quando psallit, non attendit[f]."

[a] Gregorius I. exposit. moral. in Job, lib. 15. cap. 14. op. tom. 1. pag. 475.
[b] Zach. cap. 5. ver. 3.
[c] Gregorius I. exposit. moral. in Job, lib. 19. in fine.
[d] 2 Thess. cap. 2. ver. 10, 11.
[e] Gregorius I. exposit. moral. in Job, in princip. lib. 20.
[f] Vid. confessionem Gregorianam, apud Pamel. liturg. tom. 2. pag. 80, 81, 82. &c. ubi frequentes et prolixæ responsiones plebi præcipiuntur.

Temporibus Gregorii I. ita collapsum esse bonarum literarum cultum, ut facile reperiri non posset, qui utriusque linguæ peritus esset, ostendit Baronius[e]. Certe Gregorius in epistola ad Eusebium Thessalonicæ episcopum, se nunquam Græcum sermonem didicisse; et in alia ad Anastasium presbyterum, se Græcæ linguæ nescium, libere profitetur. Latinam tamen linguam a populo Romano tum vulgo intellectam fuisse, ex homiliis ejusdem constat. Homilias enim viginti duas in Ezechielem, a notariis exceptas et tandem recognitas, ad populum habuit. (Vide utriusque libri harum homiliarum præfationem, et finem totius commentationis.) In evangelicas etiam lectiones ad emendationem ædificationemque fidelium homilias quadraginta partim dictavit, ut plebi assistenti per notarium iterum dictarentur; partim coram populo ipse viva voce, notario excipiente, explanavit: ut ex prologo homiliarum, et epistola quinquagesima secunda, libri septimi, [ad Secundinum] apparet. Denique epistola vigesima quarta libri decimi, Joanni subdiacono Ravennæ scribens: "Dic ei," inquit, "ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat; quæ mentes secularium ad bonos mores præcipue informent."

A. D. DCX. LIVINUS ET BENIGNUS HIBERNI.

Bonifacius in eorum vita refert[f], quomodo Livinus ætate tenera Benigni, presbyteri Scoti, curæ commissus, "et Davidicis Psalmorum melodiis, et sanctorum evangeliorum mellifluis lectionibus, atque cæteris divinis exercitationibus perfectissime instructus fuerit."

A. D. DCXX. FURSEUS HIBERNUS, VIR NOBILIS.

"Ab[g] ipso tempore pueritiæ suæ curam non modicam lectionibus sacris, simul et monasticis exhibebat disciplinis."

[e] Ad annum 593. sect. 62.
[f] Pag. 238.
[g] Beda, lib. 3. hist. cap. 19.

A. D. DCXXX. ISIDORUS, HISPALENSIS EPISCOPUS.

" Sanctarum[h] Scripturarum altitudo, quasi montes pascuæ sunt, ad quos dum quisque justorum contendit, se pascuæ indeficientis refectionem invenisse congaudet. In Scripturis sanctis quasi in montibus excelsis et viri perfecti habent sublimia intelligentiæ, quibus gressus contemplationis quasi cervi erigant; et simplices quasi parva animalia inveniunt modicos intellectus, ad quas humiles ipsi refugiant. Scriptura sacra infirmis et sensu parvulis secundum historiam humilis videtur in verbis; cum excellentioribus autem viris altius incedit, dum eis sua mysteria pandit: ac per hoc utrisque manet communis manna, quæ populo veteri pro singulorum delectatione varium dabat saporem. Juxta sensuum capacitatem singulis sermo congruit."

" Qui[i] vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, frequenter et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ autem didicimus, meditationibus conservamus. Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum: sive quia intellectum mentis erudit, seu quod a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit."

" Oratio[k] cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Quod si tacite cor oret, et vox sileat; quamvis homines lateat, Deum latere non potest, qui conscientiæ præsens est. Melius est autem cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis." Et post: " Non in multiloquio exaudiuntur homines a Deo, quasi plurimis eum verbis conentur inflectere. Neque conciliat eum multiplex orantis sermo, sed pura sinceraque orationis

[h] Isidorus, De summo bono lib. 1. cap. 18.
[i] Ibid. lib. 3. cap. 8.
[k] Ibid. lib. 3. cap. 7.

intentio. Bonum est corde semper orare, bonum etiam et sono vocis Deum spiritualibus hymnis glorificare. Nihil est sola voce canere sine cordis intentione; sed sicut ait apostolus: *Cantantes in cordibus vestris*, hoc est, non solum voce, sed et corde psallentes. Unde et alibi: *Psallam spiritu, psallam et mente.* Sicut orationibus regimur, ita Psalmorum studiis delectamur. Psallendi enim utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda; statim ut Psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. Dum Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba divina, quæ ibi dicuntur, debeant commovere. Nescio tamen quo pacto modulatione canentis major nascitur compunctio cordis."

" Lectiones[l] pronunciare, antiquæ institutionis esse Judæorum traditio docet. Nam et ipsi legitimis præfinitis diebus, ex lege et prophetis lectione in synagogis utuntur, et hoc de veteri patrum institutione servantes. Est autem lectio non parva audientium ædificatio. Unde oportet, ut quando psallitur, psallatur ab omnibus; cum oratur, oretur ab omnibus; cum lectio legitur, facto silentio, æque audiatur a cunctis. Nam et si tunc superveniat quisque, cum lectio celebratur, adoret tantum Deum; et præsignata fronte, aurem sollicite accommodet. Patet tempus orandi, cum omnes oramus; patet, cum voluerit orare privatim. Obtentu orationis ne perdideris lectionem; quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit. Nec putes parvam nasci utilitatem ex lectionis auditu. Siquidem oratio ipsa fit pinguior; dum mens recenti lectione saginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit, imagines currit. Nam et Maria soror Marthæ[m], quæ sedens ad pedes Jesu, sorore neglecta verbum intentius audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. Ideo et diaconus clara voce silentium admonet; ut sive dum

[l] Isidorus, De officiis ecclesiast. lib. 1. cap. 10.
[m] Luc. cap. 10. ver. 42.

psallitur, sive dum lectio pronuntiatur, ab omnibus unitas conservetur; ut quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur."

"Sic[o] expeditus, vim pronunciationis tenebit; ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat; discernendo genera pronuntiationis, atque exprimendo omnium sententiarum proprios affectus." Et post: "Auribus et cordi consulere debet lector, non oculis; ne potius ex seipso eos spectatores magis quam auditores faciat."

[o] Isidorus, lib. 2. cap. 11. de lectore agens.

CAP. IV.

De origine erroris pontificii.

Ex patrum, quos hucusque produximus, sententiis illud manifestum fecimus, prioribus sex a Christi ascensione sæculis linguam peregrinam in sacris nondum fuisse receptam, neque etiam populo Scripturæ lectioni interdictum. Jam vero ad nati Antichristi tempora pervenimus, qui potestatem[a] septicollis bestiæ (urbis scilicet illius "magnæ[b], quæ habet regnum super reges terræ") exerciturus erat in conspectu ejus (in ipsa scilicet Romana urbe) et effecturus ut[c] omnes characterem haberent aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, hoc est, Romanæ potestati subditos se profiterentur. Atque in hunc sane finem adeo soliciti fuerunt Romani pontifices; ut Latina liturgia quantumvis incognita et non intellecta ubique in ditione sua obtineret: in eo ipso potestatem prioris bestiæ, id est, Romani imperii sedulo imitati. "Opera enim data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis (sociatis legendum censet Lipsius, vel certe speciem societatis) imponeret," inquit Augustinus[d]. Curabant ergo Romani, ut in eum locum observat Vives, ut et in provinciis plurimi Latine loquerentur; ita ut Hispanias et Gallias Latinas prorsus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis: et in senatu nullos audierunt nisi Latine verba facientes. Ita Valerius Maximus: "Magistratus," inquit[e], "prisci quantopere suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest; quod inter cætera obti-

[a] Apoc. cap. 13. ver. 12.
[b] Apoc. cap. 17. ver. 18.
[c] Apoc. cap. 17. vers. 17.
[d] De civit. Dei, lib. 19. cap. 7.
[e] Lib. 2. cap. 1.

nendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi Latine responsa darent; quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia et Asia: quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur." Atque hinc est quod Cicero[f] sibi objectum commemorat: indignum facinus esse quod in senatu Græco verba fecisset, quodque apud Græcos Græce locutus esset; id ferri nullo modo posse. Contra vero Catonem apud Athenienses per interpretem omnia locutum esse narrat Plutarchus; quanquam ita Græce sciret, ut interpretis opera minime indigeret. Atque hinc Tryphonius J. C. in Digestis: "Decreta[g] a prætoribus Latine interponi debent." Postea vero Constantinopolin translato imperio; ab Arcadio et Honorio imperatoribus decretum est, ut[h] judices tam Græca quam Latina lingua sententias proferre possent[i].

Romani pontifices, quos in[k] collapso imperio restaurando omnem operam collocare oportuerat, eandem ingressi sunt viam: ut Romanæ linguæ in ecclesiasticis officiis receptus usus Romanæ authoritatis in gentibus propagatæ esset indicium: "Ita[l] nempe Romanum imperium esse videbatur, ubicunque Romana lingua dominabatur." Sed quærit hic a nobis Alanus[m], utrum subito lingua in liturgia usurpata mutata fuerit. Cui cum Erasmo[n] respondemus linguam vulgarem populo nequaquam subtractam esse, sed populum ab ea recessisse. Barbaris enim cuncta occupantibus, effectum esse, ut Latina lingua, quæ nationibus Romano imperio subditis communis erat, varie corrumperetur, et in diversas dialectos degeneraret. Ita

[f] Lib. 4. accusationis in Verrem.

[g] Lib. 42. tit. 1. De re judicata, lib. 48.

[h] In codice, lib. 7. tit. 45. De sententiis et interlocutionibus, lib. 12.

[i] De hac re vide egregiam dissertationem Pauli Merulæ in cosmograph. pag. 795, 796. necnon Glareanum annot. in lib. 1. comment. Cæsar.

[k] Apoc. cap. 13. ver. 12. 15.

[l] Laur. Valla, in libros Elegantiarum præfat.

[m] Artic. 11. postulat. 9.

[n] In declarat. ad censuras Parisiens. tit. 12. sect. 41.

Italiam oppresserunt Longobardi: de quibus Gregorius[o] ad Phocam imperatorem ita scribit[p]: " Qualiter quotidianis gladiis, et quantis Longobardorum incursionibus ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus suggestionis valemus." Posteaque anno[q] DCCLV. Aistulphus, cum universo regni sui Longobardorum populo, Romanam urbem per trium mensium spatia oppugnabat, omnia extra urbem posita ferro et igne devastans. Neque quietem nacta est Italia, donec Desiderio rege a Carolo Magno devicto, regnum a Longobardis ad Francos esset translatum circa annum DCCLXXIII. Hispaniam Athaulpho duce occuparunt Gotthi[r], anno quarto a capta ab iisdem Gotthis urbe Roma, qui fuit Christianæ epochæ CCCCXIV. Altero ante urbem captam anno Hispanias sub Gunderico occuparant Wandali; quorum regnum, devicto a Belisario Justiniani duce Gilimere, finem sortitum est anno DXXXIII. Gothorum vero regnum ad annum DCCXIII. duravit, quo, devicto Roderico, Hispania potiti sunt Saraceni. Francorum in Gallia regnum anno 456. cœptum confirmat Baronius[s]. Atque ita Barbaris summam rerum obtinentibus effectum est, ut Galli et Hispani, quibus in usu fuerat, Stradone teste, Romanus sermo, alium quendam ex Romano et barbarico varie commixtum paulatim receperint. Linguas enim Italicam, Hispanicam, et Gallicam Latini sermonis propagines esse, et ex ejus corruptione paulatim natas, in confesso est. " Sermo[t]," inquit Marineus Siculus, " quo nunc utuntur Hispani, Latinus est, quem a Romanis acceperunt, ideoque Romancium vocant; qui propter adventum Barbarorum aliquantulum degeneravit a lingua Latina. Quod si neque Gothi, neque Mauri, Barbariæ gentes in Hispaniam venissent; tam Latinus esset nunc Hispanorum sermo, quam fuit Romanorum tempore M.

[o] Registr. lib. 13. epist. 38.
[p] Indictione 6. anno scilicet 603.
[q] Sigonius, de regno Ital. lib. 3. Baron. tom. 9. annal.
[r] Orosius, lib. 7. cap. 43.
[s] Tom. 6. annal. ann. 456. sect. 6. vid. Hotomanni Franco-Galliam, pag. 26.
[t] De rebus Hispaniæ, lib. 5.

Tullii." His addam Ottonis Frisingensis verba: "Videtur[u] mihi Francos, qui in Galliis morantur, a Romanis linguam eorum, qua usque hodie utuntur, accommodasse. Nam alii, qui circa Rhenum ac in Germania remanserunt, Teutonica lingua utuntur." Paria habet Godfridus Viterbiensis. Rem[x] vero totam confirmant Erasmus[y], Henricus Glareanus[z], Conradus Gesnerus in Mithridate, Angelus Rocchа[a], Robertus Bellarminus[b].

Hinc est, quod in synodo Turonensi tertia anno DCCCXIII. Caroli Magni jussu habita provisum est[c]; Ut Homiliæ aperte transferrentur "in rusticam Romanam linguam aut Theotiscam (seu Germanicam, quia Germania sub ditione fuit Caroli) quo facilius cuncti possent intelligere quæ dicerentur." Unde intelligitur ita depravatam fuisse Romanam linguam, quæ apud vulgus tunc temporis obtinebat, ut prisca et purior illa vix jam posset intelligi. Ideoque in Moguntiaco concilio eodem anno decretum est, ut "filios suos donent ad scholam[d] sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem Catholicam recte discant, et orationem Dominicam; ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat." Illud nimirum Carolo in votis erat maxime; ut Latina lingua ubique retineretur, quam nec penitus a vulgi intellectu remotam fuisse, ex testimoniis conciliorum et patrum horum temporum, quæ suo loco a nobis producentur, videtur constare, licet aliam potius usurpari voluerit, quam[e] ut populus quid a Deo peteret ignoraret. Quanquam vero regis studio undecunque adductis magistris, "tam legendi quam cantandi studium, necnon mundanarum et divinarum intelligentia literarum, citius quam credi poterat, coaluit;" ut habet ille author[f], qui vitam filii ejus

[u] Otto Frising. lib. 4. cap. 32. [x] Par. 17. cap. 1.
[y] Declarat. 41. ad censuras Parisiensium.
[z] Annotat. in lib. 1. Comment. Cæsaris.
[a] In biblioth. Vatican. [b] Lib. 2. De verbo Dei, cap. 15.
[c] Cap. 17.
[d] Verba sunt cap. 45. quæ etiam libro 5. Capitularium a Benedicto Levita collect. cap. 95. habentur.
[e] Vid. Capitular. ab Ansegiso collect. lib. 1. cap. 70.
[f] Inter annalium Franc. authores a Pithæo editos.

Ludovici Pii descripsit, illud tamen negari non potest, Carolum Romani Antichristi conatum plurimum promovisse, illudque effecisse, ut Ordo Romanus in lingua Latina, quantumvis non intellecta, a posteris retineretur. Offensus enim dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos et Gallos, et "judicans justius esse de puro fonte, quam de turbato rivo bibere[g]," duos clericos Romam misit, ut authenticum cantum a Romanis discerent, et Gallos docerent: et[h] primo per hos Metensis ecclesia, et per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata est. Ita anno DCCCV. Saxonas ab eo devictos Romanam religionem accepisse coactos prodit in chronico Johannes Tilius. Et anno DCCCVI. in concilio in Theodonis villa habito, ab eo constitutum notat Benedictus Levita[i]; 1. Ut lectiones distincte in ecclesia legantur. 2. De cantu, ut secundum ordinem et morem Romanæ Ecclesiæ fiat cantatus. "Carolus Magnus," inquit Franciscus Hotomannus, "Galliæ[k] regnum papæ Zachariæ ope consilioque adeptus, in tanti beneficii gratiam edixit, ut Romano more ritus Ecclesiæ servarentur, et cantiones haberentur: quæ lex ipsius cum in capitulari, tum in legibus Francicis his exstat verbis: Ut cantum pleniter discant et ordinabiliter per nocturnale vel graduale officium peragant; secundum[m] quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus rex decretavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, et ob unanimitatem apostolicæ sedis, et sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam. Quæ res dici non potest quantum et Gallicis ecclesiis caliginem offuderit, et pontificibus Romanis authoritatem in negotiis religionis tribuerit."

[g] Verbi sunt Sigeberti Gemblacensis, Chronograph. ad ann. 774.
[h] Vid. Sangallensem, lib. 1. de gestis Caroli Magni.
[i] Capitular. lib. 6. cap. 225. [k] Franco-Gallia, cap. 2.
[l] Lib. 1. cap. 80. de Cantu Romano a monachis peragendo.
[m] Vid. Gretser. defens. Bellarmini, col. 2011.

CAP. V.

Testimonia authorum, qui novem postremis a Christi ascensione seculis claruerunt.

Erroris origine explicata, superest, ut historiam hanc ad nostra usque tempora perducamus: quo planum fiat nunquam veritati testes defuisse; merasque nugas esse, quæ de omnium ætatum consensu in dogmatis papisticis stabiliendis jactitare solent pontificii. Primo autem loco collocabimus testimonium desumptum ex Homiliis illis in evangelia totius anni, quæ perperam Eusebio Emeseno ascribuntur; quia de tempore, quo autor ille vixit, nihil adhuc constat. Canisius asserit[a] post Gregorium Magnum scripsisse; Surio[b] homo doctissimus, sed non admodum vetustus fuisse videtur. Mortonus[c] locum sequentem citat ex Gregorio Nazianzeno:

"Hanc[d] consuetudinem Christiani perpetuam habere debent; ut quotidie ad ecclesiam veniant, quotidie legant ipsi, vel (si hoc non valent) alios legentes audiant."

A. D. DCXXXIV. AIDANUS EPISCOPUS NOSTRAS, EX HIBERNIA AD ANGLOS INSTITUENDOS MISSUS.

De eo ita scribit Beda: "In[e] tantum vita illius a nostri temporis segnitie distabat, ut omnes qui cum eo incedebant, sive adtonsi sive laici, meditari deberent, id est, aut legendis Scripturis aut Psalmis discendis operam dare."

[a] Chronolog. præfix. Catechismo.

[b] Præfat. in homil. patrum ad Maximilianum imp.

[c] Apologiæ cathol. part. 2. pag. 72.

[d] Homil. in evang. Dominic. 4. post Epiphaniam. In catalogo testium veritatis citatur Gregorii Nysseni nomine.

[e] Lib. 3. hist. cap. 5.

Isti erant religiosorum apud nos olim mores; quippe qui "tantum ea quæ in propheticis, evangelicis et apostolicis literis discere poterant, pietatis et castitatis opera observare" sategerunt: quemadmodum in præcedente capite notavit idem Beda.

A. D. DCL. THALASSIUS MONACHUS.

"Scrutatur[f] verba Dei, qui eum colit. Scrutare[g] eloquia Dei, et doce scientiam Dei eos, qui pie ac desideranter veritatem inquirunt. Verbis[h] divinis continue vaca: nam diligens in eis studium affectiones absumit. Lectio[i] et vigiliæ precesque cum psalmodiis mentem sistunt, ne circa affectiones vagetur. Scrutare[k] Scripturas; et invenies mandata: quod si feceris quæ dicunt, ab affectionibus liberaberis."

A. D. DCL. MAXIMUS ABBAS.

Ex[l] Chrysostomo hanc sententiam profert: "Ὥσπερ γῆν μὴ βρεχομένην οὐκ ἐστὶ, κἂν μύρια λάβῃ σπέρματα, στάχυας ἐξενεγκεῖν· οὕτω ψυχὴν οὐκ ἔστιν μὴ ταῖς θείαις γραφαῖς φωτισθεῖσαν πρότερον, κἂν μύρια τὶς ἐκχέῃ ῥήματα, καρπόν τινα ἐπιδείξασθαι. Quemadmodum terra imbre non irrigata, licet infinitam seminis copiam accipiat, segetem proferre non potest; sic neque fructum aliquem

[f] Ἐρευνᾷ λόγους Θεοῦ ὁ σεβόμενος αὐτόν. Thalassius, Hecatontad. 1, sect. 57.

[g] Thalassius, Hecatontad. 2. sect. 28. Ita quidem interpres Latinus in orthodoxagraphis Basil. pag. 901. locum reddidit, quasi legisset, ἐρευνᾷ λόγους Θεοῦ. Paulo aliter editio GL. in Auctuario bibliothecæ patr. Parisiensi 1624. tom. 2. pag. 1185. "Ἔρευνα λόγων Θεοῦ διδάσκει γνῶσιν Θεοῦ, τὸν ἐν ἀληθείᾳ ζητοῦντα, ἐν εὐλαβείᾳ καὶ πόθῳ. Inquisitio eloquiorum Dei docet scientiam Dei eos qui pie ac desideranter veritatem scrutantur."

[h] Ῥήμασι θείοις ἀδιαλείπτως σχόλαζε· ἡ γὰρ περὶ αὐτὰ φιλοπονία καταναλίσκει τὰ πάθη. Thalassius, Hecatontad. 4. sect. 18.

[i] Ἵστησι τὸν νοῦν τῆς περὶ τὰ πάθη πλάνης ἀνάγνωσις καὶ ἀγρυπνία καὶ προσευχὴ καὶ ψαλμῳδία. Thalassius Hecatontad. 4. sect. 19.

[k] Ἐρεύνησον τὰς γραφὰς, καὶ εὑρίσκεις τὰς ἐντολὰς, καὶ τὰ λεγόμενα ποιήσον, καὶ τῶν παθῶν ἀπαλλάττῃ. Thalassius, Hecatontad. 4. sect. 54.

[l] Maximus, in locis commun. serm. 17.

producere anima, divinis Scripturis non illuminata prius, etiamsi innumeros sermones quis effundat."

A. D. DCLXX. CEDNOMUS, POETA ANGLICUS.

"Hic[m] divina gratia specialiter insignis, carmina religioni et pietati apta facere solebat; ita ut quicquid ex divinis literis per interpretes disceret, hoc ipse post pusillum verbis poeticis maxima suavitate et compunctione compositis, in sua, id est, Anglorum lingua, proferret. Canebat autem de creatione mundi, et origine humani generis, et tota Genesis historia, de egressu Israel ex Ægypto, et ingressu in terram repromissionis, ac de aliis plurimis sacræ Scripturæ historiis."

A. D. DCLX. WILGIS NORDHUMBRANUS.

"Infantulum[n] suum Willibrordum statim ablactatum tradidit Riponensis ecclesiæ fratribus, religiosis studiis et sacris literis erudiendum, ut fragilior ætas validioribus invalesceret disciplinis: ubi nihil videret nisi honesta, nihil audiret nisi sancta."

A. D. DCLXXXV. ALFRIDUS, REX NORDAMHUMBRORUM.

Successit Ecgfrido in regnum Alfrit, "vir[o] in Scripturis doctissimus."

A. D. DCLXXXVI. JULIANUS TOLETANUS EPISCOPUS.

"Audite[p] jam o impietatis operarii, o filii scelerati, non me, sed ipsum Christum Dominum, quem expugnare nitimini; audite eum respondentem patribus vestris. Ait

[m] Beda, lib. 4. hist. cap. 24. [n] Alcuinus, in vita Willibrordi.

[o] Beda lib. 4. hist. cap. 26. et eum secuti Florentius Wigorn. anno 685. item Henricus Huntingdon. lib. 4. Vide etiam Bedam in Carm. de Cuthberto, tom. 5. antiqu. lect. Henr. Canisii, part. 2. pag. 710.

[p] Julianus, lib. 1. adv. Judæos.

enim tentantibus se Judæis in evangelio, et dixit: *Erratis*[q], *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Etenim[r] virtus et sapientia Dei secundum Paulum Christus est: ergo ignorantia Scripturarum ignorantia Christi est. Quid jam mirum, si error corda vestra possideat, quos ignorantia Scripturarum objurgat? Scrutamini ergo Scripturarum latentes campos; et tunc intelligetis cæcos oculos vestros."

A. D. DCLXXX. S. KILIANUS HIBERNUS.

"A[s] puerili ætate magnum habet studium sacras discere literas, et in eis tam perfecte proficiens, ut exinde pontificale didicit, regere culmen."

A. D. DCCVI. ALDHELMUS, BALDUINUS, ET GUTHLACUS CROILANDENSIS.

Aldhelmum psalterium in linguam Anglo-Saxonicam transtulisse scribit Johannes Baleus. Psalterii[t] S. Guthlaci Ingulphus in historia sua meminit; et ad nostra tempora inter reliquias Croilandensis monasterii conservatum est. Quod quidem vulgari Saxonica lingua exaratum fuisse, ex testimonio Joannis Lamberti[u], qui illud vidit, apparet. Et etiamnum in publica Academiæ Cantabrigiensis bibliotheca Psalmi Latine et Saxonice versi cernuntur. Et in bibliotheca D. Roberti Cottoni extat Psalterium Romanum vetustissimum cum versione interlineari Saxonica: character idem cum charta Æthilbaldi Anglorum Regis anno DCCXXXVI. data.

A. D. DCCX. BONIFACIUS.

De eo Gregorius II. "Comperimus[x] te ab infantia

[q] Matth. cap. 22. [r] 1 Cor. cap. 1.
[s] Author vitæ Kiliani, tom. 4. antiqu. lect. Henr. Canisii, pag. 642.
[t] De scriptor. Britann. cent. 1. cap. 83.
[u] In respons. ad 26. artic. episc.
[x] Lib. 1. vitæ Bonifacii ab Othlono descriptæ, cap. 12. in Serario et Surio.

sacras literas didicisse :" et Wilibaldus in vita Bonifacii, capite tertio "Ab infantia sua usque ad decrepitam ætatis senectutem, præteritorum non mediocriter patrum sapientiam imitatus est ; dum prophetarum jugiter et apostolorum verba stylo sanctitatis conscripta, et gloriosam martyrum passionem literarum apicibus insertam, sed et evangelicam Domini Dei nostri traditionem quotidie commendabat memoriæ, &c. In tantum enim Scripturarum exarsit desiderio ; ut omni se intentione earum imitatione et auditione sæpius conjungeret. Et quæ ob doctrinam populorum conscripta sunt, ipse quippe populis mira eloquii disertitudine et solertissima parabolarum assertione efficaciter prædicando retexuit[y]."

Idem: "Saluto[z] te diligenter, Osigegyth, ex intimo cordis cubiculo subnexis precibus obsecrans, ut assidua Scripturarum meditatione mentem tuam occupare non desistas ; quatenus psalmigraphi sententiam compleas dicentis : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et idem psalmista hoc idem testatur dicens, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ?* et reliqua."

"Tanta[a] in eo affabilitatis erga fratres et cœlestis doctrinæ succrevit magnitudo ; ut rumore sanctæ exhortationis ejus crebescente fama, multis per monasteria tam virorum quam etiam virginum Christi apertissime claruit ; quorum quidem quamplurimi virili sexus robore confortati, et lectionis instantia incitati, ad eum confluxere, et saluberrimum scientiæ fontem potantes, numerosa Scripturarum volumina legendo recensuere. Quibus ergo sexus infirmioris imbecillitatis[b] inerat, et assidua pergendi abnegabatur facultas ; tantæ sibi sapientiæ virum, divini inflante spiritu amoris, præsentari fecerunt ; paginarum-

[y] Vide locum tom. 4. Henr. Canisii, par. 2. pag. 350, 351. collat. cum Othlono de vita Bonifacii, lib. 1. cap. 2. In Serario de rebus Mogunt. pag. 330. Sed duo egregia testimonia Bonifacii vide in epistola ejus 57. de virginibus sacris, et in vita ejus per Wilibaldum, cap. 2. pag. 349, 350. Edit. Canisii ; dignissima prorsus quæ subjiciantur.

[z] Epist. 57. ad virginem sacram quæ quidem ab Aldhelmo abbate scripta est, ex mente autem Bonifacii jam antistitis, quod ex initio constat.

[a] In vita Bonifacii per Wilibaldum, cap. 2.

[b] Rectius *imbecillitas* in editione Serarii, pag. 258.

que seriem transcurrentes, cœlesti instantes scrutinio inhæsere ; et sacramentorum arcana mysteriorumque abdita jugiter meditantur."

A. D. DCCX. EADFRIDUS, LINDISFARNENSIS EPISCOPUS.

" A sermone Latino in Anglo-Saxonicam linguam vertit plures bibliorum libros ;" ut habet Guilhelmus Butler in suo libello contra translationem vulgarem. Hujus Eadfridi Saxonica evangelistarum editio (secundum Eusebii canonem, non capitulis distincta) jam in manibus Roberti Bowyer Angli habetur; unde orationem Dominicam transcripsit M. N[b].

A. D. DCCXXX. BEDA ANGLO-SAXO.

In Historiæ ecclesiasticæ procemio commendat Ceodvulphum regem, ut Scripturæ studiosum.

" Quæcunque[c] enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt," &c. Et mox : " Si ad nostram correptionem, doctrinam, vel consolationem omnia scripta sunt, &c. insistendum nobis summopere est, et pro suo cuique modulo Christi juvante gratia nitendum ; ne ea quæ propter nos scripta sunt, nostro nos torpore vel incuria quasi aliena prætereant," &c.

" Christus[d] Scripturas sanctas universum misit in mundum; quibus fidem sui nominis, ac spem salutis cunctis, qui ad regnum suum pertinent, hoc est, electis omnibus prædicaret."

" Quo[e] exemplo reor in Ecclesia morem inolevisse[f], ut per singulas diurnæ (al. divinæ) psalmodiæ horas lectio una de veteri sive novo Testamento cunctis audientibus ex corde dicatur : et sic apostolicis sive propheticis confirmati verbis ad instantiam orationis genua flectant[g]."

[b] In his Remains of a greater work, pag. 15.
[c] Rom. cap. 15. Beda, prolog. super Samuel. lib. I.
[d] Beda in Ezram, lib. 1. cap. 1. [e] Id. ibid. lib. 3. cap. 28.
[f] *Pulcherrimum*, addit Amalarius locum citans.
[g] Hoc ab Amalario Trevirensi producitur. lib. 1. De divinis officiis, cap. 3.

"Si[h] quis non vescitur verbo Dei, iste non vivit."

"Nemo[i] ædificatur audiendo id quod non intelligit."

"Notandum[k] quod hæc orandi pertinacia ita solum meretur esse fructifera; si quod ore precamur, hoc etiam mente meditemur; neque alio clamor labiorum quam cogitationum scindatur intuitus. Sunt enim qui intrantes ecclesiam, multis orationem vel psalmodiam sermonibus perlegant[l], sed alibi corde intendentes, nec ipsi quid dicunt, recolunt: ore quidem orantes, sed mente foris vagantes omni se orationis fructu privant; putantes a Deo precem exaudiri, quam nec ipsi, qui fundunt, audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fieri nemo est qui animadvertere nequeat." Hæc Beda in dicta homilia, quæ etiam ex eis una est, quas Alcuinus vel Paulus Diaconus Caroli Magni jussu in evangelia totius anni collegit.

"Quia[m] supervacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus; has, in quantum possumus, immissione bonarum cogitationum, et maxime frequenti Scripturarum meditatione fugemus, juxta exemplum psalmistæ, qui dicit: *Quomodo*[n] *dilexi legem tuam, Domine: tota die meditatio mea est.*"

"*Sicut*[o] *modo geniti infantes rationabile et sine dolo lac concupiscite; ut eo crescatis in salutem.* Sicut infantes lac maternum naturaliter desiderant, ut ad salutem crescere, atque ad panem comedendum pervenire valeant; ita et vos simplicia fidei rudimenta primo de Ecclesiæ matris uberibus quærite, hoc est, de utriusque Testamenti doctoribus, qui divina eloquia vel scripsere, vel etiam vivi vobis voce prædicant; ut bene discendo perveniatis ad refectionem panis vivi, qui descendit de cœlo," &c. Item:

[h] Beda in Luc. lib. 1. cap. 4. [i] Ibid. in 1 Cor. cap. 15.

[k] Beda in Homiliis quadragesimalibus, Dominica 2. in quadrages.

[l] Rectius *prolongant* in Homiliis in evangelia totius anni a Surio editis, pag. 243.

[m] Beda in Homiliis æstivalibus de tempore, Dominica, Vocem jucunditatis.

[n] Psal. 119. [o] Beda in 1 Petr. cap. 2.

" Præcepto concupiscendi lac verbi tangit eos, qui ad audiendas lectiones sacras inviti et fastidiosi adveniunt, ignari illius sitis et esuriei, de qua Dominus ait: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam:* ideoque tardius ad perfectum salutis crementum pervenientes, quo possint solido verbi cibo refici, id est, arcana cognoscere divina, vel majora facere bona."

Gulielmus Malmesburiensis[p], de Bedæ obitu agens, " Evangelium," inquit, " Johannis, quod difficultate sua mentes legentium exercet, his diebus lingua interpretatus Anglica condescendit minus imbutis Latina." Similiter etiam evangelium Johannis in Anglicum transtulisse Bedam refert Johannes Trevisa. In[q] vita etiam ejus Cuthberto Dunelmensi descripta habetur (ut est in Dunelmensis ecclesiæ historia) evangelium Johannis paulo ante obitum in linguam Anglicanam eum transtulisse. Hoc[r] nimirum illud est, quod in epistola de obitu venerabilis Bedæ, ad calcem operum ejus, legimus: " A capite evangelii S. Johannis usque ad eum locum, in quo dicitur: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiæ Dei convertit." Sed et ex prologo ante vetera Biblia commemorat Johannes Foxus, Bedam[s] integra Biblia in linguam Saxonicam transtulisse. Baleus ait[t], evangelium Johannis, psalterium, et alios Bibliorum libros in patriam linguam eum transtulisse. Illum denique universam fere Bibliam in linguam Britannicam convertisse, ex præfatione docti imprimis viri in vetus Testamentum Anglice ante annos 300. conscriptum refert Johannes Caius[u].

A. D. DCCXL. JOHANNES DAMASCENUS.

" Omnis[x] Scriptura divinitus inspirata utilis est omnino.

[p] De gestis Reg. Angl. lib. 1. vid. cap. 47.
[q] In dialogo præfixo Ranulphi Cestr. Polychronico.
[r] Vid. Holingshed. pag. 130. et Fox. in evangelia Saxonica.
[s] Præfat. in evang. Anglo-Saxon. ad Eliz. reginam.
[t] Cent. 2. cap. 1.
[u] Lib. 1. De antiqu. Cantab. pag. 150.
[x] Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος πάντως καὶ ὠφέλιμος, ὥστε κάλλιστον καὶ

Quare optimum et animæ conducentissimum est divinas scrutari Scripturas. Nam quemadmodum arbor plantata secus decursus aquarum, sic anima divina irrigata Scriptura impinguatur, et maturum fructum affert fidem orthodoxam, et semper virentibus foliis decoratur, id est, Deo placentibus actionibus. Ad actionem enim studiosam et contemplationem sinceram ex divinis Scripturis apti evadimus. Nam virtutis omnis exhortationem, et omnis vitii aversionem in illis comperimus. Si igitur fuerimus discendi cupidi; erimus et multa discentes. Nam diligentia et labore, et indultoris Dei gratia diriguntur omnia; qui enim petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperitur. Pulsemus igitur ad pulcherrimum hortum Scripturarum, suavissimum, dulcissimum, venustissimum," &c.

A. D. DCCL. JOHANNES HISPALENSIS EPISCOPUS.

Hic Saracenis Hispaniam obtinentibus in solatium captivorum in Hispania, Scripturam in Arabicam linguam convertit, uti notat Genebrardus[y]. De eodem Vasæus[z] in Chronico Hispaniæ ita scribit: " Claruit hoc tempore præter alios episcopos viros religiosos Hispali Johannes episcopus, sanctitate vitæ, sacrarum literarum peritia, miraculis celebratus; qui ad doctrinam posterorum sacram Scripturam in linguam Arabicam transtulit." Hic ab Arabibus Cadit Almatran vocabatur, et " sacras Scripturas Catholicis expositionibus declaravit; quas ad informationem posterorum Arabice conscriptas reliquit," ut habet Rodericus Toletanus[a]. Habeo ego manu descriptum Geneseos librum cum Arabicis commentariis; qui in numeris annorum patriarcharum capite quinto et undecimo

ψυχωφελέστατον ἐρευνᾶν τὰς θείας γραφάς. —— *πρός τε πρᾶξιν ἐνάρετον καὶ θεωρίαν ἀθόλωτον ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν ῥυθμιζόμεθα. πάσης γὰρ ἀρετῆς παράκλησιν καὶ κακίας ἀπάσης ἀποτροπὴν ἐν ταύταις εὑρίσκομεν. ἐὰν οὖν ὦμεν φιλομαθεῖς, ἐσόμεθα καὶ πολυμαθεῖς,* &c. *κρούσωμεν τοίνυν εἰς τὸν κάλλιστον παράδεισον τῶν γραφῶν,* &c. Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18.

[y] Chronograph. lib. 3. ann. 741. [z] Ad ann. 717.

[a] De rebus Hispan. lib. 4. cap. 3.

non sequuntur Hebraicam veritatem aut vulgatam Latinam, sed Septuaginta interpretum editionem; quam ad sua usque tempora omnes doctores ecclesiasticos tenuisse, et in hac præcipue annorum supputatione secutos esse confirmat Julianus Toletanus episcopus. Ego[b] certe existimo hunc esse illum Johannem Hispalensem, qui circa annum MCXLII. ex Arabico in Latinam linguam transtulit Alfraganum, itemque Alchabitium, ac alios nonnullos Arabicos astrologos. Quanquam Johannes Mariana Jesuita[c] sub Favita Hispaniæ rege circa annum DCCXXXVIII. claruisse velit: qui de eo ita scribit: "Johannes, Hispalensis præsul, divinos libros lingua Arabica donabat, utriusque gentis saluti consulens, quoniam Arabicæ linguæ multus usus erat Christianis æque ac Mauris: Latina passim ignorabatur. Ejus interpretationis exempla ad nostram ætatem conservata sunt, extantque non uno loco in Hispania."

A. D. DCCLXXX. ALCUINUS ANGLUS.

"Lætari[d] debemus in lectione sanctarum Scripturarum, ubi pascamur, et potemus de ligno vitæ, quod[e] plantatum est secus decursus aquarum."

"Sanctarum[f] Scripturarum lectio divinæ est cognitio beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest qualis sit vel quo contendat. Lectio assidua purificat animam[g]," &c.

"Lector[h] dicitur a legendo, eo quod ministerium legendi habeat in ecclesia. Illi traditus est codex apicum divinorum, ut distincte ad intelligendum divinas lectiones pronuntiando, populo placeat."

"Hunc[i] vero modum sanctæ orationis devotissimus

[b] Lib. 3. contra Judæos.
[c] De rebus Hispan. lib. 7. cap. 3.
[d] Alcuinus in Ecclesiast. cap. 3.
[e] Psalm. 1.
[f] Alcuinus De virtutibus et vitiis ad Guidonem, cap. 5. Isidorum imitatus lib. 3. De summo bono, cap. 8.
[g] Ut supra, et serm. 112. De tempore, tomo 10. operum Augustini.
[h] Alcuinus in lib. De divinis officiis.
[i] Alcuinus in Psalmos pœnitential. expos. Psalmi 101.

Christianus servandum intelligat; ut ipsam cogitatione prosequatur, et quum verba effundit, ipsum respiciat mente cui supplicat, omnes superfluas cogitationes excludat, quæ ab inimico ingeruntur; ut efficax oratio ex cordis charitate perveniat ad Deum, sicut apostolus ait: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.* Tunc enim a Deo accepta est oratio canentis; si pura mens idem gerit quod explicat ore." Consentit hic cum Bedæ sententia in homilia quadragesimali supra a nobis citata; quam etiam Alcuinus vel Paulus Diaconus Homilario suo inseruit.

" Adsuescant[k] pueri adstare laudibus superni regis: discant nunc Scripturas sanctas, ut ætate perfecta veniente, alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum, Bedam presbyterum; quale habuit in juventute discendi studium," &c.

A. D. DCCXCII. AUTHOR LIBRORUM CAROLINORUM DE IMAGINIBUS.

" In[l] divinæ Scripturæ libris et animæ perpetuus cibus, et præsentis vitæ doctrina, et sapientia, quæ decor est vitæ, et vitæ perpetuæ documenta continentur. Est enim thesaurus nullo bono carens, omnibus bonis abundans; ad quem quisquis devotus accedit, quicquid fideliter quærit, feliciter se adquisisse gaudet." Et post: " Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conservare te dicis, supplex eis adstare memento cum thymiamatibus: nos præcepta Domini solerti indagatione perquiramus in divinæ legis codicibus. Tu luminaribus perlustra picturas; nos frequentemus divinas Scripturas."

" Multis honoribus locus iste sublimandus est, ubi a

[k] Alcuinus epist. 23. ad Wiorenses fratres, pag. 54. tom. 1. lect. antiq. Hen. Canisii.

[l] Author librorum Carolinorum de Imaginibus, lib. 2. cap. 30.

[m] Author librorum Carolin. de Imagin. lib. 4. cap. 3.

fidelibus populis undique convenitur, &c. ubi crebro suavisonus psallentium reboat concentus, ubi divinæ lectionis arentia corda irrigantes personant fluctus."

A. D. DCCCVII. CAROLUS MAGNUS IMPERATOR.

Cæsari[n] Baronio plane miraculum videtur hoc sæculo rudi inventum esse regem "adeo excultum sacris literis, et in procinctu semper positum principem veluti ociosum de rebus divinis philosophantem." Eginhardus in vita ejus de eo notat Latinam linguam ita eum didicisse, ut æque illa ac patria lingua (Teutonica scilicet) orare sit solitus. Sane illum omnium primum Latinis literis Germanicam linguam conscripsisse refert Johannes Stumpfius[o] in chronicis Helvetiorum. Idem Eginhardus: "Legendi," inquit, "atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus; quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi submissim et in commune cantaret." Sigebertus etiam in chronographia[p] ita scribit: "Carolus imperator per manum Pauli Diaconi sui decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum patrum, lectiones unicuique festivitati convenientes, per circulum anni in ecclesia legendas, compilari fecit." Similiter de Paulo Diacono refert Trithemius, eum "jussu[q] Caroli ordinavisse historias et lectiones per totum annum singulis festivitatibus sanctorum congruentes; quanquam receptum est homilias illas ab Alcuino Caroli Magni præceptore collectas esse." Illud vero mirum Homiliarum hujusmodi collectionem in ecclesiis a viris sapientibus institutam; si populus illo tempore Latini sermonis prorsus fuerit ignarus. Quis enim alius horum sermonum usus, quam populi instructio, fingi potest? Hominem vero lingua peregrina populo concionantem quis putet sobrium? Sed de Caroli Magni constitutionibus plura annotata sunt, tum supra ubi de erroris

[n] Tom. 9. annal. ann. 778. sect. 19.
[o] Apud Suffridum Petrum. [p] Ad ann. 807.
[q] Trithem. De scriptor. eccles. in Paulo.

origine actum est, tum infra ubi de ecclesiasticis hac in re decretis erit agendum. Illud tantum hic admonendum sufficiat, Carolum non modo ipsum in Scripturis divinis fuisse studiosissimum, quæ laus illi etiam a Trithemio[r] tribuitur, sed etiam (si Franciscum Junium[s] audiamus) Scripturas linguis vernaculis reddi curavisse, ut populus intelligeret. Unde de eo Vitus Amerbachius[t]: "Curavit novum Testamentum in Francicam linguam converti; quæ, ut monumenta indicant, nostra est (Germanica scilicet)." Hæc ille. Paria habet Espensæus. "Carolus[u] Magnus," inquit, "novum Testamentum in linguam Francicam et Germanicam converti curavit." Quod ad sacrarum vero literarum studium attinet, Carolus "nullum unquam intermisit diem, quo non aliquid in historiis, vel in sacris literis vel aliis disciplinis legerit;" uti de eo habet H. Mutius[x]. Unde in epistola quadam[y] sic ad eum scribit Alcuinus: "Nihil horum tuam latere poterit sapientiam: ut puta in sanctis Scripturis vel sæcularibus historiis te apprime eruditum esse novimus. Ex his omnibus plena tibi scientia data est," &c.

Cæterum Francicam et Germanicam eandem olim fuisse linguam, hisce verbis confirmat Vitus Amerbachius in præfatione supra laudata: "Verum est Caroli Magni temporibus unum quoddam regnum fuisse bonam et Germaniæ et Galliæ partem, ac deinde inter successores factam ejus divisionem, procedentibusque temporibus magis ac magis et ipsos homines inter se alienatos ac separatos esse moribus et lingua. Sunt enim et multa et magna indicia, Caroli temporibus ut in ea parte Italiæ quæ Gallia Togata vocatur, sic etiam longe lateque in Galliis Germanicam linguam in usu fuisse: ac ut Longobardi paulatim peregrinam linguam, sive propter vicinita-

[r] Catalog. virorum illustr. Germaniæ.

[s] In animad. ad 1. controv. Bellarm. De verbo Dei, lib. 2. cap. 15. sect. 44.

[t] Præfat. dedicatoria ad Carolum V. imp. et Ferdinandum Cæsarem in Constitutiones Caroli Magni.

[u] Tract. quod principem literæ deceant, ad Confess. regium, fol. 98.

[x] German. chron. lib. 8.

[y] Epist. 4. tom. 1. antiqu. lect. ab H. Canisio edit. pag. 19.

tem, sive pudore quodam, aut affectatione adsciverunt, ita fecisse totam Galliam. Quod autem vera Francia, et tanquam caput, aut sive domicilium, sive arx Francorum, fuerit ea pars Germaniæ, quam nunc tenet episcopus Virtspurgensis, vel hoc testatur; quod sola nomen de vetere Francia perpetuum, constans et unum huc usque retinuerit. Quanquam non paulo fuit longior et latior, quam nunc est, olim. Præterea qui familiam Caroli Germanis adimunt, vehementer falluntur. Præter enim ea, quæ jam dicta sunt, quid (obsecro) volunt sibi nomina Pipini, Berthradæ, Caroli, Ludovici, Ruothrudis, Berthæ, Theoderatæ; quæ manifeste omnia sunt Germanica, etsi nonnihil a scriptoribus detorta? Huc facit, quod et nomina mensibus imposuit Carolus, quibus adhuc utimur ex magna parta, idque (ut est in historiis) lingua patria, quæ, cum nomina sint nostra (id est, Germanica) sine dubio nostra est: et curavit novum Testamentum in Francicam linguam converti; quæ, ut monumenta indicant, nostra est. Vehementer autem ineptiunt, qui vocant hoc in dubium, Germanicane sint vocabula, quæ ita inveniuntur, an Francorum; quasi diversa gens fuerit a Germanis: aut putant veterem Germanorum linguam prorsus aliam fuisse, quod jam non sit paulo, quam olim fuerit, alia. Quasi vero desierit esse Latina lingua propterea, quod longe aliter vetustissimi Latini sunt locuti, aliter Ciceronis tempore; aut Suevi non loquantur Germanice, quod ægre a Saxonibus intelliguntur, vel contra Saxones eandem ob causam." Hactenus Vitus Amerbachius.

A. D. DCCCXX. LUDOVICUS PIUS IMPERATOR CAROLI MAGNI FILIUS.

Imperator iste Pius non fuit ipse solum in omnibus Scripturis diligentissime versatus, quod in ejus gestis prodit Theganus, sed etiam in Germanicam linguam ligata oratione easdem curavit verti, ut rudiorum memoriæ consuleretur. Ita enim de eo præfatio[z] in librum antiquum

[z] In 9. libro Catalogi testium verit.

lingua Saxonica conscriptum commemorat: " Cum[a] divinorum librorum," inquit præfationis author, " solummodo literati atque eruditi prius notitiam haberent; (hinc non videtur Caroli Magni jussu Scriptura translata, ut narrat Junius, nisi Francica et Theotisca diversæ sint linguæ, quod verisimile est;) " ejus studio atque imperii tempore, sed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum est nuper, ut cunctus populus suæ ditioni subditus, Theudisca loquens lingua, ejusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis vates habebatur; quatenus non solum literatis, verum etiam illiteratis sacra divinorum præceptorum lectio panderetur. Qui jussis imperialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo desuper admonitus est prius, ad tam difficile tamque arduum se statim contulit opus; potius tamen confidens de adjutorio obtemperantiæ, quam de suæ ingenio parvitatis. Igitur a mundi creatione initium capiens, juxta historiæ veritatem quæque excellentiora summatim decerpens, et interdum quædam, ubi commodum duxit, mystico sensu depingens, ad finem totius veteris ac novi Testamenti interpretando more poetico satis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucide tamque eleganter juxta idioma illius linguæ composuit, ut audientibus atque intelligentibus non minimam sui decoris dulcedinem præstet. Juxta morem vero illius poematis omne opus per vitteas distinxit, quas non lectiones vel sententias possumus appellare. Ferunt eundem vatem, dum adhuc artis hujus esset penitus ignarus, in somnis esse admonitum, ut sacræ legis præcepta ad cantilenam propriæ linguæ congrua modulatione coaptaret. Quam admonitionem nemo veram esse ambigit, qui hujus carminis notitiam, studiumque ejus compositoris, atque desiderii anhelationem habuerit." In eandem sententiam habentur versus de poeta et interprete hujus codicis.

Mox divina polo resonans vox labitur alto;
O quid agis Vates! cur cantus tempora perdis?

[a] Eandem edidit Andr. Quercetanus, tom. 2. scriptor. Franc. pag. 326.

Incipe divinas recitare ex ordine leges,
Transferre in propriam clarissima dogmata linguam.
Nec mora post tanti fuerat miracula dicti,
Qui prius agricola, mox et fuit ille poeta.
Tunc cantus nimio Vates perfusus amore,
Metrica post docta dictavit carmina lingua.
Cœperat a prima nascentis origine mundi,
Quinque relabentis percurrens tempora secli,
Venit ad adventum Christi, qui sanguine mundum
Faucibus eripuit tetri miseratus Averni.

Ludovicus imperator anno DCCCXLII. moriturus filio Lothario coronam, ensem, evangelium auro gemmisque redimitum legavit: quemadmodum testatur author qui illius temporibus vixit, in annalibus a Justo Reubero editis[a].

A. D. DCCCXXX. ANGELOMUS LEXOVIENSIS MONACHUS.

" Sicut[b] corpus sine alimento corporali subsistere nequit; ita nec anima vivere potest sine verbo Dei."

A. D. DCCCXXXIV. HAYMO HALBERSTATENSIS EPISCOPUS.

" Sicut[c] animalia in pascuis reficiuntur; ita fideles animæ divinis Scripturis impinguantur."

" Sicut[d] aquæ, quæ sunt in utre, coarctantur ne exeant; sic justi positi in Ecclesia divinæ paginæ instructione coarctantur, ut nonnisi eo permittente, qui posuit, egredi valeant."

" Frequenti[e] meditatione Scripturarum supervacuæ fugantur cogitationes."

" Profero[f] symbolum Græce, quia sic reperi illud scriptum; et sum Latinus, non Græcus; barbarus tibi sum." Iterum: " Si tu Græci sermonis aliquid didicisti, et cœperis similiter loqui; qui primum tibi videbar barbarus,

[a] Pag. 65.
[b] Angelom. in 3. lib. Reg. cap. 19.
[c] Haymo in Psalm. 22.
[d] Idem in Psalm. 32.
[e] Haymo in Psalm. 150.
[f] Haymo in 1 Corinth. cap. 14. Remigio monacho Antissiodorensi, qui circa ann. 880. floruit, deberi videntur ista commentaria.

cerno te quasi barbarum mihi." Item: "Dicitur idiota propriam linguam tantummodo sciens in qua natus et nutritus est. Si igitur talis astiterit tibi, dum aut mysterium missæ solenniter celebras, aut sermonem facis, aut etiam benedictionem tribuis; quando respondebit verbum confirmatorium, quod dicitur Amen; cum ille tantum linguæ propriæ peritus, ignoret, quod tu barbare illi loquaris."

"*In gratia cantantes*, id[g] est, semper reddite Deo gratias; ita ut quod ore canitis, corde intelligatis, et mens concordet voci."

A. D. DCCCX. RABANUS MAURUS.

"Iste[h] doctrina et libris debet esse imbutus, sensuumque et verborum scientia perornatus; ut distincte et aperte sonans audientium corda possit instruere." Lib. 2. cap. 52. ea omnia habet, quæ supra produximus ex Isidoro de Officiis ecclesiasticis, lib. 1. cap. 10. et lib. 2. cap. 11. Lib. 3. cap. 3. eandem prorsus habet sententiam, quam supra ex Augustino protulimus De doctrina Christi, lib. 2. cap. 5. Cap. 6. sententiam habet Augustini lib. 2. De doctrina Christi, cap. 8. cap. 9. ait: "Si ipsius linguæ nostræ, id est, Latinæ, aliqua verba locutionesque ignoramus; legendi consuetudine audiendique innotescunt."

"Sapientia[i] divina, quæ in sacra Scriptura elucet, omnibus tam potentibus quam infirmis, tam sapientibus quam insipientibus, si eam recte intenderint, et ei rite obedierint, medicina salubris est. Ipsa est illuminatio animæ[k]," &c.

Scribit Rabanus, libros sacræ Scripturæ esse numero septuaginta duo: "Et[l] quomodo septuaginta duæ linguæ in hoc mundo erant diffusæ; congrue providit Spiritus

[g] Haymo in Coloss. cap. 3.

[h] Rabanus De institutione clericorum, lib. 1. cap. 11. de lectore agens.

[i] Rabanus in epistola ad abbatem quendam.

[k] Rabanus, lib. 5. De sermonum proprietate, cap. 1. et lib. 3. De institutione cleric. cap. 7. citatur a Magdeburgensibus, centur. 9. col. 201. quod conferatur cum Anastasii sententia de 72. linguis; anno 560.

[l] Rabanus, lib. 5. De sermonum proprietate.

Sanctus, ut tot libri essent, quot nationes; quibus populi et gentes ad percipiendam fidei gratiam ædificarentur." Notatu digniora sunt quæ libro tertio De institutione clericorum[m] capite septimo habentur: "In his omnibus libris (scilicet septuaginta duobus sanctæ Scripturæ) timentes Deum et pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei; cujus operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt: quæ tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior. In his enim quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem. Cum vero facta[n] quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum; in ea, quæ obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est," &c.

A. D. DCCCXXX. AMALARIUS LUGDUNENSIS DIACONUS.

"Episcopus[o] in oratione sua ad lectorem dicit; ut assiduitate lectionum sit aptus pronunciare verba vitæ, et mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia."

"Hac[p] salutatione episcopi et responsione populi intelligimus unum debere esse affectum episcopi et populi, sicut hospitium unius domus, &c. De benedictione dicit apostolus, *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ*, &c. Hanc benedictionem vocat Ambrosius orationem, dicens: Imperitus enim audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, et non respondet Amen, id est, Verum, ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent Amen."

[m] Inter Hittorpii scriptor. De divinis offic. tom. 1. pag. 631.
[n] Legendum opinor "facta est quædam familiaritas."
[o] Amalarius De ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 8.
[p] Amalarius De ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 9.

A. D. DCCCXL. WALAFRIDUS STRABO.

"Et[q] ut historiæ testantur, postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt; quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maxime Tomitanos, eadem locutione divina hactenus celebrari officia."

"Hodie[r] orantibus sacerdotibus respondetur Amen; ut concordet in precibus pia sacerdotum intentio, et populi sana devotio; secundum illud, *Amen, Amen, dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram; ex omni re quamcunque petierint, fiet illis.*"

"*Qui*[s] *enim loquitur lingua;* incognita[t] et peregrina. Hoc autem fiebat, quando lingua loquens se non intelligebat, &c. Dum vero non intelliguntur (verba prolata) dicuntur in spiritu, non in mente. *Non hominibus loquitur;* non intelligentiæ hominum. *Sed Deo;* cujus laudes dicit. *Nemo enim audit;* intelligit——*Eritis enim in aera loquentes;* non ad corda hominum, quasi diceret, inutiliter agetis. *Si ergo nescio virtutem vocis;* interpretationem significationis, quam profero. *Ero ei,* quem instruere debeo, *cui loquor, barbarus;* non intellectus. *Et qui loquitur;* instruitur vel audit. *Mihi barbarus;* non intellectus. Quia nec ipse me, nec ego ipsum intelligo. *Orabo,* loquar. *Spiritu,* voluntate, vel lingua per spiritum data. *Orabo et mente;* intelligentia mentis. *Cæterum si benedixeris spiritu;* lingua per spiritum data; id est, sine interpretatione, quatenus aliis clarescat quod loqueris. *Qui supplet locum idiotæ;* illiterati et rudis; qui nullam præter propriam intelligit linguam."

[q] Walafridus De rebus ecclesiast. cap. 7. de Gothis loquens.

[r] Walafridus, Glossa ordinaria in 1. Paralipom. cap. 16.

[s] Walafridus, Glossa ordinaria in 1 Cor. cap. 14.

[t] Eadem verbatim habet Glossa MS. vetusta bibliothecæ Lambethanæ, quæ Anselmo (Laudunensi puto) tribuitur.

A. D. DCCCL. ANASTASIUS NICÆNUS EPISCOPUS[w].

"Quomodo[x] est intelligendum illud; *omnis*[y] *scriba doctus in regnum cœlorum similis est patrifamilias, qui expromit ex thesauro suo nova et vetera.* Respondetur[z]: Scribam dicit, eum qui per laboriosam divinarum Scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum veteris et novi Testamenti, et ex eo expromit tempore disputationis. Quamobrem quicunque sunt imperiti divinarum Scripturarum, non possunt esse patresfamilias, ut qui neque a se habeant, neque ab aliis accipiant, sed seipsos decipiant, pereuntes fame ignorationis. Nam quomodo fieri non potest ut terra non irrigata, etiamsi millies in eam dejiciantur semina, spicas ferat: ita etiam fieri non potest, ut animus divinis Scripturis non irrigatus, etiamsi quisquam mille verba effundat, ullum fructum ostendat. Magnum est ergo malum ignorare Scripturas, et sicut bruta animantia circumferri. Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione Scripturarum. Hinc germinavit magna pestis hæresum, hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio dæmonis. Quomodo enim qui hac luce sunt privati, recta non possunt ingredi; ita etiam qui divinis sunt privati Scripturis et ad earum radios non aspiciunt, sæpe offendunt, et coguntur assidue peccare; ut qui tenebras difficulter probent et examinent," &c.

[x] Anastasius, quæst. 65. [y] Matth. cap. 13.

[z] *Γραμματέα λέγει τὸν διὰ τῆς ἐπιπόνου ἀναγνώσεως τῶν θείων γραφῶν ἑαυτῷ θησαυρὸν γνώσεως ἀποθέμενον τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης, καὶ ἐκβάλλων ἐξ αὐτοῦ ἐν καιρῷ διαλέξεως· ὥστε ὅσοι ἄπειροί εἰσι τῶν θείων γραφῶν, οὐκ ἂν εἶεν οἰκοδεσπόται, μήτε αὐτοὶ ἔχοντες, μήτε παρ' ἑτέρων λαμβάνοντες. ——— οὕτω καὶ ψυχὴν οὐκ ἔστι μὴ ταῖς γραφαῖς ποτισθεῖσαν, κἂν μύρια τις ἐκχέῃ ῥήματα, καρπόν τινα ἐπιδείξασθαι· μέγα τοίνυν κακὸν ἀγνοεῖν γραφάς, καὶ ὕλην ἀλόγων περιφέρεσθαι· καὶ γὰρ ἐντεῦθεν μύρια ἐφύη κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας· ἐντεῦθεν πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη, ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι, οἱ ἀκερδεῖς πόνοι, τῆς ψυχῆς ἡ τύφλωσις, τοῦ διαβόλου ἡ πλάνη,* &c.

A. D. DCCCLVI. CAROLUS CALVUS REX.

De eo Hincmarus Remensis initio epistolæ ad eum scriptæ: "Gratias[a] Deo agimus, qui cor vestrum ad amorem suum accendit, et ad cognitionem veritatis et orthodoxæ fidei scientiam et diligentiam ignivit: prudentiam quoque et intelligentiam vobis in literis divinitus inspiratis donavit, et in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro reipublicæ negotiis licet, studium vestræ devotionis quotidiano augmento ad utilitatem sanctæ suæ ecclesiæ provehit."

A. D. DCCCLX. METHODIUS ET CYRILLUS.

Isti inter sanctos recensentur in martyrologio Romano, nono die Martii. Vetustus author, qui[b] circa annum DCCCLXXVIII. de conversione Boiariorum et Carenthanorum scripsit, narrat Adaluinum, suo tempore Juvaniensem archiepiscopum, orientalis Pannoniæ Richbaldum constituisse archipresbyterum: "Qui multum tempus ibi demoratus est," inquit, "exercens suum potestative officium, sicut illi injunxit archiepiscopus suus, usque dum quidam Græcus, Methodius nomine, noviter inventis Slavinis literis linguam Latinam doctrinamque Romanam atque literas auctorabiles Latinas philosophice superducens, vilescere fecit cuncto populo ex parte missas et evangelia, ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine celebraverunt. Quod ille ferre non valens sedem repetivit Juvamensem." Idem habet Bernardus Monachus[c] in Krembsmonster, qui circa annum 1180. de origine Bavarorum scripsit: "Post hunc, (Osbaldum,)" inquit, "interjecto tempore aliquo supervenit quidam Slavus ab Histriæ et Dalmatiæ partibus, nomine Methodius; qui

[a] Apud Flodoardum, lib. 3. hist. Remens. cap. 15.
[b] Inter scriptores rerum Bohemic. a Frehero edit. pag. 20.
[c] In catal. testium verit. lib. 9.

adinvenit Slavinicas literas, et Slavice celebravit divinum officium, et vilescere fecit Latinum. Tandem fugatus a Charentanis partibus intravit Moraviam, ibique quiescit." Similiter Johannes Aventinus libro quarto Annalium Boiorum: "Eadem[d] tempestate," inquit, "Methodius philosophus Venedas invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum Sclavorum sermonem, persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut explosa lingua Latina, exibilato ritu Romano, suum consecraret eloquium. Posthæc in regnum Boiariæ perrexit, in Liburnia, Norico, Pannoniisque Venedis habitantibus idem persuasurus. Richovalda sacrificulus pontifex, Adeluinus Archimystes Salisburgensis, item Juvanenses sacerdotes, qui hactenus in superioribus regionibus ex decreto Caroli Magni per quinque et octoginta annos rebus divinis præfuerant, sacrificia privata, publica procurarant, religionem interpretati fuerant; reges adeunt, concionibus, epistolis, populum concitant adversus Methodium; qui regno Boiariæ factione Juvanensium Mystarum pulsus, in Moraviam aufugit." Hactenus Aventinus. Martinus Cromerus[e] a Methodio et Cyrillo episcopis illud effectum esse scribit, "assentiente pontifice maximo, ut Slavis sua lingua in sacris uti liceret." Qua de re narrationem hujusmodi habet Æneas Sylvius[f]: "Ferunt Cyrillum, quum Romæ ageret, Romano pontifici supplicasse; ut Sclavorum lingua, ejus gentis hominibus, quam baptizaverat, rem divinam faciens uti posset. De qua re dum in sacro senatu disceptaretur; essentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam[g]: *Omnis spiritus laudet Dominum, et omnis lingua confiteatur ei;* indeque datum Cyrillo indultum." Vox vere cœlestis. Unde igitur profecta illa vox Tridentini Conciliabuli, tantum tribus linguis ecclesiam contentam esse debere? Eandem historiam explicatius proponit Johannes Dubra-

[d] Pag. 434. edit. Ingolstad. [e] De rebus Polon. lib. 3.

[f] Histor. Bohem. cap. 13.

[g] Psal. 67. ver. 4. Psalm. 117. ver. 1. Psalm. 150. ver. 6. Esai. cap. 45. ver. 23. Rom. cap. 14. ver. 11.

vius Olomuzensis episcopus: " Nascitur[h] Borivorio, (Boemiæ duci) ex Lugmilla filiolus nomine Boleslaus, Methodioque præsuli tingendus ungendusque offertur. Ibi Boiemi Methodium adoriuntur, ab ipso exigentes, ne sermone Latino, quem non intelligerent, sed Boiemo sibi usitato sacra et sacramenta perageret. Hanc rem ille Romam ad Cyrillum collegam, atque is ad Nicolaum Romanum pontificem retulit. Ambo collegæ ob eam relationem non pontifici modo sed frequenti etiam patrum concilio deridendos se propinaverunt: cum ecce tibi de improviso vox hæc sua sponte in tali frequentia sonuit: *Omnis spiritus laudet Dominum, et omnis lingua confiteatur eum:* Qua voce perculsus Romanus pontifex secundum petitionem Boemorum respondendum Cyrillo duxit. Cæterum non intra multos annos mos ille vernacula lingua inter sacra cantandi viguit, abolente illum rursus pontifice Romano, cum daret Boiemis antistitem, (nam diu saltem Boiemi a privatis sacerdotibus sacrorum religionisque disciplinam percipiebant) eidemque præscriberet, ne a ritu cæremoniisque et cantu Romano ullam in partem devium ageret." Hactenus Dubravius. Paulo aliter rem gestam narrat Matthias de Micovia[i] in hunc fere modum: " Cirullus et Methodius missi a Michaele Græcorum imperatore, ad postulationem principum Slavorum, in Moraviam, cum fundamenta jecissent ibi Christianæ fidei, evocati tandem Romam, et inquisiti quare in lingua Slavica divina celebrarent[c], et non in Latinâ, responderunt, eo quod scriptum esset: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Post altercationes ergo Romanus pontifex permisit, ut lingua Slavica celebrando laudaretur Deus, perinde atque Latina et Græca. Qui mos ad tempora mea circa Cracoviam in ecclesia sanctæ Crucis in Clepardia observatus, sed jam extinctus est;" inquit ibi Michovius. Hinc Hosius de sacro vernacule legendo; " Ac ne nunc quidem fortasse desunt (ait) qui meminisse queant etiam in templo S. Crucis, quod in Clepardia est, Slavorum lingua sacerdotes sacris operantes usos fuisse." Michovius[k] quinetiam in ecclesiis

[h] Hist. Bohem. lib. 2. [i] Chronic. Polon. cap. 13.
[k] De Sarmatia Europæa, lib. 2. cap. 1.

Rutenorum lingua Serviorum, quæ est Slavonica, divina celebrari, legi, et cantari commemorat. Et Aventinus; "Sacerdotes[l] Liburniæ, quæ archiduci Noricorum nostro ævo paret, adhuc ignari sunt Romanæ linguæ; sacrificia patrio sermone, nempe Slavorum, procurant." Azorius Jesuita: "Cyrillus[m] ante sexcentos annos a Romano pontifice impetravit (ut refert Æneas Silvius) et Methodius episcopus acriter contendebat, ut sacræ preces in linguam verterentur Sclavonicam: tandem hæc sententia, *Omnis lingua laudet Deum*, obtinuit, ut pontifex consentiret[n]."

A. D. DCCCLXX. IGNATIUS CONSTANTINOPOLITANUS PATRIARCHA.

"His[o] rerum divinarum et theologicarum meditationibus penitus occupati[p], sacrarumque literarum studiis repurgati, atque assidua oratione lustrati; contemptis humanis rebus, curas inanes negligamus, &c. Hæc[q] documenta, dilecti, primum quidem a prophetis, deinde a præstantibus Christi discipulis et evangelistis, tum vero a patribus sive sanctis doctoribus accepta, immo per unum et eundem Spiritum dictata, variisque modis prædicata, ne contemnamus, nec segniter et ignave exequamur."

A. D. DCCCLXX. BASILIUS MACEDO, CONSTANTINOPOLITANUS IMPERATOR.

"O[r] fili, quemadmodum teneræ plantæ fontibus irri-

[l] Annal. lib. 4. pag. 434.

[m] Instit. moral. lib. 8. cap. 26. sect. Verum enimvero.

[n] Iste concessionem a pontifice factam agnoscit, factæ autem causam allegat: quod "non eadem ratione agatur cum Neophytis, et cum iis qui plene sunt edocti fidem Christi." Vid. de hac historia Bergomensem, lib. 11. et Sanderum visib. monarch. pag. 422.

[o] Ignatius in concione ad auditores suos apud Nicetam Paphlagon. in Vita ejus pag. 163. 165. quod Raderus in sua versione, pag. 167. monachis solis male accommodat.

[p] *Διὰ τῆς ἱερᾶς τῶν γραφῶν μελέτης ἀνακαθαιρόμενοι.*

[q] *Ταῦτας οὖν ἔχοντες παραγγελίας, ἀγαπητοί, διὰ τῶν προφητῶν μὲν πρῶτον, ἔπειτα διὰ τῶν ὑψηλῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν καὶ εὐαγγελιστῶν.* &c. *γινομένας εἰς ἡμᾶς*, &c.

[r] Basilius Macedo, exhortat. ad Leonem filium, cap. 17.

gatæ virescunt, floresque et fructus ferunt; ita mens tua sacrarum literarum studiis irrigata magis ac magis augescet, ac pro fructibus egregias virtutes producet. Nam corpus quidem saginatur cibis, qui alius super alium infarciuntur: animus vero sanctis sermonibus alitur ac vegetatur."

A. D. DCCCLXX. OTFRIDUS WISSENBURGENSIS MONACHUS.

"Scripsit ad Luidbertum Moguntinum archiepiscopum quatuor libros evengeliorum metrice, in lingua Teutonica quibusdam regulis formata;" ut habet in monasterii Hirsaugiensis chronico Johannes Trithemius[s]. Opus autem hoc Gratiam Dei Theotisce præscripsit. Versionis pene in omnibus bibliothecis fragmenta reperiri testatur Illyricus, qui etiam præfationem illius integram Catalogo testium veritatis inseruit; unde sequentia excerpsimus: "A quibusdam memoria dignis fratribus rogatus, maximeque cujusdam venerandæ matronæ verbis nimium flagitantis, nomine Judith, ut partem evangeliorum eis Theotisce conscriberem, ut aliquantulum hujus cantus lectione ludum secularium vocum delerem; et ut in evangeliorum propria lingua occupati dulcedine, sonum intulium rerum noverint declinare, &c. Scripsi eorum precum suffultus juvamine evangeliorum partem Francice compositam, interdum spiritualia moraliaque verba permiscens, ut qui in illis alienæ linguæ difficultatem horrescit, hic propria lingua cognoscat sanctissima verba. Denique legem sua lingua intelligens, inde se vel parum quid deviare mente propria pertimescat." Et circa finem: "Est tamen conveniens, ut qualicunque modo, sive corrupta lingua, sive integræ artis auxilio humanum genus authorem omnium laudet; qui plectrum ei dedit linguæ, verbum in ea suæ laudis sonare; qui non verborum adulationem politorum, sed in nobis pium cogitationis affectum, operumque pio labore congeriem, non labiorum inanem servitutem requirit."

[s] Ad ann. 863.

Cæterum Otfridi Wissenburgensis ad Solomonem episcopum Constantiensem præfatio evangeliorum citatur a Goldasto[t], ut et ejusdem præfatio[u] ad Hludovicum regem. Johannes Trithemius asserit se nullum antiquius vidisse scriptum Germanicum, quam monachi cujusdam Otfridi, Theotisci nomine, circa annum Domini DCCCXX. idque rythmis, ut vocant, conditum. Ipse Otfridi evangeliorum liber, veteri Francico sermone rythmice, conscriptus, impressus est Basileæ anno MDLXXI. 8°. hoc titulo: **Ebangelíu Buch in alt Frenchischen Reimen durch Otfridum von Weissenburg Munchu S. Gallen, vor sieben hundert Jarn beschrieben, jetzt aber in den Truck verfertigt.** Etiam Alamannicæ ecclesiæ confessionem cum interlineari explicatione Germanica Achilles Gassarus una cum Otfridi evangeliorum expositione evulgavit[x].

A. D. DCCCLXXX. JOHANNES VIII. PAPA.

" Literas[y] Sclavonicas a Constantino quodam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitas[z] resonent, jure laudamus; ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia et opera enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare authoritate sacra monemur, quæ præcepit dicens: *Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi;* et apostoli repleti Spiritu Sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus cœlestis quoque tuba insonat monens; *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesu Christus in gloria est Dei patris.* De quibus etiam in

[t] Part. 1. script. parænetic. pag. 390. ibid. pag. 364.

[u] Ibid. pag. 372. 400.

[x] Goldastus, tom. 2. antiqu. Alaman. pag. 165. Vid. Serarium de rebus Mogunt. pag. 655, 656.

[y] Epist. 247. inscripta Sfentopulchro Moravorum principi, quam ex registro, quod MS. in bibliotheca Vaticana asservatur, producit Angelus a Roccha in appendice biblioth. Vatican. pag. 316. et Baronius, annal. ad ann. 880. sect. 19. Habetur etiam concil. Lab. tom. 9. pag. 177.

[z] *Debite.* Labb.

prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanæ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive missas in eadem Slavonica lingua canere, sive evangelium vel lectiones divinas novi et veteris Testamenti, bene translatas et interpretatas legere, aut alia officia horarum omnia psallere; quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Jubemus tamen ut in omnibus ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam evangelium Latine legatur, et postmodum Slavonica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis annuntietur; sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et judicibus tuis placet, missas Latina lingua magis audire; præcipimus ut Latine missarum tibi solennia celebrentur. Data mense Junii, indictione[a] vigesima tertia." Quod vero ad Constantinum illum philosophum attinet, cujus hic fit mentio, Augustinus author catalogi Olomucensium episcoporum, qui subjicitur historiæ Bohemicæ Dubravii, hoc nomine prius appellatum esse annotat Cyrillum Methodii collegam; qui etiam in inscriptione bibliothecæ Vaticanæ Illyricarum literarum auctor traditur; unde et lingua ea Chiurilizza, hoc est, Cyrilliana nuncupatur, ut scribit Angelus Roccha[b]. Quanquam Methodii inventum Slavinicas literas esse alii authores prodant; ut in iis quæ supra ad annum DCCCLX. a nobis annotata sunt, videre licet.

A. D. DCCCXC. ÆLFREDUS OCCIDENTALIUM SAXONUM REX.

" Tum[c] vero venit mihi in mentem legem Dei primo in Hebræo sermone fuisse inventam; atque postea Græcos, cum eandem didicissent, eam universam et alios insuper omnes libros in suam linguam vertisse; necnon Latinos etiam, quamprimum ipsi eam intelligentia comprehendis-

[a] Sive anno 880. [b] Biblioth. Vatic. pag. 168. 171.

[c] Habetur in Spelmanni concil. Angl. tom. 1. pag. 380. Gregorii Saxonicum ad Wulfigeum episcopum. Præfat. in Pastorale.

sent, per prudentes interpretes suo sermone eandem expressisse; eodemque modo omnem undique Christianam plebem partem ejus aliquam in linguam domesticam transtulisse. Quapropter optimum censeo, si tu quoque sic existimas, ut nos libros aliquos, quos maxime necessarios arbitrabimur, qui ab omnibus intelligantur, eosdem in linguam, quam omnes intelligunt, convertamus." Hæc Ælfredus. De ejus studio sacrarum literarum vide Ingulphi historiam. " In[d] divinis," inquit, " libris, et sacra lectione tam assiduus erat, quod Davidicum psalterium vel aliquem alium librum ædificatorium in sinu suo semper secum ferret; et viros literatissimos de terris exteris ad se accersens, aliquamdiu in palatio suo secum pro sacris literis addiscendis retentos, demum diversis prælatiis et dignitatibus promoveret." Paria habet Ailredus abbas Rievalensis: " Portionem[e] quandam Psalterii," inquit, " in qua maxime delectabatur, parvo volumine scriptam in sinu semper circumferabat ; ut quod illud interius ruminabat, ab interioris hominis sui pectore non recederet." Item: " In diebus pacis, non otio torpuit, aut vanis spectaculis otiosisve discursibus tempus perdidit; sed legere, et scribere, et sacros apices in linguam Anglicam vertere laborabat." Psalterii magnam partem ab eo ex Latino Anglice conversam esse apud Johannem Trevisam[f] legimus. Gulielmus vero Malmsburiensis[g], illumque secutus Ranulphus Cestrensis[h], de eo scribunt, Psalterium transferre aggressum, " vix prima parte explicata," vivendi finem fecisse. Hinc Genebrardus[i] et Gulielmus Eysengrein[k] Alfredum Psalterii versionem inchoasse referunt ; et Johannes Caius[l] Psalmos eundem transtulisse ex præfatione docti inprimis viri in vetus Testamentum Anglice ante annos 300. conscriptum narrat.

[d] Pag. 495.
[e] In genealogia Davidis regis Scotiæ MS.
[f] Dialog. præfix. polychronico a se verso.
[g] De gestis regum Angl. lib. 2. cap. 4.
[h] Polychronic. lib. 6. cap. 1.
[i] Chron. lib. 4. ann. 874.
[k] Catal. test. verit.
[l] De antiqu. Cantab. lib. 1. pag. 150.

At in historia Eliensi[m] de eodem sic habetur: "Aluredus acerrimi ingenii princeps per Grimbaldum et Johannem, doctissimos monachos, tantum instructus est, ut in brevi librorum omnium notitiam haberet, totumque novum (et vetus[n]) Testamentum in eulogiam Anglicæ gentis transmutari fecerit." Et etiamnum Cantabrigiæ in collegii S. Benedicti bibliotheca novum Testamentum Saxonice versum habetur. Quatuor autem evangeliorum vetus Saxonica translatio anno MDLXXI. Londini excusa prodiit: ubi etiam lectiones pro ratione feriarum et dierum Dominicorum distinctæ inveniuntur. Denique Bostonus Buriensis in suo scriptorum catalogo, quem MS. penes me habeo, de Elfredo inquit: "Totum fere Testamentum in linguam Anglicam transtulit."

A. D. DCCCXC. WALDO, EPISCOPUS FRISINGENSIS.

Beatus Rhenanus[o] scribit se Frisingæ, in bibliotheca Divi Corbiniani, "librum insignem evangeliorum Francice, hoc est, Germanice versum" inspexisse compositum jussu Waldonis episcopi, scriptum a Sigefrido presbytero ante sexcentos ferme annos, ut ille inquit, quando Franci orientales "primum[p] Christo dedere nomen." Titulus libri erat, "Liber Evangeliorum in Theodiscam linguam versus;" eratque rythmice conscriptus. Incipit autem author in præfatione hoc modo:

Nu wil ich schreiban unser heil,
Evangeliono depl:
So wir nu=hiar bigunnon
In frenckisga zungun.

Versus hos scriptos esse "primo tempore ut Franci Christo nomen dedere, colligit non levibus conjecturis

[m] Lib. 1. sub fine, prout citatur in præfatione præfixa Assero de rebus Ælfredi, et Caio de antiqu. Cantab. lib. 1. ubi historiæ hujus initium esse notat: "Cum animadverterem excellentiam Eliensis insulæ."

[n] Deest id in editis, sed habetur in codice MS.

[o] Rerum German. lib. 2. tit. Franci Germ. usi lingua.

[p] Munster. Cosmograph. pag. 644.

beatus Rhenanus," ait Bibliander[q]. Gretserus[r] autem spiritu Jesuitico beatum Rhenanum reprehendit, quod hac nota veteres illos Germanos seu Francos laudaret, novosque perstringeret: " Perpetua laus Francorum veterum est, qui sacros libros in suam, hoc est, Germanicam linguam vertendos curarint: quod nuper a theologis quibusdam improbatum scimus." Cæterum Waldo Frisingensis episcopus subscripsit concilio Triburiensi anno DCCCXCV.

A. D. DCCCCXXX. ÆTHELSTANUS, ANGLORUM REX.

" Scripturas divinas, teste Malmesburio, verti fecit in Anglo-Saxonicum idioma ex purissimis Hebræorum fontibus per quosdam Hebræos ad Christianismum (ut credere par est) in suo regno conversos." Ita Balæus[s]. Sed in Malmesburio de gestis regum Anglorum hoc non invenitur. Forte est in libro quinto De pontificibus, quem rarum admodum esse nostra ætate refert Johannes Caius.

A. D. DCCCCXXXVI. ARABES.

" Nactus sum," inquit Clenardus in epistola ad Rutgerum Rescium anno MDXXXVI. data, " Evangeliorum Arabicorum codicem descriptum et versum abhinc annis 600. Habeo et aliud exemplar ex eadem translatione descriptum. Reperio pleraque omnia sic se habere, ut hodie legimus in Græcorum codicibus, quos secutus est Erasmus," &c. Addit etiam reliquos sacros codices apud Arabes jam olim versos esse. Vetustissimos codices evangeliorum ante quingentos annos Arabice scriptorum se habuisse indicat Postellus[t] in epistola ad Giambullarium anno MDXLIX. data.

[q] De communi ratione omnium linguarum, pag. 49.
[r] Defens. Bellarm. pag. 840. et 1065.
[s] Scriptor. Britan. cent. 2. cap. 27.
[t] Ad calcem operis De origin. Hetrur. pag. 248.

A. D. DCCCCXL. ELIAS[u], CRETENSIS EPISCAPUS.

" Sunt[u] igitur in fide communia, lex illa vetus; quam priore loco posuit, ut multa comprehendentem, et antiquiorem vatibus sexdecim. Nimirum quæ comprehenduntur his, sunt universis ex æquo communia." Et paulo post, de Vetere et novo Testamento, quatuor evangeliis, &c. affirmat, " ad omnes hæc spectare, omnibus ex æquo patere."

A. D. DCCCCL. SMARAGDUS ABBAS.

" Lectionis[x] sacræ cognitio imbecillis baculum, nervosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter premit insidias, et victoribus æternas promittit coronas."

" Renovatur[y] sensus noster per exercitia sapientiæ, et meditationem verbi Dei, et legis ejus intelligentiam: et quanto quis quotidie ex Scripturarum lectione proficit, quanto altius intellectus ejus ascendit; tanto semper novus et quotidie novus efficitur."

" Sicut[z] orationibus regimur; ita Psalmorum studiis delectamur," &c. ut supra ex Isidoro, libro tertio de summo bono, capite septimo, quæ verbatim huc transtulit Smaragdus.

A. D. DCCCCLIV. BOSO, MERSEBURGENSIS EPISCOPUS.

De eo Ditmari chronicon hæc habet: " Hic[a], ut sibi commissos eo facilius instrueret, Slavonica scripserat verba; et eos Kyrie eleison cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irrisorie mutabant."

[u] Elias in orationem 7. Nazianzeni, De moderandis disputationibus.
[x] Smaragdus in præfat. explicationum evangeliorum Dominical.
[y] Smaragdus in epist. ad Romanos, cap. 12.
[z] Smaragdus in Diademate monachorum, cap. 2.
[a] Lib. 2. pag. 24.

A. D. DCCCCLXXV. ÆDGARUS, REX ANGLIÆ.

" Semper[c] cum episcopis, virisque doctissimis de lege Dei et sacris literis conferebat; et quod ipse dicere poterat, subditos docere non solum verbo, sed etiam exemplo satagebat. Cumque diligenter episcoporum, clericorum, monachorum vitas et mores investigatione prudentissima didicisset; vocatis ad se ecclesiarum et monasteriorum presbyteris, cum eis hujusmodi sermonem habuit," &c.

A. D. DCCCCLXXX. NOTKERUS LABEO, ABBAS S. GALLI.

Transtulit in linguam Alamannicam Psalmos Davidis, et librum Job: quorum meminit in libro Benedictionum Ekkehardus junior, S. Galli monachus, citatus a Goldasto in fine secundi tomi Alamannicarum antiquitatum: ubi etiam notat translationem istam Job periisse, Psalmorum vero apud se extare[d]. Atque hæc est illa translatio, cujus meminit Johannes Stumpfius in chronico Helvetico ubi scribit: Notgerum " S. Galli monachum sub abbate Bernardo Psalterium in linguam Francicam rudem adhuc et inconditam convertisse:" et Joachim Vadianus, libro secundo de collegiis et monasteriis Germaniæ veteribus, ita scribens: " Extat apud nos Sangalli Psalterion a Notkero monacho, quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominarunt, in nostram," id est, Germanicam, " linguam translatum, Arnolpho imperante; tanta verborum difficultate, ut nonnisi ab attento et immorante lectore accipi et intelligi queat. Tam dura olim et anhelans vetus illa Francorum et Alemannorum lingua fuit." Hæc ibi Vadianus: ubi etiam orationem Dominicam et symbolum apostolicum, sicut in eodem Notkeri codice Germanice versa habebantur, describit, sicut etiam Johannes Stumpfius in chronico. De Notkeri vero Psalterio in notis ad illum Vadiani locum Bartholmæus Schobingerus: " Est nunc penes me in mea

[c] Ailredus Rivallensis in geneal. Davidis.

[d] Vid. infra ad ann. 1020. in Cunegunde imperatrice.

bibliotheca; quod vulgare et publicum in usum dare recepit noster Goldastus, cum amplissima priscorum verborum expositione." Nota vero Notkerum Labeonem, qui sub Burchardo abbate S. Galli floruit, cum Notkero Balbulo, qui sub abbate Bernardo claruit, a Joachim Vadiano, et Johanne Stumpfio perperam hic confundi.

Porro Jacobus etiam Gretserus citat[e] antiquissimas orationis Dominicæ in Germanicam linguam translationes: quarum duæ formulæ extant apud Vadianum, libro secundo De collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus, una ex libro Notkeri descripta, altera ex libello in Sacello pervetusto Leprosorum urbis S. Galli a se reperto, quem ante annos plus minus 300. scriptum esse colligebat, tersiore jam et mitiore sermone. Aliam ab utraque diversam longe antiquiorem ipse se habere scribit Gretserus ex S. Galli monasterio, descriptam ex manuscripto codice. "Kero monachus Alamannus symbolum apostolicum et orationem Dominicam (circa annum M.) interpretatus est sermone vernaculo: quem libellum in bibliotheca D. Magni apud Gallopolitanos vidimus;" ait Goldastus[f]. Vetus etiam Germanicus interpres Psalmorum, circa annum DCCCC. alius a Notkero, citatur a Lipsio[g]. Psalterium vetus inquit ibi Lipsius se vidisse apud insignem et optimarum artium virum, Arnoldum Wachtendonckium, circa tempora Ludovici et Caroli, filiorum Ludovici Pii, scriptum ante annos circiter 700. Latinum quidem, sed inter lineas ad singula verba Germanica interpretatione superscripta.

A. D. M. ÆLFRICUS ABBAS MALMESBURIENSIS[h], ET EUM SECUTA ANGLO-SAXONUM ECCLESIA.

"Ipse[i] (presbyter) debet dicere populo fidem Catho-

[e] Append. 2. ad lib. 2. defens. Bellarm. de verbo Dei, col. 1054.

[f] Par. 1. Script. Parænetic. pag. 487.

[g] Centur. 3. ad Belgas, epist. 44. ad Henricum Schottium: et Goldasto part. 1. script. Parænetic. pag. 366. 370. 372, 373. 388. ubi notat esse Arnoldi Wachtendonkii; 392. 397. 413, 414. 423. 453.

[h] Postea archiepiscopus Cantuariensis.

[i] Ælfricus, epistola de clericis, seu sermone ad clericos MS. in bibliotheca S. Benedicti Cantab.

licam et sensum evangelii propria lingua; ne sit canis mutus, sicut dixit propheta: *Canes muti non possunt latrare.*

"Non[k] mihi imputetur, quod divinam Scripturam nostræ linguæ infero. Quia arguet me precatus multorum fidelium; et maxime Æthelwerdis ducis (ealdoꝛman) et Æthelmeri nostri; qui ardentissime nostras interpretationes amplectuntur lectitando. Sed decrevi modo quiescere post quartum librum a tali studio."

Incipit præfatio Genesis Anglice ex collectionibus Josselini: Ælfꝛic munuc ȝꝛet æ ðelþeaꝛð ealdoꝛman eaðmoðlice, ðu bæðe me leoꝼ ⁊ ic ꝯceolðe ðe aþendan oꝼ leðene on enȝliꝯe ða boc ȝeneꝯiꝯ ða ðuꝛhte nie heꝼiȝ tẏme ðe to tiðiȝenne ðæꝯ, ⁊ ðu cþæðe ða ðat ic ne þoꝛꝼte na maꝛe aþendan ðæꝛe bec. &c. In[l] fine vero ejusdem epistolæ dedicatoriæ sic ait: ic[m] cþeðe nu ⁊ ic ne ðeaꝛꝛ ne ic nelle nane boc æꝼteꝛ ðiꝯꝯe oꝼ leðen on enȝliꝯc aþendan.

In sermonibus Catholicis MSS. in publica Cantabrigiensis academiæ bibliotheca: "Ælc Cꝛiꝯten man ꝯceal æꝼteꝛ ꝛihte cunnan æȝþeꝛ ȝe hiꝯ Pateꝛ noꝯteꝛ, ȝe hiꝯ Cꝛeðan. Quilibet Christianus orationem Dominicam et apostolicum symbolum rite calleat[n]."

In epistolis Anglo-Saxonice perscriptis: "De mæꝯꝯe þꝛeoꝯt ꝯceal ꝯecȝan on ꝯunnan ðaȝum and mæꝯꝯe ðaȝum ðæꝯ ȝoðꝯþelleꝯ andȝẏt on enȝliꝯc ðam ꝼolce and be ðam Pateꝛ noꝯteꝛ ⁊ be ðam Cꝛeðan eac. ꝯþa he oꝼtoꝯt mæȝe þam mannum to on bꝛẏꝛðnẏꝯꝯe. ⁊ hi cunnon ȝeleaꝼan. ⁊ heoꝛa cꝛiꝯtendome ȝehalden. Sacerdos diebus Dominicis ac festis populo Anglice declarabit Evangelii sensum: pari modo orationem Dominicam

[k] Præfat. in homilias de sanctis Anglo-Saxonice a se versas, in bibliotheca D. Rob. Cottoni, in fine.

[l] "Ælfricus Monachus Æthelwardo duci salutem suppliciter precatur. Præcepisti mihi, Domine, ut librum Geneseos ex Latino sermone in Anglicum converterem. Quod opus mihi factu difficile videtur. Dixisti itaque mihi non ampliorem libri partem vertendam, quam," &c.

[m] "Dico igitur, me nullum, post hunc, librum ex Latino in Anglicum conversurum."

[n] Pag. 119. lin. 14. in MS. pag. 41. Bedæ Saxonici ab Abr. Wheloco editi.

et symbolum explicabit, quotiescunque commode potest, ad hominum contritionem; ut fidem suam cognoscant, et Christianitatem firme retineant:" seu ut ipse Ælfricus in libro canonum, citato a D. Fulcone in libro Anglice contra Stapletonum scripto, exprimit, " Constitutum est, ut sacerdotes diebus Dominicis et festis evangelii illius interpretationem populo in lingua Anglicana proponerent." Hoc enim decretum inter canones et ecclesiasticas constitutiones ex conciliis et patribus ad ecclesiarum suarum administrationem a se collectas retulerunt insequentes episcopi; quemadmodum in vetustis canonum codicibus, qui ad ecclesias cathedrales in Anglia pertinebant, videre licet. Etsi igitur usus linguæ Latinæ in sacris jam ubique invaluerit; nondum tamen tyrannis illa obtinuit, ut populus in bruta illa ignorantia detineretur. Sed ut totus ordo divinorum officiorum tam ab indoctis quam a doctis intelligeretur, Missalia Latino-Saxonica sunt edita; quorum unum adhuc Cantabrigiæ in collegii S. Benedicti bibliotheca habetur[p], cui hæc nota Anglice præfixa cernitur: " Communiter appellabant hunc librum, rubrum librum Darbeiensem in montanis provinciæ Darbeiensis partibus; ubi tanta veneratione atque honore habitus est, ut vulgariter crederetur, quod quicunque data super istum librum fide pejeraverit, mente excideret." Quinetiam Pamelius[q] habuisse se sacramentorum Gregorii miræ vetustatis codicem ex bibliotheca ecclesiæ cathedralis D. Bavonis Gandavensis refert; qui officia quædam Anglis peculiaria, et quædam missæ cantica in eam linguam interpretata continebat.

Porro Ælfricum Genesim in linguam Saxonicam transtulisse author est Baleus[r]. Cantabrigiæ in bibliotheca S. Benedicti capita quædam Geneseos Saxonice translata vidimus, eique præfixam exhortationem ad Scripturarum lectionem Saxonice item exaratam; quæ ab hoc Ælfrico profecta videtur. Libri etiam quinque Mosis, Josue, et Judicum habentur in bibliotheca D. Roberti Cottoni ab Ælfrico Anglo-Saxonice versi hoc initio, Ælfric munoc

[p] Tho. James in Ecloga Oxon. Cantab.
[q] Præfat. in 1. tom. Liturgic. [r] Centur. 2. cap. 41.

(Ælfricus monachus) &c. uti supra ex Josselini collectionibus retulimus.

A. D. MX. BERNO, AUGIENSIS ABBAS.

" Inter[s] varios rerum eventus, qui humanæ solent fragilitati accidere, potentissimum ac speciale quoddam reor esse solatium, sanctarum meditationem Scripturarum: quod et apostolica testari videtur authoritas, dum dicit[t]: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, &c. Hæc est illa mensa, cœlestium dapium ferculis referta; quæ lassis requiem, infirmis sanitatem, lapsis recuperationem, stantibus in fide confert fortitudinem."

A. D. MXX. CHUNEGUNDIS IMPERATRIX, ET CONFUGIENSIS CŒNOBII VIRGINES.

Ekkehardus junior monachus Moguntiæ, Aribonis archiepiscopi temporibus, " commorans mandatu imperatricis descripsit Psalterium in linguam Barbaricam, id est, Germanicam, a Notkero Labeone physico traductum, in privatos nimirum imperatricis usus. Quod opus nunc in nostra manu est," ait Melchior Goldastus[u]. Imperatrix autem illa proculdubio fuit Chunegundis, Sigefridi comitis Palatini Rheni filia, quæ post mortem mariti Henrici imperatoris anno MXXV. depositis ornamentis imperialibus vitam monasticam professa, operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: " Qui[x] non operatur, non manducet:" quemadmodum vitæ illius author[y] habet; qui de eadem etiam hæc addit: " Sponso suo [Christo] aut orans loquebatur aut psallens." Item: " Semper eam legere, vel legentem audire vidisses." Et paulo post: " Cum post orationis frequentiam inter lectionis lassitudinem ancilla Christi in lecto, non plumis extructo, sed cilicio strato

[s] Berno, epist. ad Eberhardum præsulem.
[t] Rom. cap. 15. ver. 4.
[u] Alaman. antiqu. tom. 1. pag. 4. Apud Surium, die 3. Martii.
[x] 2 Thess. cap. 3. ver. 10.

membra sopore gravata remisisset; puella sacrata, quæ de more illi assidebat, sacros codices legens, cum fere ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit; lumenque e manibus illius prolapsum paleas corripiens suo fragore circumjacentes sorores excitavit[z]," &c.

A. D. MXX. CANUTUS, ANGLORUM ET DANORUM REX.

"Omnes[a] Christianos sedulo commonemus, ut puro corde semper Deum diligant, et Catholicæ Christianitatis fidei digne[b] deserviant: sanctis ecclesiæ doctoribus devote pareant; Dei leges et doctrinam subtiliter investigent, sæpius[c] et assidue sibimet ad utilitatem et quicunque[d] Christianus addiscat; ut saltem sanæ fidei rectam intelligentiam habeat, et sciat Pater noster, et Credo in Deum: quia per illud Deum exoramus, per aliud fidem declaramus." (Seu "fidem in Deum recta declaramus;" uti habet historia Jornalensis.) Verba autem Saxonica in exemplari Saxonico sunt hujusmodi. And[e] ealle cꝛiſtene men þe læꝛaþ ſþiþe ȝeoꝛnel þæt hiȝ inþeaꝛdꝛe æfꝛe God luſian and ꝛihtne cꝛiſtendon ȝeoꝛnlic healdan and ȝod cundan laꝛeoþan ȝeoꝛnlice hẏꝛan. ẏ Godeſ laꝛa ⁊ laȝa ſmeaȝan oft ⁊ ȝelome him ſẏlfum to heaꝛfe. And þe læꝛaþ ꝥ ælc cꝛiſten man ȝeleoꝛniȝe ꝥ he huꝛu cunne ꝛihtne ȝeleaſan. and aꝛiht undeꝛſtandan. and Pateꝛ noſteꝛ ⁊ cꝛedan ȝeleoꝛman. foꝛ ðam mid oþꝛum ſceal ælc cꝛiſten mann hine to Gode ȝebiddan. ⁊ þam oþꝛum ȝeꝛþuteIan ꝛihtne ȝeleaſan.

In Ἀρχαιονομίᾳ a Gulielmo Lambardo edita Londini

[z] In Surio, et Gretseri etiam editione, pag. 115.

[a] Canutus, lege 27. in codice MS. Cottoniano, et regio, et aliis harum legum MSS. in historia autem Jornalensi MS. lex est 23. Vid. concil. Angl. tom. 1. pag. 565.

[b] "Serviant sanctæ:" hist. Jornal.

[c] "Semper," hist. Jornal. et in aliis codd. MSS.

[d] "Et omnis Christ." Hist. Jornal.

[e] Vid. concil. Angl. tom. 1. pag. 549.

MDLXVIII. 4°. extat consultum; quod Canutus, Anglorum, Dacorum, et Norvegiensium rex, "ex sapientum consilio, ad Dei immortalis gloriam, regiæ majestatis ornamentum, et reipublicæ utilitatem, natalitiis Domini nostri Jesu Christi diebus" Vintoniæ sancivit. Hic vero vigesima secunda sanctio ita incipit[g]. ⁊ þe læꝛaþ ꝥ ælc cꝛiſten man ȝeleoꝛniȝe ꝥ he huꝛu cunne ꝛihtne ȝeleaꝼan aꝛiht undeꝛſtanden; ⁊ Pateꝛ Noſteꝛ. ⁊ Cꝛedo ȝeleoꝛman. ꝼoꝛ ðam middam oþꝛum ſceal ælc cꝛiſten man hine to ȝod ȝebiddan. ⁊ middam obꝛum ȝeſputelian ꝛihtne ȝeleaꝼan. Lambardus ita vertit: "Hortamur[h] insuper, ut Christianus quisque ita quidem discat, sinceram ut saltem probe calleat fidem; atque orationem Dominicam, et apostolorum symbolum perdiscat. Horum enim altero Christiana fide tincti divinum implorant numen; altero puram honestamque de numine Dei profitentur opinionem." Cæterum oratio Dominica, symbolum Apostolicum, et Decalogus, prout in antiquis lingua Saxonica exaratis libris adhuc videri possunt, Saxonice evulgata sunt, addita versione interlineari Anglica, ad calcem Saxonicæ homiliæ De sacramento Eucharistiæ, Londini a Johanne Daio excusæ in 8°.

A. D. MXLIX. ANONYMUS ANGLUS.

Psalterium, cum aliis Canticis veteris et novi Testamenti, oratione Dominica, symbolo Apostolico, et Athanasiano, Latine cum versione Anglo-Saxonica interlineata extat in bibliotheca D. Roberti Cottoni. Liber scriptus est anno MXLIX. Habetur enim computatio annorum ad finem libri: et in Kalendario ad 15. Kalendas Apriles ascribitur, Sol in Ariete, ad 12. Kalendas Æquinoctium.

[g] Fol. 101. b. [h] Fol. 102. a.

A. D. MLXX. THEOPHYLACTUS BULGARIÆ ARCHIEPISCOPUS[i].

" Nunc[k] nihil tam utile est, ut Scripturarum diligens scrutatio, &c. Illis enim, qui scrutantur divinas Scripturas, nihil potest illudere. Illæ enim sunt lucerna et lumen: quo lucente fur deprehenditur et manifestatur."

" Si[l] vis obedientes habere filios tuos; institue eos divino verbo. Neque dicas religiosorum tantum esse legere Scripturas. Cujuslibet enim Christiani est, maxime eorum qui in mundo versantur; quanto majore auxilio ipsi indigent, ceu in tempestate agentes: proinde pro te est, quod liberi tui audiant Scripturam: discent enim inde patrem et matrem venerari."

In 1 Corinth. cap. XIV. Chrysostomi verba usurpat, de quibus supra: *Si lingua ignota oraveris; quomodo indoctus*, id est, laicus[m], respondebit, aut ullum profectum a precibus accipiet?" &c. Et mox: " Necesse[o] est ut mente intelligamus quæ oramus. Item et de Psalmis intelligendum."

A. D. MLXXIV. OLAVUS REX[n], SCRIPTURÆ STUDIOSIS.

A. D. MLXXV. OECUMENIUS: VIXIT ENIM ILLE POST THEOPHYLACTUM.

" *Qui*[p] *loquitur lingua, seipsum ædificat.* De[q] his lo-

[i] Vixit enim circa id tempus, teste Baronio.

[k] Νῦν δὲ οὐδὲν οὕτως ὠφελεῖ, ὡς ἡ τῶν γραφῶν ἀκριβὴς ἔρευνα. ——— τῶν δὲ γραφῶν ὑγιῶς ἐρευνωμένων, οὐδὲν ἰσχύσει τοιοῦτον σοφίσασθαι, αὗται γάρ εἰσι λύχνος καὶ φῶς, &c. Theophylactus in Luc. cap. 16.

[l] ——— ἔκτρεφε αὐτοὺς τοῖς θείοις λόγοις· καὶ μὴ εἴπῃς, ὅτι μοναζόντων ἐστὶ τὸ ἀναγινώσκειν τὰς γραφάς· παντὸς γὰρ χριστιανοῦ τοῦτό ἐστι, καὶ μάλιστα τῶν κοσμικῶν, &c. ὥστε ὑπὲρ σοῦ γίνεται τὸ ἀκούειν αὐτοὺς τῆς γραφῆς, &c. Theophylactus in Ephes. cap. 6.

[m] Τουτέστιν, ὁ λαϊκος.

[n] Hoveden. fol. 261. b.

[o] Χρὴ τῇ διανοίᾳ συνιέναι τὰ τῆς εὐχῆς, ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ ψάλλειν.

[p] Oecumenius in 1 Cor. cap. 14.

[q] Περὶ τῶν εἰδότων μὲν αὐτῶν ἃ λαλοῦσιν, οὐχ εἰδότων δὲ ἑτέροις ἑρμη-

quitur, qui noverunt quidem ea, quæ loquuntur, sed aliis interpretari non norunt. *Nam si orem lingua*; nam si loquar, inquit, lingua, et non etiam interpreter. *Spiritus quidem meus*, hoc est, animus ipse quoad seipsum utilitatem percepit, *at mens mea sine fructu invenietur*, ex hoc quod aliis non afferat utilitatem. Mentis enim fructus est per varias ac omnigenas cogitationes utilitatem proximi excogitare." Deinde subjungit ex Photio: "*Spiritus meus orat*, hoc est, donum spirituale, nempe ipsum loqui linguis. Verba *orem* et *orat* accepit pro eo quod est linguis loqui aliquid quod honestum sit et studiosum. Nam et precatio genus quoddam est sermonis." Et postea ex Theodoreto: "*Psallam spiritu.* Spiritum[r] vocat spirituale donum, mentem vero manifestationem ac interpretationem eorum quæ dicuntur. Dicit autem quod expediat eum, qui alia lingua loquitur, sive in psalmodia, sive in oratione, sive in doctrina; aut ipsum interpretari et intelligere quid dicat ad utilitatem auditorum; aut alium hoc facere convenit, qui possit cooperationem doctrinæ suscipere. *Alioqui si benedixeris spiritu;* nam si tu solus, inquit, scis quid benedicis aut quid precaris, et anima tua hoc dicit spiritu; reliqui vero ignorant, eo quod tu non noveris interpretari, sive non noveris vim eorum quæ dicuntur; qui agit idiotam, non poterit dicere Amen ad tuam orationem: non enim novit quid dicas, neque scit quando oporteat te audire Amen. Idiotam autem dicit eum, qui in ordine laico sive plebeio constitutus est," &c.

νεῦσαι, διαλέγεται. —— *ἐὰν γὰρ, φησὶ, λαλῶ γλώσσῃ, οἰ μὴν καὶ διερμηνεύω, τὸ μὲν πνεῦμά μου οἷον ἡ ψυχὴ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ὠφελεῖται, ἄκαρπος δέ μου ὁ νοῦς εὑρεθήσεται, τῷ μὴ καὶ ἄλλους ὠφελεῖν,* &c. —— *τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται, ἀντὶ τοῦ τὸ χάρισμά μου τὸ πνευματικὸν, αὐτὸ τὸ λαλεῖν γλώσσαις,* &c.

[r] *Πνεῦμα τὸ πνευματικὸν χάρισμα καλεῖ, νοῦν δὲ τὴν σαφήνειαν καὶ ἑρμηνείαν τῶν λεγομένων· λέγει δὲ ὅτι προσήκει τὸν ἑτέρᾳ γλώσσῃ διαλεγόμενον, εἴτε ἐπὶ ψαλμῳδίας, εἴτε ἐπὶ προσευχῆς, εἴτε ἐπὶ διδασκαλίας, ἢ αὐτὸν ἑρμηνεύειν καὶ νοεῖν τί λέγει εἰς ὠφέλειαν τῶν ἀκουόντων, ἢ ἕτερον τοῦτο ποιεῖν,* &c. —— *Ἐὰν γὰρ μόνον σὺ ἐπίστασαι, φησὶ, τί εὐλογεῖς, ἤγουν τί εὔχεσαι,* &c. —— *ἰδιώτην λέγει τὸν ἐν τῷ λαικῷ τάγματι τεταγμένον.*

A. D. MLXX. WILLERAMUS, FULDENSIS MONACHUS.

Willerami paraphrasin Germanicam in ipsum Canticum Canticorum nuper in lucem produxit Paulus Merula[s]. Willeramum sub Henrico III. anno MLXX. claruisse author est Trithemius[t]. Porro a Goldasto[u] glossator Willerami citatur; qui et ipse citat Rudolphum monachum Germanum in Vita Christi.

A. D. MLXXX. EUTHYMIUS ZYGABENUS.

"Hic[v] liber (Psalmorum,) commune est quoddam medicinæ promptuarium, et passionum omnium certissimum remedium; illiusque verba omnibus congruunt atque aptantur hominibus. Nulla est igitur inter homines actio, nulla ratio, nulla cogitatio, cujus medicinam hic invenire non possis. Cumulus enim et acervus quidam rerum est, omni plenus vitæ conversatione, omni contemplatione; ac veluti penu quoddam doctrinæ publicum, unicuique apta et convenientia distribuit; nam et antiqua purgat vulnera, et nuper illatis celerem liberationem præstat. Insuper quod integrum est, sanum sincerumque conservat; multitudinem vero ipsam prorsus illicit, ac suadet suavi quadam cum delectatione et honesta voluptate; adeo ut per blandam et lenem illam vocem, utilitatem et commodum latenter etiam reportemus, juxta prudentum medicorum præcepta, qui in austerioribus pharmacis poculum inungi jubent melle: ita et nos apparenter quidem dulce et suave melos canimus; reipsa vero animas erudimus, et divinorum eloquiorum memoriam indelebilem conservamus. Psalmus sermo et conversatio est cum Deo, angelorum allectio, alacer animæ ordo ac status, diurni laboris quies, nocturni timoris propulsatio, juvenum et nuper introductorum regula, proficientium adjumentum, perfectorum

[s] Teste Goldasto, part. 1. script. Parænet. pag. 348. collat. cum Bonav. Vulcan. Tract. de antiqu. liter. Ad calcem Jornandis, pag. 57, 58.

[t] Catal. pag. 154. 267. [u] Goldast. part. 1. script. Paræn. pag. 488.

[v] Euthymius Zygabenus. Præf. in Psalmos.

solidatio: clypeus insuperabilis, ornamentum decentissimum, regibus, privatis, principibus, populis, militibus et belli ignaris, sapientibus et rudibus, monachis et civibus, sacerdotibus et plebibus, habitatoribus continentis atque insulanis, agricolis, nautis, artificibus et artium ignaris, viris, mulieribus, senibus, adolescentibus; omni denique naturæ, ætati, fortunæ, et proposito, et communiter, et privatim, et semper, tam domi quam in foro, in ecclesiis, in agris, solitudinibus, in itineribus, et omnibus in locis: et est denique sicuti aeris spiratio, aut lucis effusio, aut usus ignis, aut quodcunque aliud eorum, quæ valde communia sunt et utilia."

"Cantorum[x] quatuor erant principes, quatuor choris præfecti (a Davide,) ob totidem mundi climata, ad quæ psalmorum voces perventuræ erant. Unusquisque autem chorus ex duobus et septuaginta cantoribus constabat, ut quidam retulerunt se apud Hebræos legisse, juxta proportionem ac numerum linguarum, quæ in Babylonicæ turris ædificatione confusæ, seu potius divisæ erant. Futurum enim erat, ut omnis lingua hujusmodi psalmos decantaret."

A. D. MLXXX. URATISLAUS, BOEMORUM DUX.

Hic totius gentis suæ nomine a Gregorio VII. postulavit, ut secundum Sclavonicam linguam apud ipsos divinum celebrari annueret officium. Cui Gregorius rescribens[y], ut est in septimo libro registri epistolarum ejus MS. citato a Jacobo Ledesma[z], Turriano[a], et Baronio[b]. "Scias," inquit, "nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Ex hoc nempe sæpe volventibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam; ne si ad liquidum cunctis

[x] Catal. pag. 154. 267.
[y] Concil. Labb. tom. 10. pag. 234.
[z] De scripturis quavis lingua non legend. lib. 1. cap. 15.
[a] Contra Magdeburg. lib. 1. pro defens. canonum apost. cap. 24.
[b] Annal. ad ann. 1080. sect. 1.

pateret, forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrecta dimiserunt: cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ a sanctis pastoribus postmodum, firmata Christianitate, et religione crescente, subtile examinatione correcta sunt." Rem totam hisce verbis enarrat Olaus Magnus[b]: "Gregorius VII. Uladislao Bohemorum duci scripsit, ac prohibuit, ne, ut optavit, Scriptura sacra verteretur in linguam vulgarem: quoniam tam secreta majestas est in ea, ut difficulter translatæ sensus secretorum Dei poterit in ea postmodum deprehendi; immo nunquam devotior fieret populus, quando sciens facilitatem in contemptum verteret, quod in reverentia consueverat admirari; et jam in cervisiaria taberna irrisorie decantatur." Observetur hic discrimen temporum et pontificum Romanorum. Ante ducentos annos Johannes papa nihil obstare intellexit, quo minus officia divina vel lectiones sacræ in Slavonica lingua haberentur: "quoniam qui fecit tres linguas principales, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam." Jam vero Hildebrandus, monstrum illud hominis, hoc nullo modo admitti posse statuit. Scilicet hoc tempore ad *ἀκμὴν* perductus est Antichristus; tantaque ignorantia sepultus est mundus, ut vera ratione Deum interpellandi neglecta *βαττολογία* illa[c] a Christo condemnata recepta sit; salutatione Angelica, oratione Dominica, et symbolo apostolico ad calculos certo numero repetitis. Nam circa hæc tempora (circa annum MXC. sub Urbano papa) refert Polydorus a Petro Eremita[d], cive Ambianensi, "modum orandi inventum esse per rotulos ligneos; quos vulgus modo preculas, modo paternostros appellat. Ii numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo (sunt enim perforati) et quot hi sunt, toties Do-

[b] Hist. lib. 16. cap. 39.

[c] Matth. cap. 6. ver. 7.

[d] De Inventor. rerum, lib. 5. cap. 9. Vid. Possevin. tom. 3. Apparat. in Petro Monacho, pag. 61. et Calvis. chronolog. ann. 1095. pag. 642.

minicam precem, quot illi, toties Angelicam salutationem, ter numerum ineundo recitent, terque symbolum inferant. Et id D. Mariæ virginis psalterium nuncupant." Hæc Polydorus. Sed quod ibidem de calculis istis addit: "hypocritis esse præcipuum fucosæ bonitatis instrumentum," deleri jubent censores. Verum de ignorantia verbi Dei a pseudo-monachis hoc tempore introducta, vide Waltrami apologiam[d] de unitate Ecclesiæ.

A. D. MXC. IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

"Hic[e] quidem, qui ad hunc gradum (lectorum) provehitur, literarum scientia debet esse instructus; ut et sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat; ne confusione pronuntiationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicative legendum, quid sub interrogatione; ubi sit in oratione subdistinctio, media distinctio; quia et hæc male servata intellectum perturbant, et grammaticorum typhum ad risum provocant. Auribus enim et cordi consulere debet lector.

A. D. MXC. ANSELMUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

"*Et*[f] *ideo*, id est, ut Ecclesia ædificetur; *qui loquitur lingua, oret ut interpretetur*, id est, oret ut accipiat donum interpretandi, ut proficiat cæteris studium ejus. Oret non labiis tantum, sed affectu cordis; ut exaudiri mereatur. *Nam si*, etiam ego, qui tantus sum, *orem lingua*, id est, voce sola, *spiritus meus*, id est, flatus oris mei (orat) dum loquor in oratione; *sed mens mea est sine fructu*, id est, non capit fructum ex ipsa oratione. Hic sæpe nobis accidit, dum Psalmum vel orationem labiis proferimus; et mente, quod os profert, non cogitamus. Et quandoquidem mens, quæ intus pio affectu non orat,

[d] Tom. 1. Script. German. a Marquardo Frehero edit. pag. 228. 40. 50.
[e] Ivo in sermone habito in synodo, De excellentia sacrorum ordinum.
[f] Anselmus in 1 Cor. cap. 14.

quod os loquendo foris precatur, fructum orationis non habet."

" *Si*[g] *benedixeris spiritu ;* id est, si benedictionem dederis ignota lingua, ut nec tu sensum dictorum tuorum intelligas, nec aliis exponas; quis loco idiotæ respondet Amen in fine sermonis? Nec sapiens hoc facere novit, nedum idiota. Imperitus enim et absque literis, audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, et non respondet Amen, id est, Verum: ut confirmetur benedictio. Per hoc enim completur confirmatio precis, qui respondent Amen; ut omnia dicta veritatis testimonio in audientium mentibus confirmentur. Non poterit idiota respondere benedictioni tuæ quam non intelligit. *Nam tu quidem bene gratias agis,* Deo in illa benedictione: et bonum est quod loqueris. *Sed alter non ædificatur,* ex verbis tuis, quæ non intelligit. Ideo cum ad ecclesiam propter ædificationem conveniatis; ea debent in ecclesia dici quæ intelligantur ab hominibus (omnibus) et præstent ædificationem audientibus. Propterea qui loquitur ignota lingua, debet in ecclesia tacere; ut hi loquantur qui prosint audientibus."

" Si[h] vis habere filios eruditos, institue eos in verbo divino: nec dicas religiosorum esse tantum divina eloquia legere. Cujuslibet enim Christiani hoc munus est, et maxime eorum, qui versantur in mundo; qui majore auxilio opus habent, utpote ii qui tempestate agitantur."

A. D. MXCIV. RADULPHUS FLAVIACENSIS[i].

" Quid[k] ad hæc dicitis vos, qui labiis Deum honoratis, cor autem vestrum longe ab ipso est? Vos aerem istum verbis impletis, corde vacui: cantica omnia divina sine sensu percurritis. Et cum multus labor in ore vestro sit, anima tamen vestra fraudatur bonis. *Culmus stans,*

[g] Anselmus in 1 Cor. cap. 14. [h] Ibid. in Ephes. cap. 6.

[i] Trithemius illum inter scriptores sæculi decimi ineuntis collocat; sed annum non notat, quo vixit: rectius vero Bostonus Buriensis in suo catalogo eum circa ann. 1094. floruisse affirmat.

[k] Radulphus Flaviacensis in Levit. lib. 17. cap. 5.

dicit Osec[l], *non est in eis germen, non facit farinam;* Vestra quippe farina nec spiritalem affectum germinat, nec sacræ meditationis farinam creat. Meditatio tamen sola est, quæ mentem mutat, spiritui vires præstat. Ex simila namque (ut dictum est) panis coquitur, quia exercitatione interiori robur mentis acquiritur. *Beatus*[m] *enim vir, qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Cibabit*[n] *illum Dominus pane vitæ et intellectus.* Sicut ergo de vite amputantur palmites, qui infructuosi videntur, ut fructuosis spaciositas amplior relinquatur: paucorum namque fœcunditas sterili multitudini longe antefertur: sic juxta apostolicam sententiam longe utilius[o] esset pauca ædificatione proferre, quam reverendi Sancti Spiritus oracula sine fructu mentis, imo cum Dei contemptu, brevi temporis spatio confuse transcurrere. Nunquid enim vobis excidit, quod ait idem apostolus[p]: *volo in ecclesia quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Linguam autem dicit linguam peregrinam; quæ si audiatur, non intelligitur. Inde enim est quod ibidem præmittitur: *Si*[q] *incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietis id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* Ac deinde: *Si ergo,* inquit, *nesciero virtutem vocis; ero ei, cui loquor, barbarus; et qui loquitur mecum, barbarus.* Videtis quia in verbis nostris intelligentiam nostram requirit; quæ autem sine intellectu proferuntur, ea parvipendit: unde et B. Augustinus in Psalmo XVIII. *Psallentes,* inquit, *intelligere debemus, quæ proferimus; ut humano more, non quasi avium voce, cantemus. Nam et meruli et psittaci et corvi et picæ et hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare quæ nesciunt. Scienter autem cantare naturæ hominis divina voluntate concessum est.* Quod et ipse Psalmista commendat dicens: *Psallam*[r] *et intelligam.*

[l] Hose. cap. 8. ver. 7.
[m] Eccles. cap. 14. ver. 20.
[n] Eccles. cap. 15. ver. 3.
[o] 1 Cor. cap. 14.
[p] 1 Cor. cap. 14. ver. 19.
[q] Ibid. ver. 8, 9.
[r] Psal. 100. ver. 1.

Vos quam multa dicatis, attenditis; nec qualiter dicatis, perpenditis: quasi non melius homini sit, qui unum panem in manibus habet, et illo vescitur, quam asino, qui centum forsitan portat, et nullo reficitur. Respexistis ad majus, et ecce factum est minus: prophetica exprobratio est ista. *Intulistis*[s], inquit, *in domum, et dixistis, Ecce de labore; et exsufflavi istud, dicit Dominus exercituum.* Quid enim pretium ponendum existimatis stipulæ, quæ spicam non habet? Quomodo placituram Deo putatis psalmodiam, in qua vox quidem orantis pertendit speciem, mens autem sine fructu est? Secus vos sensu vestro agimini, et neque rationi acquiescere vultis, neque sanctorum patrum authoritati. Quid enim? Nonne qui psallendi formam nobis tradiderunt, hoc commonuerunt nos, ut serviamus Domino cum timore; ut psallamus sapienter, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ? Sub Hæreticorum persecutione a patre nostro beatissimo Ambrosio Mediolanis psalmodia legitur instituta ad relevandum tribulationis illius pondus; ne scilicet populus Christianus mœroris tædio contabesceret. Hanc enim psallendi utilitatem etiam Jacobus apostolus nobis ostendit dicens: *Tristatur*[t] *aliquis vestrum? Oret æquo animo, et psallat.* Vestra vero psalmodia non solum mœstos non relevat, sed etiam alacribus nimietate sua fastidium importat. O quantis bonis animas vestras fraudatis, quanta privatis dulcedine; dum sapienter psallere contemnitis, nec reperire potestis quod canitis? *quia dulcia*, inquit, *faucibus*[u] *meis eloquia tua, super mel ori meo.* Inde quippe faucibus ejus dulcia erant divina eloquia; quia voci mens concordabat: et quod sonabat in faucibus, hoc cum magna voluptate interius ruminabat. Hoc enim idem alibi testatur dicens: *Quomodo*[x] *dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est. Et meditatus sum*, inquit, *nocte*[y] *cum corde meo; et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Hoc enim

[s] Haggæ. cap. 1. ver. 9.
[t] Jac. cap. 5. ver. 13.
[u] Psal. 118. ver. 103.
[x] Psal. 118. ver. 97.
[y] Psal. 76. ver. 7.

cordis nutrimentum est; sic a vitiis purgatur conscientia; sic divinus ignis in nobis succenditur; quia Dei sapientia non verbis sine sensu sonantibus, sed eruditis se testatur[z] interesse cogitationibus. Sic denique juxta apostoli sententiam[a], homo noster interior renovatur de die in diem, secundum imaginem ejus, qui creavit nos.

A. D. MC. ANSELMUS LAUDUNENSIS.

"[b] *Quomodo tu qui lingua loqueris, supples locum idiotæ:* scilicet, ut ecclesiæ minister, illum ædificans? quoniam quod dicas, nescit: et quomodo idiota ipse respondebit Amen, super tuam benedictionem? Siquidem, nec si multum intentus sit, te intelligit."

A. D. MCXX. RUPERTUS, ABBAS TUITIENSIS.

"[c] Sancta Scriptura recte dicitur ager; quia profecto res publica est, res in aperto posita; et cunctis hominibus, immo populis omnibus legere vel audire cupientibus proposita est."

"[d] Dicuntur in Psalmo[e] Scripturæ populorum; quia non ut Platonis literæ, verbis grandisonæ, sensibus pauperculæ, paucis intelligibiles sunt, vel in angulis susurrant; sed cunctis populis propositæ sunt, et palam omni mundo loquuntur de salute omnium gentium, quæ in una gente conditæ sunt, in qua et prius absconditæ fuerunt."

"[f] Proinde recte dicimus ignorationem Scripturarum ignorationem Christi esse. Quia videlicet absque Scripturis novi pariter ac veteris Testamenti impossibile est hominis animam stare, ut nullo circumferatur vento doctrinæ."

[z] Prov. cap. 8. ver. 12. [a] 2 Cor. cap. 4. ver. 16.

[b] Anselmus Laudunensis, glossa interlineari in 1. Cor. cap. 14.

[c] Rupertus, De glorific. Trinitatis, et De processione Spiritus Sancti, lib. 1. cap. 2.

[d] Rupertus, De operibus Spiritus Sancti, lib. 4. cap. 9.

[e] Psal. 86. ver. 6. [f] Rupertus, in Johan. cap. 5.

" Prædictas[g] lectiones ideo oratione prævenimus; quia rogare debemus dominum messis, ut mittat operarios in messem, et ut aperiat cor nostrum in lege sua et in præceptis suis; ne semen verbi Dei, quod audituri simus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ fustrata radice supplantet."

" Sciendum[h] quoque, quod cum sabbato (jejunii scilicet) sex tantum legendæ sint, duodecim in titulis quæstiones ea de causa prænotantur; quia cum Romana Ecclesia de Latinis et Græcis esset permixta, singulæ lectiones in utraque lingua recitabantur. Nam in una lingua recitatæ ab utriusque linguæ populis intelligi non poterant."

" Quomodo[i] gentium magistri fierent (apostoli) nisi per scientiam linguarum copiam habuissent conferendi cum eis sermonem? Quomodo, inquam, saltem respondissemus Amen super benedictionem illorum; cum quid dicerent, nesciremus?

A. D. MCXX. DROGO, HUSTIENSIS EPISCOPUS.

" Non[k] excidat tibi lex de ore cordis tui; volve, revolve, versa et reversa; et tunc intelliges quid sapiat Manna. Sic faciebat ille qui dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine? super mel et favum ori meo.*"

A. D. MCXXX. HUGO VICTORINUS.

" Psallentium[l] in ecclesia mens concordare debet cum voce; ut impleatur illud apostoli, *psallam*[m] *spiritu, psallam et mente.* Orandi perseverantia ita solum meretur esse fructifera; si quod ore precamur, hoc mente meditemur. Sæpe namque oramus, et alibi mentem inten-

[g] Rupertus De divinis Officiis, lib. 1. cap. 11.
[h] Rupertus De divinis Officiis, lib. 3. cap. 8.
[i] Rupertus De divinis Officiis, lib. 10. cap. 17.
[k] Drogo De sacramento Dominicæ passionis.
[l] Hugo Victorinus in Regulam D. Augustini, cap. 3.
[m] 1 Cor. cap. 14. ver. 15.

dimus; nec ipsum, quod dicimus, recolimus. Sed illam Deus non exaudit orationem, cui qui orat non intendit: quod instinctu diaboli sæpe fieri solet. Sciens enim utilitatem orandi, et nobis invidens gratiam impetrandi, immittit orantibus cogitationum tumultus; ut mentem ab oratione dividat, et fructum orationis tollat. Contra cujus malitiam debemus habere mentis constantiam; ut quanto plus cogitationum turba nos impugnat; tanto robustius mens nostra in sui status rectitudine fixa permaneat. Multum enim juvat ad orationis puritatem, si in omni loco et tempore nos ab artibus illicitis temperemus; si semper ab otiosis sermonibus auditum pariter castigemus et linguam; si in lege Dei ambulare, et testimonia ejus assuescamus toto corde scrutari."

" Sed[n] in illa, quæ ad Deum fit, oratione narratio necessaria non est, nisi forte homo ad hoc narret, ut ipse suam petitionem melius intelligat, ut et per narrationem suam admonitus, quid petat, consideret, et per considerationem petitionis suæ excitatus devotius oret, &c. Sola ergo cordis devotio quantum ad Deum sufficere poterat; nisi ad hoc etiam in voce formaretur oratio, ut mentem orantis ad majorem devotionem accendat. Nam, sicut diximus, si petitioni inserta narratio est, non Deus docetur, sed orans admonetur considerare quid petat, ut devotius oret. Si vero sola supplicatio est, quia devotionem intus in corde esse significat, ad majorem devotionem animum inflammat."

" Unusquisque[o] ergo cum in oratione vel psalmos vel alias quascunque Scripturas decantat, diligenter consideret, cui affectui serviant; et ad illum affectum toto nisu cor suum excitet; ad quem, id quod loquitur, magis pertinere videt: quia si verborum, quæ loquitur, affectum habuerit, per affectum ipsum melius verborum virtutem cognoscet, et intelligentiam capiet, et per verborum intelligentiam in majorem devotionem affectum accendet."

[n] Hugo Victorinus De modo orandi, cap. 4.
[o] Hugo Victorinus De modo orandi, cap. 5.

De sacramentis fidei[p], de lectoribus agens, Isidorum sequitur[q] et iisdem utitur verbis, quæ infra in Petro Lombardo anno MCL. proponentur.

A. D. MCXL. RICHARDUS VICTORINUS.

" Sacra[r] Scriptura lex ignea est. Lex, quia nos refrænando ligat. Ignea, quia ad amorem creatoris ardenter inflammat. Intus scriptus est liber iste per allegoriam, foris per historiam: intus per spiritualem intelligentiam, foris ad simplicium et minorum eruditionem: intus, ut secretum sapientiæ immundis occultetur, foras, ut veritas mundis reveletur."

" Sciendum[s] est, quod sacræ Scripturæ verba et secundum aliquid sunt signanda, et secundum aliquid non sunt signanda. Sunt quippe signanda, quia sunt inimicis occultanda; non sunt signanda, quia sunt amicis revelanda. Utrumque autem sanctus Johannes, et quod prohibitum, et quod præceptum sibi fuit, cavit et observavit: qui et quædam per obscura figurarum velamina malis studuit occultare, et quædam vel absque figuris scribendo, vel per semetipsum figuras exponendo, et sic sub aliis velaminibus latentia mysteria fore quærenda subtiliter insinuando, bonis curavit revelare. Sed quamvis sacræ Scripturæ mysteria obscuritatibus figurarum signentur, ut bonos exerceant, malos lateant; nequaquam tamen ipsi mali de ignorantia sua habent excusationem: quia et manifestiora sacræ paginæ verba possunt intelligere; et si vellent vitia deserere et virtutes exercere, possunt ad occultiora quoque cognoscenda adjuvante gratia Dei pervenire."

A. D. MCXL. BERNARDUS CLARÆVALLENSIS ABBAS.

" Cum[t] ad orandum sive ad psallendum ecclesiam in-

[p] Lib. 2. part. 3. cap. 7.
[q] Lib. 2. De offic. cap. 11.
[r] Richardus Victorinus in Apocalyps. lib. 2. cap. 3.
[s] Richardus Victorinus in Apocalyps. lib. 7. cap. 8.
[t] Bernardus in Meditationib. cap. 6.

traveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliviscere, ut soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi; audi illum loquentem tibi, ut ipse te exaudiat loquentem sibi. Ita fiet, si divinis laudibus solvendis debita reverentia et sollicitudine assistas, super singula verba divinæ Scripturæ diligenter intendas[u]."

" Oratio[x] cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit[y]."

" Laudem[z] ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit. Tantum illum terere non negligat fidelis et prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ; ne si forte integrum glutiat et non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili et dulciore super mel et favum. Offeramus cum apostolis in cœlesti convivio et in Dominica mensa favum mellis. Devotio in cera, mel in litera est. Alioquin[a] litera occidit, si absque spiritus condimento glutiatur. Si autem cum apostolo *psallas*[b] *spiritu, psallas et mente;* cognosces et tu de illius veritate sermonis, quem dixit Jesus: *Verba*[c], *quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*"

" Unde[d] vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, &c. Pure vero, ut nil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas et otiosas: vitandæ sunt et illæ illa duntaxat hora et illo loco, quas officiales fratres pro communi

[u] Habetur etiam hoc inter opera Hugonis Victorini, lib. 1. De anima, cap. 7.
[x] Bernardus De interiori domo, cap. 48.
[y] Habetur etiam inter opera ejusdem De anima, lib. 3. cap. 29.
[z] Bernardus in Cantica, serm. 7.
[a] 2 Cor. cap. 3.
[b] 1 Cor. cap. 14. ver. 15.
[c] Johan. cap. 6. ver. 63.
[d] Bernardus in Cantica, serm. 47.

necessitate quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis; qualia et nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia reportatis. Salubria sunt; sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim Sanctus illa hora gratum non recipit quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris."

" Oratio[e] cordis est, non labiorum. Melius est cum silentio cordis orare, quam solis verbis sine intentione mentis."

" Soror[f] charissima, si vis cum Deo semper esse; semper ora, et semper lege. Valde nobis est necessaria lectio divina. Nam per lectionem discimus, quid facere, quid cavere, quo tendere debeamus. Unde dicitur: *Lucerna*[g] *pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Per lectionem sensus et intellectus augentur. Lectio nos ad orationem instruit, et ad operationem. Lectio nos informat ad activam et contemplativam vitam: ideo dicitur in Psalmis: *Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Lectio et oratio sunt arma, quibus Diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. Per orationem et lectionem vitia destruuntur, et virtutes in anima nutriuntur. Ancilla Dei semper debet orare et legere. Unde legitur in Psalmis: *Tunc*[h] *non confundar, cum perspexero in mandatis tuis.* Igitur, dilecta mihi soror in Christo, insiste orationi frequenter: persevera in meditatione Scripturarum; in lege Dei esto assidua; habeto studium in divinis legibus; usus legendi sit tibi frequens, lectio sit tibi quotidiana legis meditatio. Lectio demit errorem vitæ, subtrahit hominem a vanitate mundi. Per lectionem sensus et intellectus crescunt. Lectio enim docet, quid facias; discernit quid caveas; ostendit quo tendas: multum proficis cum legis:

[e] Bernardus De modo bene vivendi ad Sororem, serm. 49.
[f] Bernardus De modo bene vivendi ad Sororem, serm. 50.
[g] Psal. 118. ver. 105. [h] Ibid. ver. 6.

tamen si facis ea quæ legis, Soror venerabilis, adaperiat Deus cor tuum in lege sua, et in præceptis suis."

"Lectio[g] sine meditatione arida est; meditatio sine lectione erronea est: oratio sine meditatione tepida est. Lectio[h] quasi solidum cibum ori apponit," &c.

A. D. MCL. PETRUS LOMBARDUS, MAGISTER SENTENTIARUM.

De lectoris officio verba faciens: "Qui[i] ad hunc gradum provehitur, literarum scientia debet esse instructus; ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat; ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat, quid indicative, quid interrogative sit legendum; ubi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim male servata intellectum turbant, et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet vox lectoris."

A. D. MCLX. PETRUS BLESENSIS.

"Unus[g] est rex, et illius vera est lex; *lex*[h] *immaculata, convertens animas, et sapientiam præstans parvulis.* Ipsa parvulis et magnis et mediocribus se conformat; condescendit necessitatibus pauperum, anxietatibus oppressorum, turbationibus tristium, culpis delinquentium. Suavissima est perfectis, compatiens imperfectis, mediocribus mitis, tolerabilis delicatis, fortioribus sufficiens, moderata infirmis, humilibus blanda, pœnitentibus misericors, severa perversis, bonis optima. Lex ista instruit et informat ad vitam."

[g] Lib. de scalis Paradisi qui Bernardo tribuitur, et operum Augustini habetur tomo sexto App. cap. 11.

[h] Ibid. cap. 2.

[i] Petrus Lombardus, sentent. lib. 4. distinct. 24. secutus Isidorum De officiis, lib. 2. cap. 11. et Hugonem Victorinum de Sacramentis, lib. 2. part. 3. cap. 7.

[g] Petrus Blesensis, in Job, cap. 2. [h] Psal. 18. ver. 8.

A. D. MCLX. ROTHRODUS, ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPUS.

In Epistola ad Henricum II. Anglorum regem: qua suadet Henricum filium, regni hæredem, literis esse instituendum. "Rex[i], cui omne judicium in populo datum est, quomodo judicabit populum in lege Domini, si legem Domini non cognovit? De rege scriptum est in hunc modum:" Postquam[k] sederit rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis in volumine. In quo manifestissime liquet, quod de rege scientia literarum exigitur; ut sit in[l] lege Domini voluntas ejus, et meditetur in ea die ac nocte.

A. D. MCLXX. HADRIANUS IV. PAPA.

Pontifex iste, cum natione Anglus fuerit, orationem Dominicam rythmis Anglicis expressam Roma mittendam curavit; ut populus eam edoceretur[m].

A. D. MCLXX. PETRUS WALDUS, CUM PAUPERIBUS DE LUGDUNO.

"Suasit omnibus Petrus, ut Biblia legerent, atque ex ipso fonte libentius haurirent aquam salutarem, quam ex hominum impuris lacunis. Soli enim Bibliæ Scripturæ tot divinis testimoniis ornatæ atque confirmatæ conscientias tuto inniti posse. Et ut cuivis esset potestas cognoscendi fundamenta salutis nostræ; biblicos libros in vernaculam Galliæ linguam transfundit, ac potestatem describendi cuilibet præbet. Multi igitur magno studio sacros libros evolvunt, et scrutantur rerum amplissimarum fundamenta. Eratque horum communis sententia: sacrarum Scripturarum lectionem et cognitionem omnibus

[i] Est autem inter Petri Blesensis epistolas a Johanne Busæo editas, num. 47.
[k] Deut. cap. 17. ver. 18. [l] Psal. 1.
[m] Habes eam apud M. N. in Remainder of a greater Work, pag. 17. maxime vero in Johannis Stowi chronico Anglico, in Henrico II.

hominibus, tum laicis tum sacratis viris, liberam et necessariam esse; immo potius prophetarum et apostolorum monumenta legenda esse, quam hominum commenta." Ita ex antiquo manuscripto libro referunt Magdeburgenses historici[m]. Unde in libro[n] a pontificio quodam doctore Germano ante annos 300. de Waldensium doctrina et moribus exarato ita legimus. "Secta pauperum de Lugduno orta est hoc modo. Cum cives majores essent in Lugduno pariter; contigit quendam mori ex eis subito coram eis. Unde quidam de majoribus inter eos tantum fuit territus, quod statim magnum thesaurum pauperibus erogavit: et ex hoc maxima multitudo pauperum confluxit ad eum; quos habere voluntariam paupertatem instituit, et esse imitatores Christi et apostolorum. Cum enim esset aliquantulum literatus novi Testamenti textum docuit eos vulgariter. Pro qua temeritate cum fuit ab episcopo reprehensus; (erat tunc Johannes Bellomais archiepiscopus Lugdunensis, ut ex Reynerio intelligitur) contempsit, et incœpit instare doctrinæ suæ, dicens discipulis suis, quod clerus pro eo quod malæ vitæ esset, invideret sanctæ vitæ ipsorum et perfectæ doctrinæ. Cum autem propter hoc sententiam excommunicationis tulisset in eos, pertinaciter contempserunt; et sic usque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipsorum." Similiter Johannes Trithemius in Monasterii Hirsaugiensis Chronico[o], de eodem cive Lugdunensi (P. Waldo) refert; quod "translatis ex Latino quibusdam S. Scripturæ libris in sermonem Gallicanum, officium sibimet apostolorum assumpsit; et tam per se quam per suos in errore complices, Scripturas male intellectas ubique prædicavit. Rectores et prælatos ecclesiarum una cum eorum constitutionibus contemnebant, ordines sacros nihili pendentes: qui dum ut resipiscerent admonerentur, respondere solebant, Deo plus obediendum esse quam hominibus." Nota hic ex testimonio pontificii doctoris (veteris scilicet scriptoris Germanici) et Trithemii, ipsum Petrum Waldum sacras literas

[m] Centur. 12. cap. 8.

[n] Inter rerum Bohemic. scriptores a Frehero editos, pag. 222.

[o] Ad ann. 1160.

in vulgarem Gallicam linguam transtulisse. "Fuit enim homo doctus," inquit Illyricus[p], "ut ex vetustis membranis cognosco: et non curavit sibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur:" quales sunt Johannes Laziardus, et Raph. Volaterranus[q] de Valdone ita scribens: "Is enim idiota, sacrorum voluminum degustationem ex aliis deprehenderat." De eodem Wernerus in Fasciculo temporum[r], et post eum Nussiensis monachus in magno chronico Belgico, a Pistorio edito: "Scribi[s] fecit aliquos libros bibliorum in vulgari, cum nonnullis sanctorum auctoritatibus: quas minus sane intelligens, suo inflatus sensu, apostolorum officium usurpavit, prædicando ubique, et suos ad prædicandum mittendo," &c. Similiter Bernardus Lutzemburgh[t], et post eum Gabriel Prateolus: "Utique cum idiota esset, quosdam vulgares libros cum quibusdam sanctorum dictis sibi conscribi fecit; quos non sane intelligens, suo inflatus spiritu, prædicando apostolorum officium sibi usurpavit," &c. Haud dissimilia refert Robertus Gaguinus[u] ordinis S. Trinitatis generalis minister. "Hic cum literarum ignarus esset," inquit, "obtinuit ab eruditis libellos aliquot Gallos sibi conscribi; ubi nonnullæ doctorum sententiæ insertæ essent. Quod postquam adeptus est, easque suo sensu homo idiota interpretatus est, docendi officium apud sui similes usurpans, multis se atque discipulos erroribus implicavit." Pari modo Thuanus[x]: "Prophetarum atque apostolorum scripta populari lingua vertenda curaverat; antiquorum etiam patrum aliquot testimoniis adjunctis: quibus in animum defixis, ingenio suo et sensu fretus, prædicationis munus sibi sumpserat; perque plateas ac vicos evangelium plebi interpretabatur." Nec abludit Johannes Massonus: "Abjectissimam[y] paupertatem est professus; ac totum se evangelicæ lectioni devovit. Et quia literarum ignarus

[p] Catal. testium verit.
[q] Anthropolog. lib. 20.
[r] Ætat. 6.
[s] Pag. 199.
[t] Catal. hæretic. in hær. Paup. de Lugduno.
[u] De gestis Francor. lib. 6. Paris. 1514.
[x] Histor. lib. 5. ad ann. 1550.
[y] Præfat. in opus Alani contra Valdenses.

erat, prophetarum apostolorumque scripta Gallice vertenda curavit, populoque nova avide appetenti in vicis et plateis perverse interpretabatur, et sic plurimorum animos subvertit." Addam denique Andreæ Favini verba: "Un[z] Lyonnois nomme Valdon, tres riche et opulent en biens [lequel] attirant chez luy un tas de gens ramassez, souffreteux et miserables, les nourissoit de ses biens, leur expliquant la Bible en langue vulgaire selon sa fantasie." Lugdunensis quidam, cui Waldus nomen erat, vir prædives et opulentus valde, collecto sibi cœtu hominum infimæ sortis, paupertate et miseria obrutorum, illo proprio sumptu sustentavit, et S. Scripturam lingua vernacula pro arbitrio illis explicavit[a].

A. D. MCLXXIX. CHRISTIANI ARABES.

Arabice sacra celebrant, etiam qui Constantinopolitano patriarchæ parent: a quibus exemplar evangeliorum Arabicorum anno mundi 6687. descriptum penes se habere testatur Josephus Scaliger[b].

A. D. MCLXXX. STEPHANUS, EDUENSIS EPISCOPUS.

"Lectores[c] debent Scripturas canonicas legere, et quæ legerint distincte pronunciare, pronuntiata pie et fideliter intelligere. Qui enim distincte legunt et pronuntiant, auditoribus intelligentiam parant: qui vero confuse, sensus eorum perturbant."

[z] Histor. Navarr. pag. 289.

[a] Vide paria narrantes Nauclerum generat. 39. Philippum Bergomatem supplem. chronic. lib. 12. ann. 1158. Severtium de archiepisc. Lugdunens. et Gretserum, defens. Bellarm. de Scriptur. Vernac.

[b] De emendat. temp. pag. 474. edit. ann. 1598. De Syriaco Testamento circa hoc tempus exscripto vide Guidonem Fabricium, præfat. in Testam. Syriacum, in bibl. reg. anno scilicet 1189.

[c] Stephanus de Sacramento Altaris, cap. 2.

A. D. MCLXXXIII. ANDRONICUS COMNENUS, ORIENTIS IMPERATOR.

"Pauli[e] epistolas supra modum amavit, et melle inde promanante subinde est refectus; et literas suas elegantissimas inde ad persuadendum efficacius instruxit."

A. D. MCXC. JOHANNES BELETH, PARISIENSIS THEOLOGUS.

"In[f] primitiva Ecclesia prohibitum erat, ne quis loqueretur, nisi esset qui interpretaretur. Quid enim, obsecro, prodesset loqui, si non intelligeretur? Certe nihil. Hinc illa laudabilis inolevit consuetudo[g] in quibusdam Ecclesiæ partibus; ut pronunciato secundum literam evangelio, statim vulgari illud populo exponeretur. Quid vero de nostris temporibus dicemus, si vix (ac ne vix quidem) inveniatur quis, qui quæ legerit aut audierit intelligat; quisque satis animadvertat quæ viderit aut egerit? Unde profecto illud vere dicere possumus, quod olim propheta conquestus est: *Perit sacerdos, quasi e populo unus.*"

A. D. MCXCIV. THEODORUS BALSAMON, ANTIOCHENUS PATRIARCHA.

Ad interrogationem quintam Marci patriarchæ Alexandrini, An orthodoxi Syri, et ex Armeniis, necnon ex aliis

[e] Ἐκλείπων δὲ ἦν τὴν ψυχὴν εἰς τὰς Παύλου ἐπιστολὰς, καὶ συνεχῶς ἐκ τούτων ἀποστάζοντος ἐνεφορεῖτο μέλιτος, &c. Nicetas Choniates de imperio Andronici Comneni, lib. 2. circa finem.

[f] Johannes Beleth, in principio lib. De divinis officiis. Vulgati Beleithi exemplaribus usus est Usserius. Mirum, quantum ab iis discrepent codices manuscripti. Locum itaque ex codice MS. bibliothecæ Lambethanæ repræsentavit Wartonus. "In primitiva Ecclesia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, nisi esset qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui, nisi intelligeretur? Inde etiam inolevit mos vel usus laudabilis in Ecclesia in quibusdam partibus; ut pronuntiato literaliter evangelio, statim in vulgari populo exponeretur. Quid in temporibus nostris est agendum; ubi nullus vel rarus invenitur legens vel audiens, qui animadvertat? Jam videtur esse completum, quod a propheta dicitur: *Et erit sacerdos, quasi unus ex populo.* Videtur ergo potius esse tacendum quam psallendum, potius esse silendum quam tripudiandum; [addunt impressi codices] si in hanc temporum infælicitatem incidimus."

[g] Vid. ann. 880.

regionibus aliqui fideles propria lingua extra periculum sacra celebrent; an vero cogantur prorsus cum Græca Scriptura sacerdotio fungi? sic respondit: "Magnus apostolus Paulus ad Romanos scribens inquit, An Judæorum tantum Deus? num et gentium? certe et gentium. Qui[h] igitur recte in omnibus de fide sentiunt, etsi sint Græcæ linguæ omnino expertes, propria dialecto sacra conficient, exemplaria consuetarum sacrarum precum habentes non evariantia, utpote desumpta[i] ex contaciis Græcanicis literis eleganter descriptis."

A. D. MCXCIX. METENSES, ET INNOCENTIUS III.

Piis illis, qui Petro Waldo adhæserunt, pontificiorum violentia Lugduno expulsis, et in varias Galliarum partes secedere coactis: duo, qui in Monte Pessulano consederant, inde etiam ejecti, ad civitatem Metensem pervenerunt. Ubi adjuncto sibi viro quodam literato, cum Bertramo episcopo, in festivitate quadam populo in ecclesia prædicanti, publice restitissent, multitudini populi circa se congregatæ doctrinam suam proposuerunt. Indeque[k] factum est, ut tam in urbe Metensi, quam in diœcesi, laicorum et mulierum multitudo non modica tracta quodammodo desiderio Scripturarum, evangelia, epistolas Pauli, Psalterium, moralia Job, et plures alios libros sibi fecerit in Gallicum sermonem converti: translationi hujusmodi adeo libenter intendens, ut "secretis conventionibus talia inter se laici et mulieres eructare præsumant; (sunt enim ista verba querelæ Metensis[l] episcopi ad papam In-

[h] Οἱ γοῦν ὀρθοδοξοῦντες ἐν πᾶσιν, κἂν ὦσι τῆς ἑλληνίδος φωνῆς πάντως ἀμέτοχοι, μετὰ τῆς ἰδίας διαλέκτου ἱερουγήσουσιν, ἀντίγραφα ἔχοντες τῶν συνηθῶν ἁγίων εὐχῶν ἀπαράλλακτα, ὡς μεταγραφέντα ἐκ κοντακίων καλλιγραφηθέντων διὰ γραμμάτων ἑλληνικῶν.

[i] Rectius, "translata." Contacium est scapus seu volumen chartarum. Τόμος γὰρ τὸ κοντάκιον. Marcus Ephes. exposit. Eccles. ἀκολούθιας, cap. 17. pag. 390. Balsamonis responsum confer cum Lateranensis concilii constitutione circa idem tempus facta. Vide et Gretserum, defens. Bellarm. col. 881.

[k] Ex Cæsario Heisterbachen. lib. 5. cap. 20.

[l] Ex registro Innocentii III. unde desumpta est additio illa ad librum 5.

nocentium; "et sibi invicem prædicare." Eorum insuper aspernabantur consortium, qui se talibus non immiscerent; et a se reputabant alienos, qui aures et animos talibus non apponerent. Et cum eos aliqui parochialium sacerdotum super his corripere voluissent; ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere de Scripturis, quod non ab his deberent penitus inhiberi. Res ista ubi ex Bertrami literis ad Innocentium III. esset perlata: rescripsit ille ad universos tam in urbe Metensi, quam in ejus diœcesi constitutos, judicium suum hac de re ita proponens: "Licet desiderium intelligendi divinas Scripturas, et secundum eas studium adhortandi, reprehendendum non sit, sed potius commendandum: in eo tamen apparent quidam laici merito arguendi, quod occulta conventicula celebrant, officium prædicationis Christi sibi usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consortium aspernantur qui talibus non inhærent." Hæc ille, quemadmodum in libro quinto Decretalium[m] videre licet. Ubi illud animadvertatur, "desiderium intelligendi divinas Scripturas, et secundum eas studium adhortandi," ex Innocentii sententia reprehendendum non fuisse, sed potius commendandum. Unde etiam Innocentius a Joanne Francisco Pico Mirandulano[n] in eorum numero ponitur, qui assidue monent "huic divinorum studio incumbendum omnibus, cujuscunque gradus et ordinis extiterint." At vero cum consideraret illud, vix tutum fore, ut doctrina pontificia a laicis ad sacræ Scripturæ canonem examinaretur, tacite eosdem ab illa inquisitione conatur avertere; cum in iisdem literis[o] commemorat "recte fuisse olim in lege divina statutum, ut bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur; ne videlicet simplex aliquis et indoctus præsumat ad subtilitatem sacræ Scripturæ pertingere." Quod terriculamentum si ad laicos a Scripturæ sacræ meditatione arcendos valeat, valebit etiam ad sacerdotes ab eodem studio deterrendos. Quicquid enim

Decretalium, tit. 7. cap. 12. in Corpore juris canonici, Gregorii XIII. jussu edito Paris. 1587. f. pag. 686.

[m] Tit. 7. De hæretecis, cap. 12.

[n] De studio divin. et human. philosophiæ, lib. 2. cap. 1.

[o] Pag. 686. edit. Paris. 1587. f.

tetigerit montem, sive jumentum sive homo fuerit, lapidibus erat obruendum, aut jaculis conficiendum : denuntiatumque[p] est interdictum, ne aut sacrorum administri aut populus perrumperent terminum ascendendo ad Jehovam in montem. Sed quid hisce literis apud Metenses effecerit Innocentius, audiamus. Nonnulli mandatis papalibus obedire prorsus recusabant: quibusdam eorum clanculo, quibusdam vero publice dicentibus obediendum esse soli Deo : et prædictæ translationi usque adeo insistebant, ut se nec episcopo, nec metropolitano suo, nec papæ ipsi assererent parituros, si eam decrevissent abolendam. Hæc omnia ubi per literas suas Innocentio significasset Bertramus ; irritatus ille, ad abbatem Cisterciensem et collegas ejus scribit[q], ut ad civitatem Metensem pariter accedentes, cum Metensi episcopo "convocarent coram se talia sapientes, et adhærentes translationi prædictæ; et (si fieri poterit) quæ in eis reprehensibilia fuerint, authoritate freti apostolica, sublato appellationis obstaculo corrigerent. Cum enim in hoc" inquit, "universalis Ecclesiæ vertatur negotium, et agatur causa fidei Christianæ, ad exequendum apostolicæ sedis mandatum, cum summa diligentia et cautela, vos studiosos et promptos esse volumus et mandamus." Hactenus Innocentius : qui tamen pios illos viros omni suo conatu opprimere non valuit. Cum enim in Cæsarii Heisterbachensis dialogis[r] legimus hæreses Waldosianas (ita enim de Christi doctrina sensit antichristianus monachus) suo tempore nondum fuisse in civitate Metensi prorsus extinctas; apparet eos temporibus Honorii, qui Innocentio in papatu successit, adhuc remansisse. Illis enim temporibus[s] scripsisse Cæsarium, ex proxime sequentis capitis initio intelligimus. Extant in Regesto Innocentii III. libro secundo, tres de hac mate-

[p] Exod. cap. 19. ver. 13. 24.

[q] Ex Innocentii III. literis citatis a Jacobo Ledesima in lib. de divinis scripturis quavis lingua non legendis, cap. 15. et Turriano contra Magdeburg. lib. 1. pro canon. apost. cap. 24. Habentur hæ literæ ad calcem Directorii inquisitorum edit. Romæ 1585. ex Registro Innocentii, lib. 2. fol. 409.

[r] Lib. 5. cap. 20.

[s] Anno 1222, ut patet ex lib. 10. cap. 48.

ria scriptæ epistolæ. I. ad Metenses; cujus initium: "Cum ex injuncto[t]." II. ad episcopum Metensem, eodem tempore scripta (scilicet IV. Idus Julii, pontificatus anno secundo) cujus initium: "Sicut ecclesiarum[u]." III. ad Cisterciensium Morimunbensium et de Christa abbatem scripta eodem anno, V. Idus Decembris cujus initium: "Ea est in fovendis[x]." De rei eventu ita scribit, qui in magno chronico Belgico[y] a Joanne Pistorio edito citatur, Albericus monachus Trium fontium (in chronico, quod ad annum MCCXL. perduxit, ut est ibidem[z]) "Anno MCC." ineunte scilicet "in urbem Metensem (pullulante secta, quæ dicitur Waldensium) directi sunt ad prædicandum nonnulli abbates; qui quosdam libros de Latino in Romanum (id est, Gallicum[a]) versos combusserunt, et prædictam sectam extirpaverunt." Hoc tempore etiam (anno scilicet MCC.) apud Merindolienses propagatum est a Waldensibus evangelium; ubi ad nostra usque tempora conservatum est.

A. D. MCCXXIX. CONCILIUM TOLOSANUM.

Hoc concilium contra Waldenses hoc anno[b] habitum capite decimo tertio penitus interdicit, "ne laici[c] libros sacros habeant in vulgari translatos."

[t] Pag. 468, 469. edit. Colon. anno 1606. item pag. 799, 800. ibid. ponuntur fragmenta ejusdem epistolæ, ut extant in 5. libro Decretalium collectionis Gregorianæ: integra vero epistola extat in tertia antiqua collectione Decretal. edit. Paris. anno 1609. pag. 404, 405.

[u] Pag. 471. edit. Colon.

[x] Pag. 537, 538. edit. Colon. et in Bullario Fr. Pegnæ, pag. 2, 3.

[y] Pag. 199. [z] Pag. 223—232.

[a] Vid. Claud. Fauchet. de orig. lingu. Francic. cap. 1. apud Verderium in biblioth. pag. 119, 120.

[b] Ut docet Fr. Pegna, præf. in form. procedendi contra hæreticos, et in Director. inquisit. pag. 621.

[c] Eodem Pegna referente, in liter. apostolic. Pro offic. inquisit. not. marginal. in Bullam 3. Innoc. III. quem etiam pag. 187. a. consule de authoritate hujus concilii. Vid. et Gulielmi Cateli Gallicam historiam comitum Tolosan. lib. 2. pag. 342. et Perini histor. Albigens. lib. 2. cap. 7. pag. 124. edit. Anglican.

A. D. MCCXXIX. LUDOVICUS IX. FRANCORUM REX, CUI SANCTI NOMEN TRIBUTUM EST,

" Sacrorum bibliorum lectione mire delectabatur :" ut de eo scribit Paulus Æmilius[c].

A. D. MCCXXX. GULIELMUS ALVERNUS, PARISIENSIS EPISCOPUS.

" Duo[d]," inquit, " dederunt causam huic ordini; viz. sanctitas ipsa verborum, et ædificatio populi seu eruditio. Cum enim populo non sit ædificatio seu eruditio salutaris, nisi per verba vitæ; hæc autem recitare sive annuntiare propter eorum venerandam sanctitatem non decet nisi sanctos (sicut legitur in Psalmis: *Peccatori autem dixit Deus, quare*, &c.) coegit ipsa religiositas Ecclesiæ, ut sanctificaretur ad hoc minister."

A. D. MCCL. CONRADUS IV. IMPERATOR ET RUDOLPHUS AB EMS.

Vetus[e] instrumentum rogatu et jussu Conradi regis, filii Frederici II. Cæsaris Augusti, versibus Germanicis redditum est a Rodolpho quodam oriundo ex familia, quæ nomen habet ab eminente arce in Rhetia, quam vulgus nominat Hohen Ems. quod se legisse testatur Theodorus Bibliander[f] et Melchior Haiminsfeldius Goldastus, tomo primo rerum Alamannicarum scriptorum[g]. Ibidem[h] elegantissimam hanc veteris Testamenti paraphrasin in bibliotheca Schobingerorum S. Galli haberi notat. Est enim ea paraphrasis poetica anonymi, quam se habere scribit Bartholomæus Schobingerus in additionibus ad Vadiani farraginem antiquitatum[i].

[c] Lib. 7. de rebus gestis Francorum.
[d] Gulielmus Alvernus, De sacramento ordinis, cap. 3. de lectoribus agens.
[e] Vid. Illyrici præfat. in Otfridi librum Evangeliorum.
[f] De ratione communi omnium linguarum pag. 49.
[g] Pag. 393. [h] Pag. 198.
[i] Alaman. tom. 3. pag. 145. ubi notat Goldastum habere Christophori ab

A. D. MCCLII. WALDENSES.

De his Raynerius, qui hoc tempore pontificiæ fidei inquisitor extitit, in catalogo errorum Waldensium[k] ita scribit: "Dociles inter alios complices et facundos docent verba evangelii, dictaque apostolorum, et aliorum sanctorum in vulgari lingua corde formare; ut sciant et alios informare, et fideles allicere, ac demum suam sectam pulchris sanctorum verbis polire; quo salubria putentur, quæ persuadent." Atque hinc est, quod alius ejusdem farinæ doctor[l] (si modo alius, nam Illyricus eundem esse putat, perperam tamen) de Waldensium doctrina et moribus circa hæc tempora scribens; tertiam causam illius hæresis, ut appellat, assignat hanc: quod "novum Testamentum et vetus vulgariter transtulerunt, et sic docent et discunt." Et addit se vidisse et audivisse rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum; et plures alios, qui novum Testamentum totum sciverunt perfecte. Idem etiam author inter Waldensium dogmata recenset: "Quod oratio Latina laicis non prosit: quod Sacra Scriptura eundem effectum habeat in vulgari, quem habet in Latino; unde conficiunt in vulgari, et dant Sacramenta. Textum vero novi et veteris Testamenti magnam partem vulgariter sciunt memoriter." Hæc ille de secta, ut vocat, Leonistarum sive Lugdunensium; quam ita generalem esse asserit; ut "nulla fere esset terra, in qua ea non serpat." Superfuerunt autem isti in Galliis etiam ad nostra usque tempora, curaruntque Biblia sua dialecto eleganter imprimi. Horum enim sumptibus Neocomi anno MDXXXV. prodierunt in magno folio et magnis characteribus excusa Biblia Gallica ex He-

Helmsdorff compendium bibliorum Germanica lingua ante annos 300. scriptum, qui idem est ille Chunrat von Helmsdorff, cujus collatio novi Testamenti cum veteri historia ab ipso Goldasto parte 1. script. Parænetic. pag. 370. citatur.

[k] Paris. anno 1548. a Claudio Coussardo edito, ex libro membranaceo ante 296. annos per fratrem Reynerium conscripto.

[l] Inter scriptores rerum Bohemic. a Marq. Freherо edit. pag. 222.

braicis et Græcis archetypis per Petrum Robertum Olivetanum translata[j].

Alexander IV. cum videret quantum periculum Romanæ Ecclesiæ immineret, quamdiu laicis esset integrum in ejus fidem inquirere; ut huic malo tempestive occurreretur, decretum hujusmodi edidit: "Inhibemus[k] quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur." At quænam ista est tyrannis, prohibere homines ne de fide inquirant; quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos? ut ipse Nicolaus[l] pontifex ad Michaelem imperatorem quondam scripsit. Sed prævaluit conatus Antichristi[m]. "Laicus," inquit Martinus ab Aspilcueta Navarrus[n], "disputans de fide, peccat mortaliter."

A. D. MCCLXXX. ALFONSUS, REX CASTELLÆ.

"Sacros Bibliorum libros in maternam linguam vertendos curavit. Ex eo tempore in regiis diplomatibus ac publicis tabulis Latina lingua, cujus antea usus erat, desiit usurpari. Unde pudenda literarum ignoratio in nostram gentem, atque utrumque ordinem invasit:" inquit Johannes Jesuita[o].

A. D. MCCLXXX. JACOBUS DE VORAGINE, GENUENSIS ARCHIEPISCOPUS,

"Utriusque Testamenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia trans-

[j] Gesnerus in Partitionibus theologicis, fol. 15. Beza in Iconibus; Genebrardus, chron. lib. 4. ann. 1535.

[k] Quod in 6. Decretalium lib. 5. tit. 2. De hæreticis, cap. 2. videre licet.

[l] Tom. 3. concil. pag. 915. ed. Venet. et apud Gratianum, dist. 96. cap. 4. Ubinam

[m] Vid. ann. 1170. ad fin. et Crispinum in Actis martyrum, fol. 88. 104. 112.

[n] Enchrid. de decem præceptis, cap. 11.

[o] De rebus Hispan. lib. 13. cap. 7.

tulit;" ut habet Sixtus Senensis[p]. Sed monet hic Possevinus Jesuita[q], sane et caute in his translationibus incedendum esse; quandoquidem "validissimæ rationes sint, quæ Ecclesiam moverint, cur non passim sive hæ sive aliæ editiones vulgares tractentur ab omnibus." Ubi vides sapientiorem evasisse nunc Romanam Ecclesiam, quam ante annos trecentos fuerat. In catalogo librorum prohibitorum Romæ anno MDLIX. ex decreto Romanæ inquisitionis edito, primum in Italia vetitum esse, ne versio divinarum in linguam vernaculam literarum esset in usu, observat in annotationibus ad illum catalogum Vergerius.

A. D. MCCXC. NICOLAUS CABASILAS

"Sacrarum[r] Scripturarum lectiones Dei benignitatem et humanitatem annuntiant; et rursus justitiam et judicium et ejus metum in animas nostras immittunt, et dilectionem in eum accendunt, et ita ad ejus mandata servanda multam promptitudinem et animi alacritatem afferunt."

A. D. MCCXC. ANGLICANUS INTERPRES.

Longe ante Wiclevi translationem (centum annis, ut conjicit Thomas Jamesius) prodiit universorum bibliorum Anglicana translatio: cujus tria in Oxoniensis academiæ bibliothecis MSS. extant exemplaria; unum in Bodleiana publica, alterum in Ædis Christi, tertium in Reginalis collegii bibliotheca[s].

[p] Biblioth. sanct. lib. 4.

[q] Biblioth. select. lib. 2. cap. 12.

[r] *Αἱ δὲ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀναγνώσεις τὴν τοῦ Θεοῦ καταγγέλλουσαι χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν, καὶ αὖθις τὸ δίκαιον καὶ τὴν κρίσιν, τόν τ' αὐτοῦ φόβον εἰς τὰς ψύχας ἡμῶν ἐνιᾶσι, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀγάπην ἀνάπτουσι,* &c. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ, cap. 1.

[s] T. Jamesius, lib. vernaculo de corruptione Patrum, part. 2. loc. 24.

A. D. MCCC. NICOLAUS LYRANUS.

"Si[u] populus intelligat orationem seu benedictionem sacerdotis, melius reducitur in Deum, et devotius respondet Amen. Ideo dicit Paulus, *Si benedixeris*, tu sacerdos vel episcope, *spiritu*: id est absque hoc quod populus intelligat; quid proficit populus simplex et non intelligens? quasi dicat; nihil aut modicum; quia nescit se conformare tibi, qui es minister ecclesiæ, respondendo Amen. Propter quod in primitiva Ecclesia benedictiones et cætera communia[x] fiebant in vulgari." Ibidem: "Latinas horas canonicas non intellectas alteri recensens, barbarus erit."

A. D. MCCCI. ARMENI.

Acta apostolorum scripta anno MCCCI. Et epistolæ Catholicæ in lingua Armenica MSS. habentur in bibliotheca cardinalis Ascanii Columnæ[y].

A. D. MCCCXXX. LUDOLPHUS CARTHUSIANUS.

"Sacra[z] Scriptura est cibus noster, ac panis vitæ et intellectus; quo quotidie reficimur, ne deficiamus in hujus peregrinationis deserto. Unde scriptum est: *Non*[a] *in solo pane vivit homo; sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.*"

A. D. MCCCXL. BRIGITTA SUECICA.

Sacra Biblia, quæ Gothico idiomate sibi scribenda curarat, legebat: ut est in Vita ejus[b].

[u] Nicolaus Lyranus in 1 Corinth. cap. 14.
[x] Fort. *omnia.*
[y] In catalogis MSS. ad calcem apparatus Possevin. pag. 133.
[z] Ludolphus Carthusianus in Psalm. 64.
[a] Matth. cap. 4. ver. 4. [b] Apud Surium, tom. 4. Julii 23.

A. D. MCCCLVIII. RICHARDUS, ARMACHANUS ARCHIEPISCOPUS,

"Novum Christi Testamentum in Hibernico sermone (a se fortassis translatum) anno uno aut altero ante suam mortem, in quodam ecclesiæ suæ muro occultavit: in cujus fine, quasi prophetizans, hoc scripsit: Cum hic liber inventus fuerit; veritas toti mundo manifestabitur, vel Christus orbi mox apparebit. Et repertus est iste liber circa annum a nato Servatore MDXXX. in reparatione ejusdem ecclesiæ[c]." Johannes etiam Foxus[d] Richardum nostrum censet authorem translationis Bibliorum in linguam Hibernicam; quorum vetusta exemplaria a se conspecta esse Angli quidam probatæ fidei homines eidem confirmarunt. Hujusmodi Bibliorum fragmenta in Hibernia passim extant. Sed nec illud omittendum est, quod Armachanus in Defensorio curatorum fratribus objicit; tantam per eos librorum penuriam esse factam; ut cum ex Hibernia quatuor ex presbyteris suis Oxonium ipse misisset, rescripserunt se neque Biblia, neque alium ullum theologicum librum studiis suis accommodum invenire potuisse. Quod etiam postea Galfridus Chaucer iis objecit, his verbis[e]: "Freer, what charitye is this, to gather up the books of holy write, and put them in treasorye, and so emprison them from secular preestes and curatts, and by this councell lett them to preach the Gospel freely to the people? Quænam vero, fratercule, charitas isthæc est, sacræ Scripturæ libros undique colligere, eosque clanculum recondere, atque ita a secularibus sacerdotibus et curatis incarceratos subtrahere, et ejusmodi artificio illos impedire, quo minus evangelium populo libere prædicent?"

[c] Jo. Balæus, Ossoriensis quondam in Hibernia episcopus, in scriptorum Britan. centur. 14. pag. 246.

[d] Act. et monument. pag. 381. Londini 1596.

[e] In Jack. Upland, ap. Fox, pag. 240.

A. D. MCCCLX. JOHANNES CANTACUZENUS, CONSTANTINOPOLITANUS IMPERATOR.

"Nos[f] omnes indigemus Scripturarum auxilio propter infirmitatem nostram."

A. D. MCCCLX. ANGLUS QUIDAM DOCTUS.

Præfationem docti in primis viri in sacrum vetusque Testamentum, Anglice ante annos trecentos conscriptum citat Johannes Caius[g]; ubi Aluredum tradit author transtulisse Psalmos, et Bedam universam fere Bibliam in linguam Britannicam convertisse.

A. D. MCCCLX. JOHANNES TREVISA.

"Ad petitionem Domini sui Thomæ de Barkeley, in Anglicanum idioma transtulit totum Bibliorum opus," utrumque scilicet Testamentum; præfatione præfixa, cujus initium: "Ego Johannes Trevisa sacerdos," &c. ut habet Balæus[h]; ubi etiam notat eum polychronicon continuasse ab anno a Christi incarnatione MCCCXLII. usque ad annum ejusdem MCCCXCVII. "in quo" inquit, "ipsemet Trevisa claruit sub Richardo II. Anglorum rege." Verum ipse, in fine translationis polychronici, tempus, quo scripsit, his verbis proponit: "Versio ista finita est die Jovis, (lege potius die Martis) die 18. Aprilis, anno Domini MCCCLVII. Anno autem 35. ætatis patroni mei Thomæ Domini de Barkeley, qui me versionem istam adornare fecit, atque anno 31. regni regis Edwardi post conquestum Angliæ III." Diem Martis pro die Jovis ideo legendum censui, quod se Trevisa versionem feria quinta paschalis hebdomadis finivisse ibidem asserat. Anno autem MCCCLVII. dies 18. Aprilis in feriam 3. paschalem incidit. Anno quidem MCCCXCVII. dies 18. Aprilis est

[f] Johannes Cantacuzenus, apologia 4.
[g] Lib. 1. De antiqu. Cantab. academ. pag. 150.
[h] Centur. 7. cap. 18.

feria 5. sed incidit is in annum 20. Richardi II. In MS. codice, qui penes M. Forsterum collegii D. Johannis Cantab. habetur, sic lego: "die Jovis, Aprilis octavo, anno MCCCLXXXVII. decimo Richardi II." in codice MS. Cottoniano "die Jovis, Aprilis decimo octavo, anno MCCCLXXXVII. duodecimo Richardi II."

A. D. MCCCLXX. CAROLUS V. COGNOMENTO SAPIENS, FRANCORUM REX.

"Biblia sacra Gallico idiomate, tum Lutetiæ Parisiorum, tum in Gallia Belgica, Normannia, et aliis regni partibus evulgavit; ut quisque nativa lingua sua sacris literis frueretur. Veteres illæ interpretationes etiamnum extant, cum inscriptione, De mandato regis Caroli V. non modo nomine, sed reipsa principis sapientissimi." Hæc Carolus Molinæus in libro anno MDLXI. scripto de monarchia Francorum[i]. In Gallico sic est: "Aussi[k] feit translater toute la Bible en Francois, non seulement en Paris, mais aussi en Picardie, Normandie, et autres provinces du royaume; a ce que chacun eust la saincte escripture en son languaige maternel. Les vieilles translations se treuvent encores intitulees, Du mandement du dit Charles le quint, qui estoit non seulement de nom, mais aussi de conseil et effect sage." Hæc Molinæus. Similiter Antonius Molinæus in bibliotheca Gallica[l]: "Or quant a la translation de la S. Bible en la langue Francoise, le roy Charles V. dit le sage, la feit translater au langage vulgaire de son tems. J' en ay une escripte en parchemin, qui est en languaige Picard." Vide[m] Plessei Mysterium iniquitatis[n], ubi hujus translationis authorem

[i] Sect. 133. tom. 3. operum ejus edit. Lutetiæ ann. 1612. par. 2. col. 612. Latin.

[k] Molinæus, tom. 3. sec. 133. part. 2. col. 574.

[l] Tit. Bibles, pag. 137.

[m] "Quantum autem ad translationem S. Scripturæ in linguam Gallicam, Carolus rex, sapiens dictus, eam in linguam vulgarem sui temporis converti fecit. Habeo exemplar ejus membranaceum, lingua Picardis familiari exaratum."

[n] Edit. in octavo, pag. 1071.

Nicolaum Oremum facit. Ut ad Carolum autem redeam: jussit "sacros Bibliorum libros diligenter et vere in linguam Gallicam transferri, rei ecclesiasticæ literarumque sacrarum perquam studiosus;" ut habet Johannes Tilius[o], et Anglo-Remenses[p]. Sed cum hoc ab illo factum innuunt isti, ut Waldensibus occurreretur, et aliis, qui pro libidine eosdem vertebant: Franciscus Hotomannus illum tyrannidi pontificum infensum translationem hanc procurasse affirmat: ad quam etiam reprimendam, ab eruditis librum, qui inscribitur Somnium Viridarii, eundem componi curavisse testatur Carolus Molinæus[q]. Porro translationem hanc multis etiam nunc locis in Gallia videre licet, cum hac inscriptione: DE MANDATO ET JUSSU REGIS CAROLI QUINTI: eamque in regia bibliotheca Fontaneblæi anno MDLXIII. iterumque anno MDLXVII. se vidisse meminit Franciscus Hotomannus[r]. Similiter Genebrardus[s] hujus editionis primum exemplar ostendi dicit in bibliotheca regia, nempe ab anno MCCCLXXIV. Claudius Espensæus tractatu ad confessum regium. "Quod principem literæ deceant:" Carolus, inquit, rex V. "sacra Biblia in linguam Francicam Gallicam converti curavit." De eadem translatione vide Matthæum Beroaldum[t]. Porro inventa etiam tum sunt missalia, breviaria et psalteria in veterem Francicum sermonem conversa: ut notant Genevenses in præfatione ad Biblia Gallica postremo a se edita.

A. D. MCCCLXXX. JOHANNES WICLEFUS.

Reprehendit hic papam[u] et suos complices, ut scribas et pharisæos "claudentes regnum cœlorum, qui nec ipsi intrarent, nec alios intrare permitterent." Eandem querelam etiam alius vir pius apud Anglos circa hæc tempora

[o] Chronic. reg. Francor. [p] Præfat. in nov. Test. sect. 4.

[q] In senatuscons. Franciæ contra abusus paparum, pag. 125. et ad Styl. Parl. part. 4. pag. 235.

[r] Franco-Gall. cap. 2. [s] Chron. lib. 4. ad ann. 1535.

[t] Chronic. lib. 4. pag. 265.

[u] Apud Tho. Waldenum in Fasciculo Zizaniorum, (quem MS. apud me habeo) et Orth. Gratium in Fasciculo rerum expetend. fol. 137. a.

usurpavit in libello[x], quem "Agricolæ precationem et querimoniam inscripsit" (a Johanne Oldcastell dispersum putat Balæus, eidemque tribuit[y]) ita loquens: "Thilk[z] that have the key of conning, have y lockt the trewth of thy teaching under many wardes, and y hid it from thy children. But Lorde, sith thy teaching is y come from heaven above; our hope is, that with thy grace, it shall breaken these wardes, and showe him to thy peple, to kele both the hunger and the thurst of the soul. And then shall no shepeard ner no false hirid man begile thy peple no more. For by thy law I write, as thou hightest (promised) sometime, that from the lest to the most all they shullen knowen thy will, and weten (know) how they shullen pleast thee evermore in certayne." Ista erat miseranda horum temporum facies; "quas tenebras ut dispelleret magnus ille Wiclevus," inquit Balæus, "Biblia tota in Anglicum sermonem transtulit[a]." Extant etiamnum varia veterum Bibliorum Anglicorum exemplaria, quæ translatione differunt: unde manifestum est, præter Wiclevum, alios etiam idem opus perfecisse. Ex his duo exemplaria evangeliorum, tria novi Testamenti, quinque utriusque Testamenti commemorat Thomas Jamesius[b]. Versionis quinetiam Wiclevianæ meminit M. N[c]. atque idem Jamesius tractatu vernaculo de corruptione patrum. Certe Wiclephum Biblia in Anglicanum sermonem transtulisse testatur etiam Hussus[d] in quadam sua replica. "Transtulit" inquit Balæus[e], "in Anglicum sermonem Biblia tota, adhibitis

[x] A Gulielmo Tindall edit. est in Fox, pag. 369, 370.

[y] Pag. 557.

[z] "Qui clavem scientiæ habent, doctrinæ tuæ veritatem multis seris obseratam clauserunt; eamque a filiis tuis occultarunt. Cum vero, Domine, doctrina tua cœlitus advenerit; speramus illam tandem aliquando seras istas gratia tua effracturam, seipsamque populo tuo ostensuram, ad profligandam animæ famem et sitim. Et tunc nullus pastor, neque fallax conductitius populum tuum amplius decipiet. Ex authoritate enim legis tuæ scribo; uti olim promisisti, quod omnes a minimo usque ad maximum voluntatem tuam sciverint, edocti quomodo tibi in æternum sine errore placere possent."

[a] Vid. infra ann. 1407. 1416. [b] Eclog. Oxonio-Cantab. lib. 2. pag. 60.

[c] In his Remainder of a greater Work, pag. 17.

[d] Inter opera ejus tom. 1. fol. 108. b.

[e] Cent. 6. cap. 1.

præfationibus atque argumentis cuique libro suis. Vertit et libros duodecim Clementis Lanthoniensis ecclesiæ presbyteri de concordia Evangelistarum." Hæc Balæus. In operis posterioris præfatione scripturarum vernacularum prohibitionem antichristianam esse confirmat author. Hoc pluribus in Ostiolo suo urget Wiclevus; quod consule. Ejus translationem novi Testamenti MS. apud D. Robertum Cottonum equitem auratum vidimus.

Ejusdem Speculi sæcularium dominorum (quod habetur MS. in bibliotheca regia Westmonasteriensi) caput primum ita incipit: "Cum veritas fidei eo plus rutilat, quo plus plane cognoscitur: et satrapæ (episcopi) damnant fidelem sententiam ex invidia personæ in auribus sæcularium dominorum: ut veritas sit nota planius atque diffusius, necessitantur fideles sententiam, quam promunt, enucleare tam in Latina lingua quam in vulgari. Dictum est a Prospeculo sæcularium dominorum in lingua vulgari, quomodo se debent regulare in toto conformiter legi Christi. Nec sunt audiendi hæretici, qui fingunt, quod seculares non debent legem Dei cognoscere; sed sufficit eis notitia, quam sacerdotes et prælati eis dixerint viva voce. Nam Scriptura est fides Ecclesiæ; et quanto est nota planius in sensu orthodoxo, de tanto est melior. Ideo sicut seculares debent fidem cognoscere, sic in quacunque lingua plus nota fuerit, est docenda. Similiter cum veritas fidei sit clarior et rectior in Scriptura, quam sacerdotes sciunt exprimere: cum multi etiam prælati (si fas est dicere) sunt Scripturæ nimis ignari; et alii celant puncta Scripturæ, quæ scilicet sonant in humilitatem et paupertatem cleri, et multi tales defectus sunt in vocibus sacerdotum; utile videtur esse, fideles sensum fidei taliter reserare. Similiter juxta fidem, quam docuit apostolus ad Hebræos cap. XI. *Sancti per fidem vicerunt regna;* et maxime ex stimulo fidei ad patriam properarunt. Quare igitur non debet fons fidei notificari populo per media, per quæ homo potest scire clarius? Qui igitur hoc impedit, vel contra illud remurmurat, procurat quod populus maneat damnabilis et infidelis. Non igitur capiendæ sunt ut fides leges [quas] prælati fabricant; nec credendum est suis vivis vo-

cibus, nisi de quanto fundatæ fuerint ex Scriptura: cum secundum crebram doctrinam Augustini[f], Omnis veritas est Scriptura. Hoc igitur bonum faceret ista Scripturæ enucleatio; quod redderet sacerdotes et prælatos in verbis quæ reserant insuspectos. Prælati autem, ut papæ, et fratres, et alii medii, possunt in isto deficere. Similiter Christus et sui apostoli converterunt gentem plurimam per detectionem Scripturæ in lingua, quæ fuit populo magis nota. Ad hoc enim Spiritus Sanctus dedit eis omnium linguarum notitiam. Quare igitur non debent moderni Christi discipuli de eodem pane fragmenta colligere, et clarius quo sciverunt populo detegere, sicut illi? Non enim est fictio nisi infidelis, volentis Spiritui Sancto resistere. In duplici igitur lingua, cujus Spiritus Sanctus dedit notitiam, est fides Christi populo reseranda. Similiter cum ex fide, quam docet apostolus[g], *Oportet omnes Christianos stare ante tribunal Christi*, et sibi pro omnibus bonis, quæ illi dederat, respondere; necesse est cunctos fideles bona illa et usus illorum cognoscere, ut responsio tunc patescat, cum responsio per prælatum vel attornatum tunc non valebit: sed oportet quod tunc quilibet in propria persona respondebit. Cum igitur Deus dederit tam clericis quam laicis notitiam fidei ad hunc finem, ut clarius doceant, et fideliter operentur per eam: clarum est quod Deus in die judicii requiret certum computum de usu istorum bonorum, quomodo dabantur fideliter ad usuram," &c.

A. D. MCCCXC. ANNA REGINA ANGLIÆ, ET THOMAS ARUNDEL EBORACENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Soror hæc Wenceslai regis Bohemiæ, et Richardi II. Anglorum regis conjux, anno MCCCXCIV. ut habet Polydorus Virgilius, mortem obiit. In cujus funere Westmonasterii de laudibus ejus concionem habuit Thomas Arundel, tum temporis Eboracensis archiepiscopus, et regni cancellarius; in qua " non alio nomine eam magis

[f] Lib. 2. De doctrina Christiana, in fine epist. 2. ad Volusianum.
[g] 2 Cor. cap. 5. ver 10.

laudavit, quam quod quamvis advena esset et peregrina (nempe Bohemica) tamen quatuor evangelia in linguam Anglicam versa et doctorum commentariis declarata assidue meditaretur[g]." Hinc Johannes Wiclefus in libello De triplici vinculo amoris[h]. "Ex eodem," inquit, "patet eorum stultitia qui volunt damnare scripta tanquam hæretica, propter hoc quod scribunt in Anglico, et acuta tangunt peccata, quæ conturbant illam provinciam. Nam possibile est quod nobilis regina Angliæ, soror Cæsaris, habeat evangelium in lingua triplici exaratum: scilicet in lingua Bohemica, Teutonica, et Latina; et hæreticare eam propterea foret Luciferina stultitia. Et sicut Teutonici volunt in isto rationabiliter defendere linguam propriam; sic et Anglici debent de ratione defendere linguam suam."

A. D. MCCCXC. JOHANNES GANDAVENSIS, DUX LANCASTRIÆ.

"Parlamento Richardi II. regis Angliæ temporibus habito, libellus exhibitus est de tollendis Bibliis in linguam Anglicanam translatis: qui a nobilibus et inferioris domus congregatione prorsus rejectus est. Et acriter respondit Johannes dux Lancastriæ in hanc sententiam: Nolumus fæx esse omnium hominum; quandoquidem aliæ nationes legem Dei (quæ nostræ fidei lex est) sua lingua exaratam habent: idque magno interposito jurejurando, (ut habet historia) adversus eos asseruit, quicunque tandem essent, qui libellum istum primi porrexerunt. Addiderunt alii: Si evangelium in lingua Anglicana admissum hominibus errandi ansam sit præbiturum; scitote inter Latinos plures inveniri hæreticos, quam ex alia quacunque lingua. Decreta namque sexaginta sex hæreticos Latinos recensent[i]."

[g] Ex fragmento libri cujusdam Wigorniensis ecclesiæ citat. a Matth. Parkero in Cantuariensium archiepiscoporum historia, pag. 310. et Jo. Fox. Act. et monument. pag. 467.

[h] Citante Jo. Husso in replica contra Jo. Stokes.

[i] Historiam hanc transtulit Jo. Foxus in præfationem a se præfixam evangeliorum Saxonicorum editioni, anno 1571.

A. D. MCCCC. RADULPHUS DE RIVO, TUNGRENSIS DECANUS.

"Cavendum[k] est ne maledictionem incurramus prophetæ, dicentis: *Maledictus*[l] *omnis, qui opus Dei facit negligenter.* Dignum quippe est, ut mens nostra concordet cum voce, quando ad divinum opus assistimus; et cum diligentia a præsentibus universis quisque se retrahat, et divinis inhæreat, ut cœlestia ei dona revelentur."

A. D. MCCCCI. MCCCCVII. MCCCCIX. RICHARDUS HAMPOLE, ET ALII.

Anno MCCCCI. Gulielmus Butler Franciscanus scripsit Determinationis nomine libellum contra translationem (Wiclevianam, uti nos docet Jamesius libro De corruptione patrum[m]) Scripturæ in linguam vulgarem[n]: postquam esset in Anglia, ut testis est Purvæus, generale mandatum ut combureretur. Extat adhuc libellus iste Oxonii in Mertonensis collegii bibliotheca[o]. Ex eo sequens fragmentum desumptum est: "Nec debent prælati hoc admittere, quod singuli ad libitum eorum legant Scripturam in Latinum translatam; quia, sicut experientia satis docet, hoc fuit multis modis occasio incidendi in hæreses et errores. Non est ergo politicum, ut quicunque ubicunque quandocunque voluerit, se det ferventi studio Scripturarum." Eodem[p] fere tempore Scillius quidam fraterculus, coram Londinensi episcopo ad crucem Paulinam contra easdem translationes concionem habuit; cui alii se opposuerunt, verba illa Pauli ad Elymam Magum, Act. cap. XIII. de fratre Scillio usurpantes: "O plene omni dolo et omni fallacia, quare episcopum a

[k] Radulphus de Rivo De canonum observantia, proposit. 9.

[l] Jerem. cap. 17. [m] Part. 2. loc. 24.

[n] Jo. Lelandus in opere De viris illustribus, et eum secutus Balæus, cent. 7. cap. 39.

[o] Vol. 143.

[p] Ex Foxi præfatione in Evangel. Saxon.

vera fide avertere conaris?" Objiciebatur etiam ei cum aliorum doctorum authoritas, tum Richardi Hampul Eremitæ, qui Psalterium in linguam Anglicanam transtulit, et in versum illum Davidis: "Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque;" judicium suum de necessitate Scripturarum vernacularum proposuit. Tandem vero anno MCCCCVII. (sic, opinor, Fox loco citato; at Matthæus Parkerus[m] ad annum MCCCCVI. refert; Linvodus[n] vero ad annum MCCCCVIII.) in concilio Oxonii habito Thomas Arundel archiepiscopus Cantuariensis, quem ante annos tredecim piæ reginæ in Scriptura vernacula perlegenda diligentiam prædicasse audivimus, pro authoritate sua controversiam diremit: septimam ibi constitutionem in hæc verba sanciens: "Periculosa[o] res est (testante B. Hieronymo) textum sacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eo quod in ipsis translationibus non de facili idem sensus in omnibus retinetur; prout idem beatus Hieronymus, etsi inspiratus fuisset, se in hoc sæpius fatetur errasse. Statuimus igitur et ordinamus, ut nemo deinceps textum aliquem sacræ Scripturæ authoritate sua in linguam Anglicanam vel aliam transferat, per viam libri vel libelli aut tractatus, nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus aut tractatus, jam noviter tempore Johannis Wickliff, sive citra, compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub pœna majoris excommunicationis; quousque per loci diocesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale, ipsa translatio fuerit approbata. Qui vero contra hoc fecerit, ut fautor hæresis et erroris similiter puniatur." Ex eo, quod in hac constitutione dicitur, *noviter compositus* colligit Guilielmus Lindwodus[p], quod "libros, libellos, vel tractatus in Anglicis vel alio idiomate prius translatos de textu Scripturæ legere non est prohibitum." Unde intelligimus ante Wiclevi tempora Scripturas in linguam ver-

[m] Hist. archiep. Cantuar. pag. 310. in margine.
[n] Constitut. 2. de clericis peregrinis.
[o] Concil. Labb. tom. 11. pag. 2095.
[p] Provincial. lib. 5. titulo de magistris, edit. ann. 1429.

naculam translatas extitisse; neque etiam earum lectionem prohibitam esse[q], quod quantopere a subsequentium temporum moribus alienum fuit, ex hujus historiæ serie post apparebit. Et de constitutione quidem Thomæ Arundelii satis: de cujus vitæ exitu ita scribit Thomas Gascoign[r] in dictionario suo theologico MS. anno MCCCCXIV. "Thomas Arundel Cantuarensis archiepiscopus sic lingua percussus erat; ut nec deglutire, nec loqui per aliquot dies ante mortem suam potuerit, divitis epulonis exemplo, et sic tantum[s] obiit. Atque tunc multi fieri putabant; quia verbum alligasset, ne suo tempore prædicaretur." Hisce etiam temporibus Alexander V. Scripturas in sermonem vulgarem translatas damnasse dicitur; de[t] quo prophetiam edidisse fertur Jacobus de Theramo[u]; "quod anno Domini MCCCCIX. surget unus, qui evangelium et epistolas et fidem Christi persequetur." Nota hic tempus ingredientis erroris, idque cum contradictione.

A. D. MCCCCX. ANGLUS ANONYMUS.

In[w] bibliotheca collegii S. Benedicti Cantabrigiensis habetur transcriptum determinationis cujusdam doctoris in sacra theologia, contra eos qui dicunt nefas esse habere S. Scripturam aut alios libros in lingua Anglicana. Tractatus iste a Johanne Foxo evulgatus est in prima Actorum et Monumentorum editione[x] titulo "Brevis antiqui tractatus demonstrantis S. Scripturam in lingua Anglicana habendam esse." Initium ejus Latine versum subjiciam: "Contra illos, qui dicunt S. Scripturam Anglice vertendam non esse, ejusmodi argumenta proferam, &c. Sanctus etiam Paulus in prima ad Corinthios epistola capite decimo quarto dicit: *Vellem vos omnes peregrinis loqui linguis,*

[q] Vid. dialog. Tho. Mori, lib. 3. cap. 16. cum respons. Tindalli.

[r] Citat. a Fox in Act. et Monument. pag. 541. et Matth. Parker, hist. arch. Cantuar. pag. 311.

[s] *Tandem* legendum videtur. [t] Balæus, centur. 7. cap. 39.

[u] Jo. Huss. in concilio Constantiensi, tom. 4. concil. edit. Venet. pag. 320.

[w] Vid. Jamesii Eclogam Oxon. Cantab. par. 1. pag. 82. b.

[x] Pag. 452.

sed magis ut vaticinemini. Dicit etiam: *Orabo spiritu, orabo et mente ;* id est, cum affectu et intellectu. Idque multo satius est quam devotionem in verbis tantum non in intellectu habere. Istud quinetiam textus demonstrat, istiusmodi verba subjiciens: *Quomodo ille dicit Amen super benedictionem tuam, qui quid dicis non intelligit ?* His addi potest doctoris Lyrani sententia; Si populus intelligat orationem seu benedictionem sacerdotis ; melius reducitur in Deum, et devotius respondet Amen. Sacra Scriptura itaque in Hispanicam, Gallicam, et Germanicam linguam conversa est; atque aliæ gentes Bibliam in vernacula lingua legunt," &c.

Huic affine docet lacerum quoddam bibliothecæ Wigorniensis fragmentum[y] circa idem tempus scriptum: quod Latine pariter conversum repræsentabo: " Auditum est a Germano quodam fide digno, olim Belgam, cui nomen erat Jacobus Merland, integram Bibliam Belgice vertisse. Propterea interpres magno a quibusdam odio habitus sese coram papa judicandum sistere jussus est, liberque examini submissus; qui tandem magnopere approbatus, illi in manus remissus est ad inimicorum confusionem. Quin et venerabilis Beda Spiritu Dei inductus, Bibliam, saltem majorem ejus partem, in linguam Anglicanam transtulit: cujus versionis exemplaria adhuc in multis Angliæ monasteriis supersunt. Porro Cestrensis libro quinto, capite vigesimo quarto, Evangelium Johannis Anglice ab eodem Beda conversum esse prodit: quod quidem evangelium Johannis, aliaque evangelia multis in locis adhuc asservantur, in vetustam Anglicæ linguæ dialectum conversa, quam vix ullus hodie Anglus perlegere potest, &c. Præterea penes civem quendam Londinatem, nomine Wering, Biblium erat in septentrionalem Angliæ dialectum redditum; quod a multis inspectum est, et ducentorum annorum ætatem præ se tulit, &c. Adhæc magnus ille theologus Lincolniensis in sermone, cui initium est, *Scriptum est de Levitis,* hæc

[y] Anglice tantum fragmentum istud (pariter ac superius) dedit Usserius, adeoque quæ inibi reperies aliorum fragmenta, non sunt authentica, sed ex versione Wartoni.

habet: *Si quis sacerdos se prædicare non posse dicat; unum præsto est remedium, ut beneficium suum abdicet: alterum (si forte istud nolit) ut singulis septimanis nudum evangeliorum Dominicalium textum perdiscat; eumque plebi suæ enarret*, &c. Itidem vir genere nobilis Richardus Hampole Psalterium Anglice convertit, et prolixa satis glossa illustravit, &c. Frater autem Scillius, qui coram episcopo Londinensi centenisque aliis auditoribus dixit, Hieronymum agnovisse se S. Scripturam vertendo errasse, similis est Elymæ, qui episcopum seu judicem a fide avertere conatus est, &c. Multis etiam constat, tempore Richardi regis (cujus animæ propitius sit Deus) libellum parlamento oblatum esse duorum archiepiscoporum totiusque cleri assensu, ad abrogandam Bibliæ aliorumque librorum evangelicorum versionem Anglicam. Denique Thomas Arundel, qui sedi Cantuariensi nunc præest, in ecclesia Westmonasteriensi, frequenti auditorum turba præsente, in exequiis Annæ reginæ concionatus est," &c.

A. D. MCCCCX. JOHANNES HUSS, ET BOHEMI.

De Johanne Husso ita scribit Johannes Cochlæus: "Instituit pellifices, sartores, sutores, et id genus alios mechanicos; qui crebris concionibus operam dantes, et sacras literas in vernaculam linguam translatas fervide legentes, cum sacerdotibus coram plebe disputarent. Et non solum viri, sed et Beguttæ aliæque mulieres, eo audaciæ et inverecundiæ proruperunt, ut de sacris literis disserere, et presbyteris certamina movere præsumerunt."

A. D. MCCCCXVI. RADULPHUS MUNGINUS.

In[z] synodo Londini habita sub Henrico Chichesley, Cantuariensi archiepiscopo, Radulpho inter alia objectum est, quod evangelia Johannis Wickleffi in civitate Londi-

[z] Fox, pag. 590.

nensi sparsisset; unde ad perpetuos carceres ab archiepiscopo damnatus est. Ibidem ad palinodiam adactus est J. Gallus presbyter Londinensis, quod librum Anglicum qui Novæ Legis inscriptus erat, habuisset[a].

A. D. MCCCCXX. JOHANNES PURVEY.

Ex[b] libello ejus sententias sequentes ut hæreticas et erroneas collegit adversarius ejus Richardus Lavinham Carmelita, quas MSS. habeo, "Christianus populus habet grandem causam refutandi leges et statuta mundialium clericorum, qualia vocat leges papales et episcopales factas propter cupiditatem et voluptatem: sine quibus Ecclesia possit currere secure versus cœlum per jugum suave mandatorum Domini; sicut fecit per mille annos, antequam dictæ leges mitterentur universitatibus; et retraxerunt homines a sacra Scriptura propter cupiditatem beneficiorum et bonorum sæcularium." Item: "Simplices homines recipiunt reverenter sententias doctorum, et alias leges, in quantum fundantur super Scripturam sacram expresse vel bonam rationem. Cum autem leges paparum et suorum insciorum clericorum sint contrariæ sibi ipsis, absque fundamento Scripturæ vel rationis; debent simplices homines permittere eas ire dormitum."

Circa hoc tempus claruit Lupus de Oliveto; quem vide in Regula monachorum[c], rem fuse persequentem. Pauca quædam describam: "Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. —— Orationi lectio, lectioni succedat oratio. —— Crebrius lege, et disce quamplurima; et tenente te codicem somnus obrepat, &c. Quotidie de Scripturis sanctis aliquid dicatur. —— Sæpe in manibus tuis divina sit lectio, et crebræ orationes. —— De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum. Illud pensum Domino tuo redde. —— Scientia pietatis est, nosse legere Scripturas, prophetas intelligere, in evangelio credere, apostolos non ignorare.

[a] Ex registro Henrici Chichesley. [b] Fox. pag. 503.

[c] Cap. de contemplat. orat. de lectione, tom. 9. Operum Hieron. edit. Victorii.

Nec putemus in verbis Scripturarum esse evangelium, sed in sensu: Non in superficie, sed in medulla: Non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Si quid autem ignoras, si quid de Scripturis dubites, interroga eum; quem vita commendat, excusat ætas, fama non reprobat, &c. Quæ enim potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei nosse prudentiam?"

A. D. MCCCCXXV. VALENTINI IN HISPANIA.

"Fuit centum et triginta abhinc annis plus minus versa S. Scriptura in Valentinam linguam:" ait Fridericus Furius Valentinus in Bononia sua, quam anno MDLV. edidit.

A. D. MCCCCXXIX. NORWICENSES.

Guilhelmus Wrightus coram Norwicensi episcopo jurejurando interposito confirmavit, quod I. Richardus Fletcher de Beckles Anglice habuit librum Novæ Legis, qui prius Hugonis Pii fuerat. II. Nicolaus Belwardus novum Testamentum habuit, quod Londini pretio quatuor marcarum et quadraginta denariorum, quo pretio nostris temporibus quadraginta ejusmodi libri coemi possunt, sibi comparavit; eundemque Wrightum et uxorem ejus per anni spatium docuit, et novo Testamento diligenter studuit. III. Hugo Pius testamento legavit Aliciæ ancillæ W. Whiti novum Testamentum (quem librum Novæ Legis tum appellabant) quod in custodia extitit Oswaldi Godfrey Colcestrensis[c].

A. D. MCCCCXXIX. ALEXANDER CARPENTARIUS.

"Quod[d] considerans B. Augustinus in epistola ad Julianum comitem ita scribit: Grandis (inquit) confusio est animabus laicorum, qui dicunt, Quid pertinet ad me libros

[c] Ex registro Norwicensi. Fox. pag. 611.
[d] In Destructorio vitiorum, part. 4. cap. 40.

Scripturarum legendo audire vel discere; vel etiam frequenter ad sacerdotes et ad ecclesiam sanctorum recurrere? Cum clericus fiam, ea quæ oportet clericus facere, faciam. Sed quare non intelligit, quia panem et vinum atque alia hujusmodi terræ bona, et regni felicitatem æqualiter vult participare, et æquali labore jugum Christi ferre non vult. Et sequitur: Similiter enim mandata Dei servantibus laicis cœleste palatium patet, veluti et clericis. Item Augustinus super Johannem Homilia 51. Cum auditis (inquit) fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit;* nolite tantummodo bonos episcopos et clericos cogitare: sed etiam vos laici pro modo vestro ministrate Christo bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen et doctrinam ejus quibus potueritis prædicando: ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere, pro Christo et pro vita æterna suos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam et exerceat disciplinam: et ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale impleat officium ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Item idem super Psalmum quinquagesimum: Quomodo (inquit) ad nos pertinet loqui vobis in ecclesia; sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis subditi sunt. Item idem in epistola ad Julianum comitem: Quæso (inquit) mi frater; quæso omnibus tibi subjectis, et bonæ voluntatis, in domo tua a majore usque ad minorem, amorem et dulcedinem regni cœlestis, amaritudinem etiam et timorem gehennæ annuncies; et de eorum salute sollicitus atque vigil existas, quod pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. Annuncia, præcipe, impera, suade eis, ut caveant a superbia, a detractione, ab ebrietate, a fornicatione, a luxuria, ab ira, et a perjurio, a cupiditate, quæ est radix omnium malorum. Hæc ille: unde dicit Apostolus 1 Timothei cap. V. *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet; fidem negat, et est infideli deterior.* Unde, sicut narrat Eusebius[d]

[d] In de Ecclesiasticis historiis lib. 2. cap. 15.

Marcus[c] evangelista Romæ scripsit evangelium Christi: et ad preces et rogationes populi illius tradidit; qui exorabat, ut ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam Scripturæ traderet, quo domi forisque in hujuscemodi verbi meditationibus permanerent. Quo audito Petrus gavisus est de fide illorum, per hoc devotionem eorum considerans; factumque confirmat, et in perpetuum legendam Scripturam eis tradidit. Hæc ibi. Item laici adulti, ut patet ex supradictis, tenentur sub pœna mortis æternæ scire orationem Dominicam et salutationem angelicam, et præcepta decalogi; et omnia hæc continentur in evangelio. Erubescant igitur infideles hæretici, et Christianæ fidei inimici, qui dicunt, quod laici non tenentur scire, addiscere, aut cognoscere, vel se intromittere de evangelio Christi. Nam idem est sic dicere et asserere, quod laici non debent Christum cognoscere, sed semper manere ut Judæi et pagani sine veritatis notitia. Unde apostolus 2 Corinth. cap. IV. *Si opertum est evangelium; in his qui pereunt est opertum; in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut fulgeat illuminatio evangelii gloriæ Christi.* Item Hieronymus, et ponitur in ca. dist. 39. Si juxta. *Si juxta* (inquit) *apostolum Paulum Christus Dei virtus et Dei sapientia est; ignoratio ergo Scripturarum est ignoratio Christi.* Sed quam periculosa sit ista ignoratio, ostendit beatus Bernardus; et ponitur sexto Florum, capite 26. ubi sic scribit: Omnis (inquit) peccati consummationem parit desperatio: desperatio de Dei ignorantia venit. Si enim nos Dei ignorantia tenet; quomodo sperabimus in eum quem ignoramus? Scimus autem desperatis partem vel societatem non esse in sorte sanctorum, &c. Item Gregorius, et ponitur in ca. dist. 38. Qui ea. Qui ea (inquit) quæ Dei sunt, sapiunt, sapiuntur a Domino: et qui ea quæ Dei sunt, nesciunt, nesciuntur a Domino: Paulo testante, qui ait: *Si quis ignorat, ignorabitur:* et quicunque stultus est in culpa, sapiens erit in pœna. Hæc ibi. Laici igitur informandi

[c] Eadem habet Beda, prolog. in comment. in Marc.

sunt per sacerdotes, quod libenter Scripturam sacram audiant, et humiliter addiscant; et cum omni humilitate, timore, et reverentia, de veritate, quam addidicerunt et clare intelligunt, loquantur, et non pompent de illis, quæ sciunt, nec alios ignorantes despiciant, nec arroganter putent se scire quæ forte nesciunt nec intelligunt."

A. D. MCCCCXXXVIII. BOHEMI, THABORITÆ.

Ex petitionibus[f], quas regni Bohemiæ oratores hoc tempore Basileensi synodo proposuerunt, septima his verbis concipitur: " Quatenus vestræ paternitates dignentur permittere ad minus evangelia, epistolas et symbolum in vulgari in missis et ecclesiis coram populo ad excitandam devotionem libertari, legi et decantari. Nam in nostro linguagio Sclavico ex indulto ecclesiæ olim ab antiquo in vulgari suo exercetur, etiam in nostro regno." Unde et ad nostra usque tempora Bohemorum sacerdotes in sacrificiis epistolam et evangelium lingua domestica canunt; et huic consuetudini pertinacissime adhærent; asserentes se illud literis concilii Basileensis, quas vocant Pactionis, confirmatum et approbatum habere: quemadmodum testatur Johannes Slechta Bohemus in literis ad Erasmum Roterodamum anno MDXIX. datis[g]. Huc etiam pertinet sententia illa Æneæ Sylvii[h], qui concilio Basileensi interfuit: " Pudeat Italiæ sacerdotes; quos ne semel quidem Novam Legem constat legisse: apud Thaboritas vix mulierculam invenias, quæ de novo Testamento et veteri respondere nesciat." Isti vero nec quicquam furente antichristo ad nostra tempora duraverunt, fideique suæ confessionem[i] nobiscum ediderunt, in cujus primo capite ita legimus: " Unusquisque divina sanctorum prophetarum et apostolorum scripta maximi facere, eisque in omnibus fidem prorsus habere, religioseque assentiri, dili-

[f] In Orth. Gratii Fasciculo rerum expetend. fol. 160. b.
[g] Lib. 14. epistolarum Erasmi.
[h] Comment. de dictis et factis Alfonsi R. lib. 2.
[i] In Harmonia confess. sect. 1.

genter ea legere, salutarem doctrinam ex his assumere, et secundum hæc se instituere et dirigere debet; et imprimis ii, qui sanctæ Ecclesiæ Dei præpositi sunt. Quibus de causis in nostris ecclesiis et conventibus hæc sacra Scriptura auditoribus communi et vernacula lingua, quam universi intelligunt, recitatur," &c. Illud vero, quod de Italiæ sacerdotibus narrat Sylvius, nequaquam mirum videri debet: cum de Sorbonistis sui temporis referat Robertus Stephanus, interrogatos[k] a se quo loco novi Testamenti aliquid esset scriptum, respondisse, se illud apud Hieronymum, aut in Decretis legisse; quid vero novum Testamentum esset, ignorare. Item alium ejusdem Sorbonæ theologum subinde dicere solitum: "Miror quod isti juvenes allegant nobis novum Testamentum; per diem, ego habebam plusquam quinquaginta annos, quod nesciebam, quid esset novum Testamentum[l]."

A. D. MCCCCXL. HENRICUS VI. REX ANGLIÆ.

De eo Johannes Blackman Carthusianus in collectario mansuetudinum et bonorum morum regis Henrici VI. "Aut in orationibus, aut in Scripturarum vel chronicarum lectionibus, assidue erat occupatus; ex quibus non pauca eloquia hauserat ad ipsius aliorumque consolationem spiritualem. ——Nonnullis etiam solebat clericis destinare epistolas exhortatorias, cœlestibus plenas sacramentis et saluberrimis admonitionibus, in stuporem multorum. —— Cæteros dies (scilicet minus solemnes) aut in regni negotiis cum consilio suo tractandis, prout rei exposcerat necessitas, vel in scriptis aut chronicis legendis, non minus diligenter expendit. Unde et de eo testatus est mihi quidam honorandus quondam sibi Camerarius fidelissimus, dominus Richardus Tunstall, verbis et scriptis suis testimonium de eo dedit dicens; In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte. In hujus etiam rei testimonium ipse

[k] Respons. ad Theologorum Paris. censuras, edit. Genevæ anno 1552.

[l] Vide Hyperium de Scripturæ lectione quotidiana, lib. 1. pag. 123. et Espensæum in epist. ad tit. pag. 105.

dominus rex graviter conquestus est mihi in camera sua apud Eltham, quando solus cum eo ibidem essem in sanctis suis libris cum eo laborans, ejus salubribus monitis et profundissimæ devotionis suspiriis intendens; dato pro tunc interim sono super ostio regio a quodam potentissimo regni duce; rex ait: Sic inquietant me, ut vix raptim per dies et noctes valeam sine strepitu aliquorum sacrorum dogmatum lectione refici. Simile etiam quoddam huic semel contigit, me præsente, apud Wyndesor."

A. D. MCCCCXL. JOHANNES II. LEGIONIS ET CASTELLÆ REX.

" Scripturis[m] sacris delectabiliter vacabat; adeo ut plerunque nocumento foret, quod plus quam regi expediret, lectioni operam daret." " Audio[n] Biblia Castiliana lingua jussu regis Johannis II. olim reddita, adhuc extare."

A. D. MCCCCL. REGINALDUS PEACOCK, CICESTRENSIS EPISCOPUS.

Vide Stow.

A. D. MCCCCL. ALPHONSUS V. COGNOMENTO MAGNANIMUS, ARAGONIÆ, SICILIÆ, ET NEAPOLIS REX.

" Gloriatum[o] assidue regem scimus, quod Biblia quater et decies cum glossis et commentariis perlegisset: proinde illa memoria ita tenere, ut non solum res sed et verba etiam ipsa pluribus locis sine scripto redderet." Hæc Antonius Panormita, libro secundo de dictis et factis Alphonsi; in quem Jacobus Spiegelius, " Mirum est," inquit, " tantopere delectatum occupatissimum regem toties repetita lectione sacrorum voluminum." Gene-

[m] Rodericus Sancius, hist. Hispan. par. 4. cap. 34.

[n] Conradus Gesnerus in partitionib. Theolog. lib. ult. Pandect. tit. 2. fol. 15. a.

[o] Vid. Espensæum, apud Morton. par. 2. pag. 63.

brardus libro quarto chronographiæ suæ anno Christi MCCLXI. annotat, Alphonsum X. cognomento Sapientem, quaterdecies universa Biblia cum suis glossis inter tot negotia legisse. Sed quod de Alphonso Aragonum rege est dictum, perperam ille transtulit ad Alphonsum Castellæ et Legionis regem, qui astronomicas tabulas ad annum MCCLII. edidit. Porro nec id omittendum est, quod in ultimo libro Pandectarum Gesneri[p] legimus, per Alphonsum Aragonum regem proverbia Solomonis Hispanice esse reddita; necnon Johannem Aragonum regem, quem Alphonsi V. fratrem et in regno anno MCCCCLVIII. successorem intelligo, quem ut Christianæ religionis præcipuum assertorem prædicat Franciscus Tarapha et L. Marineus Siculus, inter divinæ Scripturæ translatores numerari a Sixto Senensi[q], et Antonio Possevino[r].

A. D. MCCCCLX. DIONYSIUS CARTHUSIANUS

In 1 Corinth. cap. XIV. "*Si tu benedixeris spiritu*, id est, non verbis, quæ ab aliis intelligantur, sed tantum lingua."

A. D. MCCCCLXX. DALMATÆ.

Paulus II. concedit illis, "Ut divinas preces sua celebrent lingua[s]."

A. D. MCCCCLXXVIII. LUDOVICUS XI. FRANCORUM REX.

Quemadmodum[t] jus unum per totam Galliam lingua vulgari comprehensum constituere proposuerat, si vita superesset; ita illud effecisse videtur, ut jus divinum lingua vernacula expositum ad communem omnium usum ederetur. Johannes enim Lambertus in responsione ad vicesimum sextum articulum episcoporum Angliæ, quam anno MDXXXII. edidit, asserit quinquaginta quatuor ad mini-

[p] De Theol. tit. 2. sect. 6. pag. 26.
[q] Biblioth. sanct. lib. 4.
[r] Biblioth. select. lib. 2. cap. ult.
[s] Victorius in Indice in 6. posterior. tomos Hieronymi, verb. Illyricum.
[t] Jo. Tilius in chronic. reg. Franc.

mum annos Biblia in sua lingua habuisse Gallos, cum regis Francorum atque etiam imperatoris privilegio; quæ quidem Ludovici regis rogatu translata fuerint, quantum ex privilegio meminit, quod in libri frontispicio cernebatur.

A. D. MCCCCLXXXIII. CAROLUS VIII. FRANCORUM REX, ET JOHANNES DE RELY.

Genevenses, in præfatione ad suam Bibliorum versionem Gallicam, notant Carolum ejus nominis octavum curasse, ut novum Testamentum in linguam Gallicam transferretur. Similiter Antonius Verderius in bibliotheca Gallica[u], "Par apres et du regne de Charles VIII. Jean de Rely chanoine de Nostre Dame de Paris en feit une translation en meilleur langage, toutesfois encores rude[x]."

A. D. MCCCCLXXXV. RICHARDUS HILMINUS.

Ad Johannem Coventriensem et Lichfeldiensem in Anglia episcopum delatus est; quod orationem Dominicam, salutationem angelicam, et symbolum in lingua Anglicana habuerit; itemque alium librum, qui epistolas et evangelia Anglice continebat, viderit et habuerit; asserens se secundum illa victurum, indeque salutem expectare[y].

A. D. MCCCCXCVI. JO. FRANCISCUS PICUS MIRANDULA.

"Ad[z] hanc notitiam divinorum capessendam veteres theologi omnes exhortantur. Huic juniores, Innocentius, Joannes Gerson, aliique nonnulli assidue monent incumbendum: et non modo his qui ex officio ad id negotii sunt obnoxii, ut sacerdotes et clerici; sed omnibus cujuscun-

[u] Tit. Bibles, pag. 137.

[x] "Postea etiam regnante Carolo VIII. Johannes de Rely, ecclesiæ Cathedralis Parisiensis canonicus, meliori stylo, rudiusculo tamen adhuc, versionem adornavit." De Johanne de Rely vide Verderium, pag. 751.

[y] Ex registro Diœceseos. Fox. pag. 714.

[z] Jo. Franc. Picus Mirandula, De studio divinæ et humanæ philosophiæ, lib. 2. cap. 1.

que gradus et ordinis extiterint. Et jure quidem; quoniam nullus ab hoc officio immunis est, quod scilicet pro sua ingenii viriumque facultate et sibi et aliis non debeat esse adjumento."

"In[a] iis itaque divinarum literarum testamentis quærenda est veritas, quæsitu proculdubio facilis, &c. Nullus sexus excluditur; et anus decrepita et puer ejus rei tam capaces, quam est satis ad fœlicitatem."

A. D. MD. GEORGIUS FLORUS BALDINUS.

"Quomodo[b] se a Deo exaudiri postulat; qui seipsum non audit, et quid loquatur ignorat? Nunquam enim orare dicitur, qui flexis genibus orat; si vagatione distrahatur. Nihil igitur aliud cogitare debet animus orantis, quam quod precatur."

A. D. MDVI. JOHANNES TRITHEMIUS, SPANHEIMENSIS ABBAS

In epistolis familiaribus[c] hanc cujusdam sententiam citat:

Nil homini melius, quam si divina legendo:
Figat ibi mentem, quo sibi vita venit.

Libri secundi epistola prima ad Jacobum Trithemium fratrem suum, ita de divina Scriptura scribit: "Mirabilis iste fluvius est, in quo simplex et sine literatura Christianus, pedibus (ut ita dixerim) siccis ad salutem securus transire poterit; et magnus subtiliterque literatus et natare potest sobrie sapiendo, et si nimium scrutatus fuerit, submergi. Habet enim in publico, unde parvulos nutriat; et servat in occulto, unde mentes sublimium in admirationem ducat."

Idem etiam studium Scripturarum a multis sui temporis sacerdotibus et claustralibus omnium pene regularum con-

[a] Jo. Franc. Picus Mirandula, Exam. vanit. Gent. lib. 2. cap. 37.
[b] Georg. Flor. Baldinus, in Compendio de oratione et precib.
[c] Lib. 2. epist. 28.

temptum queritur. Atque inde de sacerdote quodam Curiensi fertur[c]; quod circa hæc tempora prophetico quodam spiritu crebro sacrificulis dictitare solitus sit; "Vos jam Paulum sub scamnum abjecistis; veniet aliquando tempus, cum ipse inde prorepens, vicissim vos sub scamnum protrudet."

A. D. MDXII. JACOBUS FABER STAPULENSIS.

"Maxima[d] pars hominum, cum nunc orat, nescio si spiritu, tamen mente non orat: nam in lingua orat, quam non intelligit. Attamen maxime Paulus probat, ut fideles pariter spiritu orent et mente; et qui sic, ut passim solent, orant, parum se oratione ædificant, et alios nequaquam suo sermone ædificare valent."

A. D. MDXV. VALENTINI IN HISPANIA.

"Quadraginta aut circiter abhinc annis," inquit Frid. Furius in Bononia anno MDLV. edito, "sacra Scriptura Valentinis literis impressa fuit: quam populo interdixit inquisitorum, quos vocant, societas et ordo hoc nomine: quod Judæi aliquot, qui de centum et viginti millibus ex Hispania exactorum supererant, dicerent, se intelligere ipsos ritus, cæremonias et sacrificandi genus ab ipsis Bibliis desumere. Itaque ita vetitum est eam legi; ut iis qui originem nullam a Judæis haberent, legi liceret, aliis non item. Idem in universa Hispania cautum est: habebant enim fere reliquæ Hispaniæ nationes etiam Biblia, in suam quæque linguam versa." Hactenus Frid. Furius Valentinus. At alii ex pontificiis multi reperiuntur; qui Ferdinandi et Elizabethæ Hispaniæ regis ac reginæ, edictum magnopere laudant, quo sub gravissimis pœnis prohibuerunt: "Ne quis sacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab aliis translatas quoquo pacto retineret[e]. Sed quantopere ab

[c] Illyricus in catal. Test. verit. ex relatione Nicolai Medleri.

[d] Jacobus Faber. Stapulensis in 1 Corinth. cap. 14.

[e] Alphonsus de Castro De hæres. lib. 1. cap. 13. Claud. Coussord. in confutat. error. Valdens. cap. 23. Hardingus, artic. 15. sect. 13. et Jac. Ledesima, cap. 18.

antiquo Justiniani imperatoris decreto, quod supra in Hebræorum sententiis produximus, distet, consideret æquus lector. Sed et his temporibus Michael Adam Judæus conversus Biblia vertit in linguam Germanicam, et in usum Hebræorum characteribus Hebraicis expressit[f]. Liber precationum anniversariarum secundum usum Hebræorum in Germania, Germanice, sed literis Hebraicis, habetur in bibliotheca Bodleiana.

A. D. MDXV. ERASMUS ROTERODAMUS.

"Legant[g] et idiotæ legem Domini quacunque lingua, legant et Scythæ; meditentur in ea pro sua virili: scrutentur pro suo quisque captu; de hac inter se confabulentur, de hac colloquantur, &c. At nunc sunt, qui summopere cavendum putant, ne quid vulgus attingat de sacris literis in popularem versis linguam: clamant eos nihil intelligere, prolabi in hæreses. Quasi vero ea sit doctrina Christi, ut non nisi a paucis theologis possit intelligi. Immo ut ipso Christo nihil fuit communius, ita doctrina illius nihil populari us. Legat arator; erit quo pascatur: legat eruditissimus; erit quod discat, &c. Verum enimvero vereor, ne isti qui velint populum nihil attingere, non tam periculo commoveantur illorum quam sui respectu; videlicet ut ab ipsis solis velut ab oraculis petantur omnia. Quid hac de re scriptum est? Hoc scriptum est. Quem habet sensum, quod scriptum est? Sic intellige, sic senti, sic loquere. Atqui isthuc est bubalum esse non hominem. Fortassis movet et hoc nonnullos, quoniam animadvertunt divinas Scripturas parum quadrare ad vitam suam: malunt eas antiquari, aut certe nesciri, ne quid hinc jaciatur in os. Et ad humanas traditiunculas populum avocant; quas ipsi ad suam commoditatem probe commenti sunt." Hæc ante exortum Lutheri Erasmus. Et quidem Lovanienses theologi in expurgatione operum[h] ejus a Belgicis censoribus

[f] Sixtus Senensis, lib. 4. biblioth. et Eisengrenius in Catalogo test. verit
[g] Erasmus Roterodamus in enarratione 1. Psalmi, tom. 5. oper. pag. 183,
[h] In Indice expurgat. excus. Antwerp. 1571.

comprobata locum hunc intactum reliquerunt. Sed Hispani censores, oculatiores paulo, in Indice librorum[h] expurgatorum Gasparis Quirogæ cardinalis et Toletani archiepiscopi jussu edito, eum integrum delendum censuerunt.

Idem in præfatione ad lectorem, paraphrasi in Matthæum præfixa. "Cur indecorum videtur, si quisquam sonet evangelium ea lingua, qua natus est, et quam intelligit: Gallus Gallica, Britannus Britannica, Germanus Germanica, Indus Indica? Mihi magis indecorum vel ridiculum potius videtur; quod idiotæ et mulierculæ, psittaci exemplo, psalmos suos et precationem Dominicam Latine murmurant; quum ipsæ, quod sonant, non intelligunt. Ego cum D. Hieronymo sentiens, citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cum primis ac triumphale dixerim, si linguis omnibus ab omni hominum genere celebretur. Si stivam tenens arator aliquid sua lingua decantat e Psalmis mysticis. Si textor assidens telæ, nonnihil ex evangelio modulans, soletur laborem. Hinc nauclerus affixus clavo cantillet aliquid. Denique ad colum sedenti matronæ sodalis aut cognata hinc recitet aliquid." Nec hunc locum attingunt Lovanienses; sed inquisitores Hispani totam præfationem deleri jubent.

Hanc sententiam etiam tuetur Erasmus adversus Nicolaum Ecmondanum[i], adversus Natalem Beddam[k], adversus Petrum Sutorem[l], adversus theologos Parisienses[m], adversus Albertum Pium[n].

Idem: "Hac[o] in re mirum est, quomodo mutata est Ecclesiæ consuetudo. In templis enim multi clara voce sonant eas preces, etiamsi nihil intelligant."

[h] Excus. Madriti 1584.
[i] In epistola ad Nicolaum Everardum, oper. tom. 3. pag. 796.
[k] Tom. 9. operum, pag. 456, 457. 552, 553.
[l] Tom. 9. operum, pag. 783—786. 812.
[m] Tom. 9. operum, pag. 870, &c. 899, &c.
[n] Tom. 9. operum, pag. 1120. 1155. [o] Annotat. in 1 Cor. cap. 14.

A. D. MDXXIII. ADRIANUS VI. TRAJECTENSIS, PONTIFEX ROMANUS.

"Equidem uti neminem [ad Scripturarum studium] arctari intendo, ita multo minus omnes excusare possim, cum certum sit unumquemque ad tantam divinæ legis arctari notitiam, quanta possit actus suos pro qualitate personæ citra peccatum mortale dirigere. Et de pastoribus quidem, quos Dominus in Ecclesiam suam vocavit ad statum oculi, quorum est aliorum conscientiis et saluti consulere, non video qui sine damnabili culpa, omissa divinæ legis notitia, aliis intendant. Sed ita etiam unicuique laico peccatum, nisi invicem sibi in his quæ ad communem vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint. Viderint ergo etiam laici, ne apud districtum judicem censeantur oculos a proposito seu statuto declinare in terram; dum pro temporalium facultatum et honorum quæstu, divinis neglectis, humanis legibus ardentius invigilant, studiaque divina quam humana remissius attendunt; plus corporis quam animæ pabulo, profanis quam sacris Scripturis plus intendant. Non, inquam, video, quomodo Deum salutaris ejusdem Scripturæ inspiratorem super omnia diligant[p]."

A. D. MDXXX. BEATUS RHENANUS.

"Perpetua[q] laus Francorum veterum est, qui sacros libros in suam, hoc est, Germanicam linguam vertendos curarint: quod nuper a theologis quibusdam improbatum scimus." Hæc ille: "novatrice aura afflatus," ut veteratoria aura afflatus pronunciat Gretserus[r].

A. D. MDXXVI. JOHANNES AVENTINUS.

Annalium Boiorum libro quarto de sui temporis sacer-

[p] Citatur ab Espensæo comment. in Tit. cap. 2. pag. 254, 255.

[q] Beatus Rhenanus, lib. 2. rerum Germanicarum.

[r] Append. secunda ad librum 2. Bellarmini de verbo Dei, col. 1065. vid. et col. 840.

dotibus et monachis ita scribit : "Inter se mendacii silentium velut orgia quædam sanciunt; quibus cæteris veluti pueris ac infantibus more suo fabulis inludant. Quamobrem vel pro concione indignantur, irascuntur, insaniunt; si quis prophanus sacras literas, mandata Christi comitum, ejus doctrinam legerit. Timent talpæ, ne eorum cæcitas deprehendatur, et avaritia tenebræque luce appareant."

CAP. VI.

Contraria ecclesiæ pontificiæ praxis et sententia, et sæva orthodoxorum sacram Scripturam legentium persecutio, sæculo postremo.

A. D. MDVI. AMERSHAMENSES IN ANGLIA.

Ex his triginta, quod contra superstitionem et idololatriam loquerentur, et sacras Scripturas audire et legere desiderarent, sub Henrico Smithæo Lincolniensi episcopo, stigmata ferro candente dextris maxillis inusta pertulerunt; quemadmodum ex relatione illorum, qui tum adfuerunt, prodit Johannes Foxus[a].

A. D. MDXI. LONDINENSES.

Thomas Austius cum Joanna uxore, Thomas Graunt, Johannes Garterus, Christophorus Ravius cum sorore Dionysia, Thomas Vincentius, Ludovicus Johannes cum Joanna uxore, ad Ricardum Fitz-James Londinensem episcopum delati sunt; cum aliis de causis, tum quod libros quosdam fidei Romanæ Ecclesiæ repugnantes legerint: inter quos fuerunt quatuor evangelistæ, liber decem mandatorum Dei omnipotentis, apocalypsis S. Johannis, Pauli et Jacobi epistolæ[b]. Eodem anno ab eodem episcopo condemnatus et combustus in foro fabrili fuit die decimo octavo Octobris Jacobus Brewster; cui inter alia objectum est, quod libellum quendam Scripturæ, antiqua manu exaratum et præ vetustate fere detritum, habuerit[c].

[a] Pag. 710. [b] Fox, pag. 735.
[c] Ex registro Rich. Fitz-James. Fox, pag. 748.

A. D. MDXIV. RICHARDUS HUNNUS.

Huic coram Londinensi episcopo objectum est, quod libros lege prohibitos et damnatos secum retinuerit: nempe Apocalypsin, epistolas et evangelia in lingua Anglicana, &c. Post mortem etiam ejus ex prologo ipsius in Biblia sua Anglicana articuli isti excerpti sunt, et episcopi Londinensis Richardi Fitz-James jussu ad crucem Paulinam pro concione populo publice recitati; I. " Quod pauperes et idiotæ veritatem sanctarum Scripturarum magis habeant; quam mille prælati, monachi, aut clerici scholastici. II. Defendit translationem S. Scripturæ in linguam Anglicanam; quod matris nostræ sanctæ Ecclesiæ legibus est prohibitum[d]." Observetur hic Romanæ Ecclesiæ sententia.

A. D. MDXVIII. MDXX. LONDINENSES.

Richardus Butler, Johannes Samme, Gulielmus King, Robertus Durdant, et Henricus Woolman, ad tribunal Richardi Fitz-James Londinensis episcopi accusati sunt; quod libros quosdam hæreticos Anglicana lingua scriptos perlegissent: inter quos etiam evangelium Jesu Christi a quatuor evangelistis conscriptum, horrenda blasphemia numerarunt pontificii. Sic enim episcopi cancellarius et vicarius generalis, Thomas Benet legum doctor, Richardo Butler articulum octavum objecit in hanc sententiam: " Item objicimus tibi (inquit) quod cum alias sæpe, tum abhinc circiter triennium, nocte quadam in ædibus Roberti Durdant de Yvercourt prope Stanes, erronee et damnabiliter legisti in magno libro hæreseos ejusdem Roberti Durdant, tota illa nocte, capitula quædam evangelistarum in lingua Anglicana, continentia in se diversas erroneas et damnabiles opiniones et conclusiones hæreticas, in præsentia dicti Roberti Durdant, Johannis Butler, Roberti Carder, Jenkini Butler, Wilhelmi King, et diversorum alio-

[d] Ex registro Londinensi Richardi Fitz-James. Fox, pag. 737.

rum, qui hæreseos suspecti habebantur; et tum præsentes prædictas tuas erroneas lecturas et opiniones audiebant[e]."

Anno MDXX. alii etiam, numero triginta quinque, objurare coacti sunt, cum aliis de causis, tum etiam quod libros Scripturæ in lingua Anglicana habuerint; inter quos speciatim nominantur isti: "Liber quatuor evangelistarum; liber epistolarum Pauli et Petri; epistola S. Jacobi; liber Apocalypseos, et de Antichristo[f]," &c.

A. D. MDXX. JOHANNES HACKER, ET ALICIA DOLY.

Coram doctore Londono Aliciæ ab ancilla sua Elizabetha Wighthill objectum est, de Hackero, qui Londini in Colmani platea aquator fuit, illam aliquando dixisse; quod evangeliorum et omnium aliorum, quæ ad divina officia pertinebant, peritissimus fuerit; eademque simul et orationem Dominicam Anglice declarare non minus expedite potuerit atque sacerdotum quivis. Objectum est etiam, librum quendam eandem habuisse duodecim fidei articulos continentem; et alium quem maximi æstimabat, et in conclavi vel arcula cum aliis semper asservabat[g].

A. D. MDXXI. LINCOLNIENSES ET LONDINENSES.

Hoc[h] anno in diœcesi Lincolniensi mota est persecutio a Johanne Longland episcopo, ex cujus registro quorundam nomina proponentur; qui ob studium legis divinæ ab Antichristi satellite vexati sunt, ut ex unius anni historia conjectura fiat, quantopere in Christi servos ante nostra tempora grassata sit pontificiorum tyrannis; utcunque homines impudentes clamitent, ante exortum Lutherum nulla Ecclesiæ nostræ extitisse vestigia. Certe si in uno orbis angulo, sub densissimis papatus tenebris, tot reperti sunt, qui humanis commentis facessere jussis, ex divinorum oraculorum fontibus, quantumvis frementibus epis-

[e] Ex registro, Rich. Fitz-James. Fox, pag. 735. Vid. infra in anno 1521.
[f] Ex eodem registro. Fox, pag. 745.
[g] Ex registro Lincoln. Fox, pag. 897.
[h] Fox, pag. 751. &c.

copis, purioris religionis dogmata haurire sategerunt; quot extitisse credimus, non dico in Anglia, sed in universo terrarum orbe, qui non flexerunt genua Baali? Sed ecce specimen religionis papisticæ!

Robertus et Richardus Bartlet fratres, seipsos accusare coacti sunt; quod Robertus quidem legerit, Richardus ab eo didicerit, epistolam Jacobi hoc modo incipientem: "James the servant of God to the twelve kinds, &c. Jacobus Dei servus, duodecim tribubus," &c.

Agnes istorum soror, uxor Johannis Wellis, a fratribus suis detecta est; a Roberto quidem quod epistolam Jacobi ab ipso, a Richardo vero quod eandem a Thurstano Littlepage Anglice didicisset. Indeque ex articulis Agneti propositis decimus in registro notatus est hujusmodi: "Utrum Thurstanus Littlepage eam unquam docuerit epistolam S. Jacobi, vel epistolas S. Pauli Anglice, et utrum eandem S. Jacobi epistolam Thurstano, præsente fratre suo Ricardo Bartlet, aliquoties repetiverit?" Item undecimus et decimus quintus: "Utrum fratres, Richardus et Robertus, epistolam S. Jacobi eam unquam docuerint; et si docuerint, quoties, et quo in loco?"

Thomas Chase a Jacobo Mordeno delatus, quod bis auditus fuisset epistolam S. Jacobi recitare, ita incipientem: "James[i] the servant of God, and of our Lord Jesus Christ, to the twelve kinds," &c. Item hæc verba ex Lucæ capite primo: "It[k] was by the days of Herod king of Jews, that there was a priest, Zacharye by name, and he came of the sort of Abias, and his wife of the daughters of Aaron. Both they were just before God, going in all the commandments," &c.

Agnes Ashforde de Chesham ab eodem delata, quod ipsum sequentia verba docuisset, ex Matthæi capite quinto: "Ye[l] be the salt of the earth: if it be putrefied, and

[i] "Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus."

[k] "Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis," &c.

[l] "Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accen-

vanished away, it is nothing worth. A city set upon an hill may not be hid. Teend ye not a candle, and put it under a bushell; but set it on a candlestick, that it may give light to all in the house. So shine your light before men, as they may see your workes, and glorifie the father that is in heaven. No tittle nor letter of the law shall pass over, till all things be done." Item quod hanc lectionem eundem docuerit, ex Matthæi capite V. ver. 1. "Jesus[m] seeing his people, as he went up to a hill, was set; and his disciples came to him: he opened his mouth, and taught them, saying: Blessed be the poore men in spirite; for the kingdom of heaven is theirs. Blessed be mild men: for they shall welde the earth." Quinquies ad Agneten accessit Mordenus ut priorem, bis ut alteram, disceret lectionem: et utramque ipsa Agnes recitare jussa est coram sex episcopis; qui severe eidem interdixerunt, ne ullos omnino in posterum, ac liberos suos præsertim, lectiones istas edoceret[n].

Henricus Miller et Johannes Phips, a Thoma Holmes detecti, ut Scripturarum periti.

Johannes Butler faber lignarius, Richardus Butler, Wilhelmus King de Uxbridge, quod in ædibus Durdanti de Ivercourt tota nocte Scripturæ codicem legissent. Item Durdantus senex, quod inter prandendum (puero, qui astiterat, abscedere jusso) liberis suis eorumque uxoribus loca quædam ex epistolis Paulinis et evangeliis recitasset. Item Johannes Butler a proprio fratre accusatus est; quod librum quendam Scripturæ ipsi legisset, et ut eidem auscultaret, persuasisset.

Durdantus prope Stanes, Durdantus senex, Isabella T. Hardingi uxor, Hartop de Windsor, Joanna Barret

dite lucernam, et ponite eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem, qui in cœlis est. Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant."

[m] "Videns autem Jesus turbas suas, ascendit ad montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus; et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram."

[n] Ex registr. Longland. fol. 11.

uxor Johannis Barret Londinensis, Henricus Miller, Stilmanus sartor, accusati omnes, quod ad nuptias filiæ Durdanti convenientes in horreo, epistolam quandam D. Pauli audivissent: cujus lectionem cum reliqui, tum præcipue Durdantus, approbarint et commendarint.

Johannes Barret aurifaber Londinensis; quod domi suæ, uxore et ancilla præsentibus, epistolam S. Jacobi, quam cum aliis multis tenebat memoriter, recitasset. Item Joanna uxor, quod Johanni Scrivener evangelium secundum Matthæum et Marcum mutuo commodasset, quem librum ipse episcopo Smitho tradidit. Item Johannes Newnan, quod adfuisset, cum in ædibus Johannis Barret legerentur Scripturæ.

Wilius quidam delatus, quod Johannem et Wilhelmum Wood evangelium Matthæi post magnam abjurationem docuisset: quos etiam pater Robertus senex, Buckinghamiæ postea combustus, D. Pauli epistolas docuerat.

Johannes Tracher de Chesham, quod Aliciam Browne, quæ eum detexit, hanc Christi sententiam ex evangelio docuisset: "Beati qui verbum Dei audiunt et custodiunt illud." Item quod eandem octo beatitudines lingua Anglicana docuit.

Thomas Geffrey sartor Ipswichensis, quod legisset et docuisset Johannem Butler, qui eum detegere juramento coactus est, Acta apostolorum: quodque Scripturæ librum, quem accusatus episcopo Londinensi tradidit, in lingua Anglicana habuisset.

Radulphus Carpenter, quod libros quosdam Apocalypseos in Anglicana lingua habuisset, &c.

Johannes Butler tres fratres suos, una cum matre Richardi Ashforde, detexit; quod Cheshami in ædibus Ashfordi duabus horis librum Actorum apostolicorum Anglice legissent.

Johannes Mordenus, cum fratre Richardo Ashford, accusatus; quod domi suæ librum evangelia et alia nonnulla capitula Anglice translata continentem habuisset; in quo libro ipse ter vel quater, semel vero Ashfordus frater legerit.

Geldenerus senior, cum duabus filiabus: quod R. Benet epistolam D. Jacobi Anglice legentem audivissent.

A Johanne Grosar quæsitum est, num evangeliorum librum lingua vernacula habuisset; qui confessus est se ejusmodi librum a Thoma Tykill sacerdote missatico accepisse, eundemque Thomæ Spensero, qui cum uxore librum illum legere solebat, et postea Johanni Knight commodatum esse, qui librum vicario de Rikemansworth demum tradiderit.

Johannes Hill juramento coactus est detegere Johannem Gun de Chelsham, quod ipsum ante abjurationem suam in epistola D. Jacobi instituisset.

Robertus Pope juramento coactus est detegere, 1. Thomam Africum et uxorem ejus; quod cum ipso post magnam abjurationem in oppido Amershamensi factam, in evangelio S. Matthæi contulissent. 2. Thomam Scrivener; quod ab eo librum epistolarum in lingua vernacula habuisset. 3. Benedictum Warde de Bekenesfeilde, quod ab eo librum decem mandatorum accepisset, quodque evangelia Matthæi et Marci habuisset. 4. Thomam Man cum uxore, quod cum ipso sæpius in libris Scripturæ contulissent. 5. Richardum Colyns, quod librum Lucæ et alium Pauli, necnon glossam Apocalypseos habuisset. 6. Thomam Colyns Richardi patrem, quod librum Pauli et minorum epistolarum habuisset. 7. Edwardum Pope suum ipsius patrem, quod evangelium Matthæi lectum audivisset, et de eodem cum filio suo, Roberto hoc, contulisset. 8. Wilhelmum Halydaie de Eastenred, quod Acta apostolorum Anglice versa ab ipso, quum Rogerus Dodde caperetur, ad eum allata custodivisset. 9. Thomam Philippe et Laurentium Tayler, quod in ædibus Richardi Colyns ex libro Anglicano epistolam ad Romanos et primum caput evangelii secundum Lucam legissent. 10. Uxores Johannis Harrys et Richardi Colyns, quod in ædibus Johannis Harrisi de Apocalypsi et Actis apostolorum essent collocutæ: ipsum quoque Johannem, quod de septem macilentis et septem pinguibus vaccis[o] loqui esset auditus.

[o] Genes. cap. 41.

Robertus Colins juramento coactus est detegere, 1. Richardum Colins, quod legisset ipsi decem mandata, deinde epistolam Jacobi, et aliam quandam minorem Petri docuisset, et demum evangelium D. Johannis Anglice ipsi per se legendum tradidisset. Eidemque objectum est, quod cum alios libros Anglicanos, tum evangelium Johannis, epistolas D. Pauli, Jacobi et Petri, expositionem Apocalypseos, librum Solomonis, &c. habuisset. 2. Johannem Harris, quod cum ipso de primo capite evangelii Johannis, et alio Matthæi, in quo de octo beatitudinibus agebatur, contulisset. 3. Ro. et W. Lyvord, Bruges et uxorem Johannam, Harris et uxorem, Richardum Colins; quod in Brugesii ædibus librum expositionem Apocalypseos continentem simul legissent, et de apertione libri septem sigillis obsignati, &c. communicassent. 4. Stacyum laterarium Londinensem, quod librum Apocalypseos habuisset. 5. Thomam Philips et Laurentium Wharsar, quod epistolam D. Petri Anglice in ædibus Roberti Colins legissent.

Johannes Colins de Burforde sequentes episcopo detulit: 1. Robertum Colins de Asthall, quod legisset ipsi in spisso quodam Scripturæ vernaculæ volumine. 2. Johannem Edmunds, quod legisset ipsi decem mandata, docuissetque Johannem baptistam dixisse, venturum post se alium, cujus non esset dignus qui solveret corrigiam calceamentorum. 3. Johannem Hacker Londinensem, quod Burfordam librum, in quo de decem plagis Pharaonis agebatur, secum attulisset.

Rogerus Dods de Burforde juramento coactus est detegere, 1. Johannem Drury vicarium Windrishensem in comitatu Wigorniensi, quod Alphabetum ipsum docuisset; ut Apocalypsin intelligeret, ex qua omnem mundi falsitatem omnemque veritatem illum percepturum asserebat. 2. Henricum Miller, quod ostendisset illi historiam mulieris in Apocalypsi[p] bestiæ coccineæ insidentis. 3. Johannem Fippe de Hichenden, quod Anglice evangelium quoddam ipsi legisset. 4. Johannem Ledisdall de Hun-

[p] Apoc. cap. 17.

gerforde, quod Burfordiæ in ædibus Roberti Burges, una cum Colins, Lyvordo, Thoma Hall et aliis Biblia legisset. 5. Robertum et Johannem Collins cum uxoribus, quod Biblia a Stacio viginti solidis emissent. 6. Johannem Hacker, Johannem Brabant, cum uxore, filiis et nuribus, et Reginaldum Brabant de Stanlake, quod Stanlaki in ædibus Johannis Brabant librum quendam Scripturæ Anglice legissent.

Johannes Edmunds de Burfordo detexit, 1. Aliciam uxorem Richardi Colins, quæ cum multum Scripturarum teneret memoriter, ad conventus Burfordiæ factos accersi solebat, ut decem mandatorum declarationem cum epistolis Petri et Jacobi recitaret. 2. Johannam Richardi Colins et Aliciæ filiam, quod cum patre et matre decem mandata, septem peccata mortalia, septem opera misericordiæ, quinque sensus corporales et spirituales, octo beatitudines, et quinque capita epistolæ D. Jacobi didicisset. 3. Agnetem Edmunds, suam ipsius filiam, quod domum Richardi Colins eam ipse adduxisset, ut in lege Domini ibidem institueretur: ubi etiam decem mandata, quinque sensus, et septem peccata mortalia didicerat.

Johannes Brabant Johannem Hacker nominavit, quod sacram Scripturam in ædibus paternis legisset; patrem item suum Johannem Brabant ac matrem, quod adfuissent, quum Hackerus ista legerit. Ubi notanda examinationis forma ab episcopo Johanni Brabant proposita: An scilicet unquam audivit Johannem Hacker legentem sacram Scripturam contra determinationem Ecclesiæ[q].

Johanna Steventon detexit Aliciam Colins, quod Alicia docuisset eam decem mandata, et primum caput evangelii secundum Johannem; Item Johannem Harris, quod docuisset eam primum capitulum Petri.

Johannes Hacker detexit, 1. Thomam Vincentium Londinensem, quod dedisset Hackero librum S. Matthæi Anglice scriptum. 2. Richardum Colins, quod accepisset ab Hackero librum Anglicum de decem mandatis. Wilhelmum Gunne, quod accepisset ab eodem, librum decem plagarum, quibus afflictus est Pharao. 4. Jo-

[q] Ex registro Jo. Longland, Lincoln. fol. 85.

hannem Heron, quod evangeliorum expositionem vernaculam pulchre descriptam haberet[r].

A. D. MDXXIII. JOHANNES HIGGES.

Huic[s] inter alios articulos sub Cuthberto Tunstallo Londinensi episcopo objectum est; quod librum quatuor evangelistarum in lingua Anglicana haberet, frequenterque legeret. Verum cesso hic in rebus Anglicanis ulterius progredi; tum quod proprius nostra tempora attingant, tum quod eas in Actis et monumentis ecclesiasticæ historiæ Anglicanæ diligenter persecutus sit Johannes Foxus. Illud tantum monendum, Scripturarum in linguam Anglicanam versiones, quarum hic et in superioribus frequens facta est mentio, prioribus seculis omnes prodiisse. Nondum enim Guilhelmus Tindallus, sanctissimus Dei martyr, qui primus[t] nostris temporibus optimo successu negotium hoc tentavit, translationem suam aggressus est. Ad alias vero nationes quod attinet; memorabilis extat historia librarii ob biblia Avenione vendita exusti apud Johannem Crispinum in Actis martyrum[u], et incolarum Merindolii[x].

A. D. MDXXVI.

Cuthberti Tunstalli episcopi Londinensis, postea Dunelmensis, prohibitio Anglicanæ translationis novi Testamenti Latine habetur in primo editione Actorum et monumentorum Johannis Foxi[y].

A. D. MDLIX.

In catalogo librorum prohibitorum, Pauli IV. jussu

[r] Ex regist. Longlandi Lincolniensis. [s] Fox. pag. 735.

[t] De quo vid. Fox. pag. 923. 928, 929, 930, 931. et Matt. Parker. hist. archiep. Cantuar.

[u] Lib. 3. fol. 97. b.

[x] Ibid. fol. 112. et Richardi Feuri, ibid. fol. 264.

[y] Pag. 449.

confecto, et Romæ anno MDLIX. ex decreto S. Romanæ et universalis inquisitionis edito, ita sancitum legimus: "Biblia omnia vulgari idiomate, scilicet Germanico, Hispanico, Italico, Anglico sive Flandrico, &c. conscripta, nullatenus vel imprimi vel legi vel teneri possint absque licentia sacri officii S. Romanæ inquisitionis." Item: "Novi Testamenti libri vulgari idiomate conscripti sine licentia in scriptis habita ab officio S. Romanæ et universalis inquisitionis nullatenus vel imprimi vel teneri possint."

A. D. MDLXIV.

Postea in quarta regula per patres a Tridentina synodo delectos confecta, et anno MDLXIV. in indice librorum prohibitorum a Pio IV. pontifice edita in hunc modum conclusum est: "Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri: hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint; quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserint, nisi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possint. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint vel aliis quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero nonnisi facultate a prælatis suis habita ea legere aut emere possint." Sed istam regulam restringendam esse monuit postea Gregorius Capuccinus, unus ex deputatis patribus pro revisione librorum in civitate Neapolitana, in enchiridio ecclesiastico[z] edito Venetiis anno

[z] Fol. 218. b.

MDLXXXVIII. "Quantum (ait) ad quartam regulam, inquam permitti sacra Biblia vulgaria; nihilominus a R. theologis fide dignis fuit determinatum quod in posterum non concedantur: sed cum conditionibus positis in dicta quarta regula possunt concedi evangelia et epistolæ vulgares, cum quotidie in missa audiantur." A Gregorio etiam XIII. restrictam esse illam facultatem Rainoldus[a] notat ex septimo Decretalium[b]; Biblia tamen in Polonicam linguam per Jacobum Viecam Jesuitam, mandante Gregorio XIII. pontifice maximo et approbante Clemente VIII. translata esse, notat Gretserus in Tractatu de novis translationibus[c]. Habetur quidem in septimo Decretalium[d] bulla illa a Rainoldo citato: sed Gregorii XIII. nomen ibi per errorem pro Pio IV. est positum; cujus hæc est constitutio in bullario Petri Matthæi[e] ad verbum.

A. D. MDXCV.

Itaque Clemens papa VIII. cum indicem librorum prohibitorum denuo recognitum anno MDXCIV. edi jussisset; ne quis per novam illam editionem, regulæ illius quartæ authoritatem denuo etiam existimaret, sequentem observationem circa quartam regulam addi curavit: "Animadvertendum est circa suprascriptam quartam regulam felicis recordationis Pii papæ IV. nullam per hanc impressionem vel editionem de novo tribui facultatem episcopis vel inquisitoribus aut regularium superioribus concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita: cum hactenus mandato et usu sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi aut retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam novi quam veteris Testamenti partes quavis vulgari lingua editas, ac insuper summaria et compendia etiam historica eorundem Bibliorum, seu librorum S. Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolate servandum est."

[a] In Thesibus, pag. 145. [b] Lib. 5. tit. 4. cap. 6.

[c] Col. 939. Vid. Possevinum in Jacobo Vieca; et nota necessitatem qua impulsi sunt transferre Scripturas et Officia.

[d] Ed. Francofurti ann. 1590. pag. 542. [e] Pag. 464, 465.

A. D. MDCII.

Hinc Joannes Azorius Hispanus Jesuita[f]: "Quæres, an Bibliorum partes, nimirum libri, aut librorum capita, in vulgares linguas translata permittantur? Respondeo, primo aspectu in prædicta quarta regula solum prohiberi, ne sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur legi, emi, retineri aut vendi. In Hispania tamen in Indice librorum prohibitorum ibi edito, auctoritate generalis in illis provinciis inquisitoris, regula sexta sic habet: Prohibentur Biblia vulgari lingua cum omnibus suis partibus; ac si dicat, biblia et eorum partes. Et in indice recenti edito jussu S. D. N. Clementis VIII. in observatione circa quartam prædictam regulam indicis editi jussu Pii IV. sic habetur: [cum] sublata eis fuerit (scilicet episcopis, inquisitoribus, et regularium superioribus) facultas concedendi licentiam legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias S. Scripturæ tam novi quam veteris Testamenti partes quavis vulgari lingua editas. Quæras insuper an permittantur conscripti vulgari lingua precationum Horariarum libelli, in quibus continentur Psalmi et Cantica ex Bibliis excerpta? In Indice Hispaniensi ac regula sexta omnes hujusmodi lingua vernacula conscripti libelli prohibentur. Et in indice novissime edito jussu S. D. N. Clementis VIII. in observatione circa quartam regulam, prohibentur S. Scripturæ partes tam novi quam veteris Testamenti quavis vulgari lingua editæ; ac insuper summaria et compendia etiam historica eorundem Bibliorum ceu librorum sacræ Scripturæ quocunque vulgari idiomate conscripta; quod quidem inviolate præcitur servandum."

His addam pontificiorum quorundam theologorum de Scripturis et sacris vernaculis sententias. Prædictus itaque Azorius eodem loco hæc habet: "Quarto quæritur, an expediat et deceat sacra volumina in maternas, et vernaculas linguas converti? Respondeo, Minime, quia de-

[f] Institut. Moral. lib. 8. cap. 26.

trimentum inde pateretur fidelium concordia. Deinde variæ hæresum et errorum causæ nascerentur. Præterea magna inscitiæ et ignorantiæ causa in republica Christiana sequeretur. Ex varietate etiam, incertitudine et multitudine versionum contentiones innumeræ, dissidia, ac infinita propemodum alia incommoda et mala provenirent." Atque iterum: "Quicquid Lutherani et Calvinistæ sibi velint et obstrepant; error est intolerabilis asserere publicas Ecclesiæ ad Deum precationes vulgari idiomate cantari, recitari et fundi debere: et neminem fidelium earum fructus posse esse participem, nisi intelligat idioma quo recitantur. Mos enim generalis Ecclesiæ habet, ut non nisi certis quibusdam linguis Hebraica nimirum, Syriaca, Græca et Latina, celebrentur: qui mos plurimis abhinc annis in Ecclesiam inductus et nunc retinetur et servatur. Quæres, an expediat prædicta publica officia vulgari lingua celebrari? Respondeo, Nequaquam: quia multa hinc incommoda nascerentur; ut paulo ante vidimus. Porro non idem juris est de privatis precationibus, quas quivis fundit ad Deum, nec de iis quæ ad catechismum spectant; quale est apostolorum symbolum, salutatio angelica, et cætera Christianæ fidei rudimenta. Hæc enim licet Latine sæpe tradantur, materna tamen lingua proponi et addisci solent; quia publica Ecclesiæ officia minime censentur." Hæc Azorius.

Johannes Molanus in Theologiæ practicæ compendio: "Negamus[g] a vulgo Christianorum requiri studium Scripturarum; immo salubriter dicimus eos a lectione Scripturarum arceri; sufficereque eis, ut ex præscripto pastorum et doctorum Ecclesiæ vitæ cursum moderentur."

Jacobus Ledesima de divinis Scripturis quavis lingua non legendis, capite secundo: "Pro fide Catholica scopus hic præcipuus nostræ disputationis erit; ut ostendamus divinas Scripturas non esse quavis passim vulgari lingua vertendas, nec omnibus sine discrimine communicandas."

Concilium Mediolanense III. Caroli Borromæi, ita sta-

[g] Tractat. 3. cap. 27. conclus. 2. sect. 16.

tuit: "Libri[h] de officio et precibus horariis Beatæ Mariæ virginis vulgariter, vel Italice, vel Gallice, vel Hispanice, vel Germanice, vel partim Latino, partim vulgari sermone expressi, venales ne proponantur neque vendantur. Siqui vero eos adhuc habent, ad sacræ inquisitionis officium statim deferre compellantur; ut edita a Pio V. constitutione sancitum est[i]."

"Et[l] arguitur," inquit, "ex hoc, quod satis est labiis servire in divinis horis, licet cor divertat ad alia." Romani tamen correctores hujusmodi antidotum apponunt ad marginem: "Priusquam descendas in hanc Glossæ sententiam; consule theologos, et præsertim B. Thomam lib. 4. Sent. dist. 15. qu. 4. art. 1. et ibidem Paludanum dist. 15. qu. 5. et Gabrielem in canonem Missæ, lect. 62."

Anglo-Rhemenses in 1 Cor. cap. XIV. "Populus Christianus antiquæ suæ consuetudini parere debet, et Latinis precibus uti potius quam vulgatis." Contra Erasmus in 1 Cor. cap. XIV. "Hac in re mirum est, quomodo mutata est Ecclesiæ consuetudo."

Thomas Bosius in præfatione libri de Italiæ statu: "Nos contendimus ex antiquo tempore adversus hæreticos mysteria nostra non esse vulgaribus linguis explicanda, sed Latinæ linguæ omnino relinquenda."

Petrus Licetius scripsit dialogum de sacris utriusque Testamenti libris in vulgare idioma, sive, ut ille vocat, eloquium minime vertendis, rudique plebi haudquaquam invulgandis. Idem argumentum tractarunt Hosius cardinalis Varmiensis in dialogo De sacro vernacule legendo, Jesuitæ authores Coloniensis censuræ in præfationem Monhemii, Johannes Hessels oratione de divinorum officiorum in lingua Latina celebratione, Hardingus articulo tertio et decimo quinto contra Juellum, Sanderus in declamatione de linguis divinorum Officiorum[k], Rober-

[h] Tomo ult. concil. edit. Venet. pag. 588.

[i] Præfix. officio 3. Mariæ.

[l] In Clement. de celebrat. Missarum, lib. 2. cap. 1. Gravi. glos. ver. Fructum.

[k] In vita quidem ejus legimus scripsisse cum de divinis officiis non celebrandis

tus Bellarminus in prælectionibus Romæ habitis anno MDLXXXVI. editis Ingolstadii anno MDLXXXVII. (quem secutus est in Controversiarum epitome MS. Personius:) Costerus in Enchiridio, Rhemenses in præfatione novi Testamenti, et in 1 Corinth. cap. XIV. Thomas Stapletonus in Relectione principiorum doctrinalium edita anno MDXCVI. et in Antidotis 1 Corinth. cap. XIV. a pagina 718. ad 734. Fr. Agricola De verbo Dei, Reginaldus et Giffordus in Calvino-Turcismo, libro quarto, capite septimo, Staphylus in Apologia, Alphonsus Salmeron in 1 Corinth[l]. Martinus Peresius De traditionibus[m]."

" Nullus ex Catholicis est, qui non existimet, absolute et simpliciter longe magis e re Christiana fore, si abstineremus a versionibus vernaculis:" ait Jacobus Gretserus[n].

in lingua vulgari librum 1. sed nondum editum: ejus sententiam videre licet in lib. de visib. monarch. pag. 597. et præfat. in Petram Ecclesiæ, et lib. de imag.

[l] Tom. 14. a pag. 255. ad 273. [m] Fol. 41. b. 44. a.

[n] Exam. 2. disputat. pappicæ, col. 2009.

CAP. VII.

DECRETA ECCLESIASTICA.

SECT. I.

Ex conciliorum sententiis.

A. D. CCCXXV.

In concilio Nicæno sancitum est, "Ne quis Christianus sacris Bibliorum voluminibus careret;" quemadmodum contra Beddam et Sutorem asserit Erasmus[a] et Cornelius Agrippa De vanitate scient. capite centesimo.

A. D. CCCXLI.

Concilium Antiochenum: "Statuitur[b], ut quicunque non communicantes nec orationem facientes, Scripturas tantum divinas in ecclesia audire voluerint, abjiciantur:" sicut etiam refert Fulgentius Ferrandus in Canonum breviario[c]. Idem ipsum decretum habetur in capitulis Græcarum synodorum a Martino Bracarensi episcopo collectis[d], et in canone decimo, qui dicuntur, apostolorum, his verbis: *Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν*

[a] Tom. 9. operum, pag. 457. 553. 812.

[b] *Πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας ἢ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, —— τούτους ἀποβλήτους γενέσθαι τῆς ἐκκλησίας.* Can. 2. Confer Cæsarium homil. 5. De divin. myster. et homil. 12. in biblioth. Patr.

[c] Sect. 168.

[d] Can. 83.

ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρῆ, hoc est, (ut ad verbum vertit Dionysius, seu quisquis erat author versionis illius veteris, quæ in Isidori collectione conciliorum habetur) "Omnes fideles, qui ingrediuntur ecclesiam, et Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commoventes, convenit communione privari." Gratianus vero hunc canonem decreto suo inserens ita refert: "Omnes[e] fideles, qui conveniunt in solennitatibus sacris ad ecclesiam, et Scripturas apostolorum et evangelium audiant." Sed utcunque sit, ex canonibus istis satis apparet, fideles laicos (de quibus canones isti agunt, ut recte notatum est in Cresconii breviario canonum) priscis[f] illis temporibus ecclesias veluti auditoria quædam frequentasse; uti ex sacris Scripturis publice prælectis Dei voluntatem possent intelligere. Verum[g] cum illi ad precum et sacræ Cœnæ communionem insuper admitterentur, etiam catechumeni et energumeni, et qui pœnitentiam agebant, psalmodiam et divinam sanctarum Scripturarum lectionem audiebant: ut est apud Dionysium de ecclesiastica hierarcha[h] in Θεωρίᾳ τοῦ τῆς Συνάξεως μυστηρίου, οὐ γὰρ θεμιτὸν αὐτοῖς (ait ille[i]) ἑτέρου τινὸς ἱεροῦ μετασχεῖν, ἢ τῆς τῶν λογίων ἐπιστρεπτικῆς ἐπὶ τὰ κρείττω διδασκαλίας· id est, "Neque enim fas eis est alterius cujuslibet sacræ rei esse participes, quam eloquiorum Dei, quorum magisterio possunt ad meliorem converti frugem." Atque hinc in vetere Ecclesia fuit illa pœnitentium classis, qui in concilii Nicæni I. canone undecimo et decimo quarto ἀκροώμενοι, hoc est, Audientes[j], appellantur: cujus etiam consuetudinis in duodecimo ejusdem concilii, itemque quarto, sexto et nono Ancyrani concilii canone mentionem factam legimus. Dicebatur enim "ἀκρόασις[k],

[e] De consecrat. dist. 1. cap. "Omnes fideles."

[f] Sect. 12.

[g] Vid. conc. Carthag. 4. can. 81.

[h] Cap. 3. pag. 16. vel 25. edit. Latin.

[i] Pag. 28, 29.

[j] Ut etiam eos Tertullianus in lib. de Pœnit. cap. 6. et 7. et Cyprianus, lib. 3. epist. 17. et 22. vocant. Vid. Theoriani colloquium cum Armeno, pag. 253.

[k] Ubi ἀκροᾶσθαι exponitur τῶν θείων ἀκούειν γραφῶν.

cum quis ad ecclesiæ fores stans divinas Scripturas audiebat;" ut ad tertiam orationem Gregorii Nazienzeni adversus Julianum notat Elias Cretensis. Unde Gregorius Neocæsariensis in epistola canonica de iis qui in Barbarorum incursione peccarunt, canone undecimo, "Auditionem[l]," inquit, "esse intra portam, in loco, quem *νάρθηκα* (id est, ferulam) vocant; ubi oporteat eum qui peccavit, stare post catechumenos: et ubi Scripturas et doctrinam audierit, inde egredi; ut qui indignus habeatur, qui precationi intersit."

A. D. CCCLXXXI.

In canone septimo concilii Constantinopolitani primi ubi de iis qui in Ecclesiam recipiendi sunt, agitur, ista legimus: "Atque[m] ibi catechizamus sive instituimus, et erudimus eos, damusque operam ut longiore tempore maneant ac versentur in ecclesia, diligenterque et attente audiant Scripturas: tunc tandem eos baptizamus[n]."

A. D. CCCXCIII.

In concilio Hipponensi de lectoribus statutum est, capite vicesimo: Ut "usque[o] ad annos pubertatis legant; ut vero ante viginti quinque annos non ordinentur clerici, nisi primum divinis Scripturis instructi, vel ab infantia eruditi, propter fidei professionem vel assertionem."

[l] Ἡ *ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. ἀκούων γάρ, φησὶ, τῶν γραφῶν καὶ τῆς διδασκαλίας, ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς.*

[m] *Καὶ οὕτω κατηχοῦμεν αὐτοὺς καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.*

[n] Ex synodicarum constitutionum libello, tom. 1. concil. edit. Colon. 1551. pag. 552. Laur. Sifano interprete.

[o] Cap. 2. tom. 1. Concil. edit. Venet. ann. 1551. pag. 434.

A. D. CCCXCVIII.

In concilio Carthaginensi quarto, capite octogesimo quarto: " Statutum est, ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, et audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum."

A. D. DVII.

In Valentino Hipaniæ concilio[p] congregati patres: " Antiquos," inquiunt, " canones[q] relegentes, inter cætera hoc esse censuimus observandum: ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem in missa catechumenorum, in ordine lectionum post apostolum legantur; quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni ac pœnitentes, et omnes qui e diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim pontificum prædicatione audita nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus[r]."

A. D. DXVIII.

In actione[s] prima synodi Constantinopolitanæ sub Menna celebratæ contra Anthimum ita legimus: "" Magna[t]

[p] Ad annum 524. concilium istud retulit Labbæus concil. tom. 4. pag. 1617.

[q] Cap. 1.

[r] Tom. 2. concil. edit. Nicolini, pag. 538.

[s] In editione Gr. Paris, 1618. est actio quinta. Locus extat pag. 689.

[t] " Τότε φωνῇ μεγάλῃ πάντες οἱ τοῦ λαοῦ, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος ἐβόησαν. εὐλογητὸς κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐπεσκέψατο, &c. ἐπὶ πολλὴν δὲ ὥραν ἀντιφωνούντων ἑκατέρων τῶν μερῶν, καὶ ψαλλόντων τὴν ψαλμῳδίαν ταύτην, οἱ ψάλται ἐπετράπησαν ἀνελθόντες εἰπεῖν τὸν τρισάγιον, καὶ αὐτῶν ἀρξαμένων πᾶς ὁ λαὸς ἐπαύσατο, καὶ ὑπήκουσε τοῦ τρισαγίου, καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ἐξ ἔθους τῆς θείας λειτουργίας ἐπιτελουμένης, καὶ τῶν θυρῶν κλεισθεισῶν, καὶ τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σήνηθες λεχθέντος, τῷ καιρῷ τῶν διπτύχων μετὰ πολλῆς ἡσυχίας συνέδραμον ἅπαν τὸ πλῆθος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἠκροῶντο. Tunc voce magna omnes de populo tanquam uno ore clamarunt; Benedictus

autem hora ex utraque parte consistentibus, et psallentibus hanc psalmodiam cantores supervenientes converterunt se dicere Trisagium. Et post lectionem sancti evangelii ex more sacra missa finita (catechumenorum scilicet: sic Baronius) et januis clausis, ac sancta lectione juxta consuetudinem lecta, tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, et audiebant[u]."

A. D. DCXXXIII.

Concilium Toletanum quartum canone vigesimo quarto: "Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus[x]," &c. Hic observa, 1. Ignorantiam matrem esse cunctorum errorum. 2. Corrigendam esse sacrarum Scripturarum lectione. 3. Vitandam etiam esse a laicis, licet maxime a sacerdotibus. Contra vero pontificii crassam illam in vulgo ignorantiam, implicitæ fidei nomine defendunt, eamque ut pietatis et devotionis matrem commendant; populumque a Scripturarum in lingua vernacula lectione, veluti errorum atque hæresium parente, homines impii abigunt.

A. D. DCXCII.

Synodus Constantinopolitana in Trullo, quæ Quinisexta seu Πενθέκτη dicitur, canone sexagesimo sexto ita statuit: "A[y] sancta Christi Dei nostri resurrectionis die

Dominus Deus Israel; quia visitavit, &c. Ad multas autem horas illis ex utraque parte concinentibus," &c. Sic habet antiqua versio, Græco magis consona, in edit. G. L. Paris. 1618. f.

[u] Tom. 2. concil. edit. Nicolin. pag. 601.

[x] Quam sententiam etiam retulit Burchardus in Decret. lib. 1. cap. 100. Ivo par. 5. cap. 202. et Gratianus in Decret. par. 1. distinct. 38. sect. "Ignorantia mater."

[y] Ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου, &c. *τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀπαραλείπτως τοὺς πιστοὺς ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμ-*

usque ad novum Dominicum tota septimana in ecclesiis vacare fideles jugiter oportet psalmis et hymnis et spiritualibus canticis, in Christo gaudentes, festumque celebrantes, et divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, et sanctis mysteriis jucunde et laute fruentes. Sic enim cum Christo exaltabimur, et una resurgemus." Ibidem, canone septuagesimo quinto: "Eos[a] qui in ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, et naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ ecclesiæ non conveniunt et apta non sunt, adsciscere; sed cum magna attentione et compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre."

A. D. DCCXLVII.

In Anglicana synodo, quæ anno tricesimo tertio Æthelbaldi regis Merciorum coacta est, ut refert Wilhelmus Malmesburiensis[c], decretum est, "Ut[d] per monasteria lectio sacrarum Scripturarum frequentetur." Et ut Presbyteri "Dominicam orationem et symbolum Anglice discant et doceant." At hodie (ut conquestus est Trithemius) "studium[e] Scripturarum a multis claustralibus omnium pene regularum contemnitur, et in paucis vigere monasteriis videtur." Immo et regularibus interdictum est[f] ne Biblia vel a Catholicis authoribus versa legant, nisi facultatem a prælatis suis habuerint. Quam vero religiose alterum illud præceptum de oratione Dominica et symbolo Anglice docendis servaverint presbyteri Anglicani, vel illud Richardi Fitz-James Londinensis episcopi

νοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, εὐφραινομένους ἐν Χριστῷ καὶ ἑορτάζοντας, καὶ τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει προσέχοντας, &c. Tom. 3. concil. pag. 403.

[a] Τοὺς ἐπὶ τῷ ψάλλειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παραγινομένους. βουλόμεθα μήτε βοαῖς ἀτάκτοις κεχρῆσθαι, &c. ἀλλὰ μετὰ πολλῆς προσοχῆς καὶ κατανύξεως τὰς τοιαύτας ψαλμῳδίας προσάγειν τῷ τῶν κρυπτῶν ἐφόρῳ θεῷ. Refertur iste canon a Photio in Nomocanonem, tit. 3. cap. 2.

[c] Lib. 1. De gestis pontif. Angl. pag. 112. editionis Savilianæ.

[d] Vid. Fox. pag. 182—185.

[e] Lib. 2. epist. ad Jacobum fratrem suum.

[f] In Indice librorum prohibit. edit. a Pio IV. reg. 4.

factum ostendit; qui Johannem Coletum, nisi Gulielmus Warhamus archiepiscopus Cantuariensis opem ei tulisset, eo nomine hæreseos reum peregisset, quod orationem Dominicam in linguam Anglicanam transtulisset, quemadmodum refert, contra Thomam Morum, Gulielmus Tindallus[g], nec non Coventriensis episcopi, qui eo tempore, anno scilicet MDXIX. erat Galfridus Blitheus, qui e diœcesi sua sex viros una cum vidua igni adjudicavit; quod liberos et domesticos suos orationem Dominicam, symbolum apostolicum, et Decalogum lingua Anglicana docuissent: quemadmodum ex testimonio eorum, qui tum præsentes adfuerant, refert Johannes Foxus[h]. Similiter Norvicensis episcopus anno MDVII. apud Balæum, qui tunc aderat, præfatione in tractatum Johannis Lamberti de sacramento altaris: pari modo anno MDXXI. coram Johanne Longlando, Lincolniensi episcopo, Johannes Mordenus et uxor ejus a Jacobo Mordeno nepote accusati sunt, quod domi suæ, eo præsente, Decalogum Anglice recitassent[k]. Alicia Atkins ab eodem Jacobo Mordeno accusata, quod ab ipsa orationem Dominicam, salutationem angelicam, et symbolum apostolicum lingua vernacula didicisset[l]; Jacobum vero illum propria soror juramento accusare coacta est, quod eam orationem Dominicam, symbolum, et salutationem angelicam Anglice docuisset. Sed[m] et Wilhelmus Littlepage juramento coactus accusavit Thurstanum Littlepage, a quo orationem Dominicam et salutationem angelicam; et Johannem Frier, a quo Decalogum lingua vernacula didicisset (symbolum enim ab avia didicerat) atque etiam fratrem suum Johannem Littlepage, quod ab Alicia uxore Thurstani Littlepage Decalogum Anglice didicisset[n]. Atque hæc fuit miseranda illa servitus, qua a

[g] Lib. 3. cap. 15.

[h] Pag. 887. Actorum sub Henrico VIII. Qua de re vid. Sutlivium in responsione ad postremam partem libri R. Personii de 3. conclusionibus, pag. 62, 63.

[k] Fox. pag. 752. ex registro Longlandi Lincoln. fol. 15.

[l] Ibid.

[m] Ibid. apud Fox. pag. 754.

[n] Ibid. apud Fox, pag. 754. quem etiam vide pag. 610. 713. et supra in anno 1485.

clero papistico populus Anglicanus detentus est, priusquam ab Henrico VIII. abdicata Romani pontificis tyrannide, anno MDXXXVI. regia authoritate injunctum est: ut omnes ab infantia orationem Dominicam, articulos fidei, et Decalogum lingua materna ediscerent. Sed et quingentis ante Henricum annis Canutus[o] rerum summam in Anglia obtinens lege lata cavit, ut "unusquisque Christianus operam daret, ut orationem saltem Dominicam et articulos fidei intelligeret: quandoquidem per primum illud Deum invocent Christiani, per alterum rectam fidem profiteantur." Sed et Carolus Magnus in constitutionibus factis anno regni sui undecimo ex concilii consensu statuit, ut "Episcopi[o] diligenter discutiant per suas parochias presbyterorum fidem, &c. ut missarum preces bene intelligant, et ut Psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur; et Dominicam orationem ipsi intelligant, et omnibus prædicent intelligendam, ut unusquisque sciat quid petat a Deo: et ut Gloria Patri cum omni honore apud omnes cantetur; et ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei communi voce Sanctus, Sanctus, Sanctus, decantet[p]."

A. D. DCCLXXXVII.

Concilium Nicænum II. canone secundo: "Ἐπειδήπερ ψάλλοντες συντασσόμεθα τῷ Θεῷ· Ἐν τοῖς δικαιώμασί σου μελετήσω, καὶ οὐκ ἐπιλήσομαι τῶν λόγων σου, πάντας μὲν Χριστιανοὺς τοῦτο φυλάττειν σωτήριον, κατ' ἐξαίρετον δὲ τοὺς τὴν ἱερατικὴν ἀμπεχομένους ἀξίαν. Quoniam dum Psalmos canimus, Deo in hæc verba promittimus, *In*[q] *justificationibus tuis meditabor, non obliviscar eloquiorum tuorum:* Omnes quidem Christianos hoc servare salutare esset, eos autem præcipue qui sacerdotalem dignitatem obtinent[r]" ut

[o] In Ἀρχαιονομίᾳ a Gul. Lambardo edita.

[o] Anno 779.

[p] Pag. 251. editionis quæ prodiit Moguntiæ anno 1602. cum epistolis Hincmari: habetur etiam in legum ab Ansegiso collectarum lib. 1. cap. 70.

[q] Psal. 119.

[r] Κατὰ τὰ θεῖα ἐντάλματα ἀναστρέφεσθαι, καὶ διδάσκειν τὸν κατ' αὐτὸν λαόν.

scilicet "in omni divina Scriptura versentur, et populum doceant," quemadmodum paulo post sequitur.

A. D. DCCCXIII.

Rhemensis synodi, Caroli Magni jussu anno DCCCXIII. habitæ, capitulum primum est de fidei ratione; ut "unusquisque juxta intellectum suæ capacitatis Domino largiente disceret et intelligeret, atque operibus pleniter observaret. 2. Ut orationem, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis discerent, et sensum bene intelligerent; quia illam ignorare nulli Christiano licet." Sic libro quinto Legum Francarum a Benedicto Levita collectarum, capitulo centesimo tertio, statutum est, ut "omnes qui Christiano nomine censentur, orationem Dominicam et symbolum memoriter teneant et intelligant." Et libro sexto, capite 163. ut "fideles orationem Dominicam discant et intelligant, et suis sacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, et aliis fidelibus, qui eam nesciant, doceant." Et in capitulo septimo eorum[s] quæ falso tribuuntur synodo VI. Constantinopolitanæ, et in Anselmi Lucensis Collectione decretorum habentur, ut annotatum est Romanis correctoribus ad Gratiani Decretum dist. 16. cap. 10. "Commonendi[t] sunt fideles omnes a minimo usque ad maximum, ut orationem Dominicam et symbolum discant; et dicendum est eis, quod his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias et memoriter tenuerit et ex toto corde crediderit, et in oratione sæpissime frequentaverit, Catholicus esse non poterit[u]." Capitulum istud est[v] caput vigesimum tertium epistolæ Theodulphi Aurelianensis episcopi. Et in Germania quidem ad nostra usque tempora orationem Dominicam, angelicam salutationem, apostolorum symbolum, et Decalogi

[s] Concil. Labb. tom. 6. pag. 1206.

[t] Vid. hac de re Bedæ epistolam ad Egbertum Eboracensem archiep. paulo ante mortem scriptam: quam MS. habeo.

[u] Tom. 3. Concil. edit. Nicolin. pag. 388.

[v] Cap. 22. in edit. concil. Lab. tom. 7. pag. 141.

præcepta sic in lingua vernacula fuisse retenta, ut in animos hominum una cum materno lacte instillarentur, ex capite vigesimo quinto synodi diocesanæ Augustensis, anno MDXLVIII. celebratæ, colligitur, ubi etiam plebanis ecclesiarum parochialium præcipitur, ut singulis diebus Dominicis, finita concione, omnia vernaculo sermone "distincte ac tractatim ita prælegant; ut populus legentem repetitione subsequi, ea discere, et memoriæ mandare possit[x]. Cum Gallis vero haud multo melius actum esse quam cum Anglis, vel illud Cabilonensis episcopi factum ostendit, a Crispino commemoratum[y], qui Merindolii pueris grandiusculis simul et parvulis ad se vocari jussis, pecuniam singulis largitus, blande præcepit, ut orationem Dominicam cum symbolo apostolorum Latino idiomate ediscerent. Plerisque autem eorum excipientibus se Latine quidem nosse Pater noster et Credo, non posse tamen reddere rationem eorum quæ recitarent, nisi suo, id est, Gallico idiomate; respondit egregius episcopus, non requiri tantam in ipsis scientiam, satis esse modo ea Latina tenerent, neque ad salutem conducere tam exactam fidei rationem atque intelligentiam: multos episcopos, parochos, quinetiam doctores theologiæ inveniri, quibus satis negotii exhiberet vel tenuis ac rudis expositio orationis Dominicæ aut symboli apostolici.

A. D. DCCCXVI.

Aquisgranense concilium, Ludovici I. imperatoris jussu habitum, capite tertio lectoris officium proponens ex Isidoro. "Sic[z] expeditus (inquit) vim pronuntiationis tenebit; ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat, discernendo genera pronuntiationis, atque exprimendo omnium sententiarum proprios effectus." Et post: "Auribus et cordi consulere debet lector, non oculis: ne potius ex seipso eos spectatores magis quam auditores faciat."

[x] Tom. 5. concil. pag. 308.
[y] Lib. 3. Act. martyr. fol. 112.
[z] Isidor. de ecclesiast. officiis, lib. 2. cap. 11.

Et: "Psallentium[a] in ecclesia Domino mens concordare debet cum voce; ut impleatur illud apostoli, *Psallam*[b] *spiritu, psallam et mente.*" Et: "Tales[c] ad legendum, cantandum et psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe sed humiliter debitas Domino laudes persolvant; et suavitate lectionis ac melodiæ et doctos demulceant et minus doctos erudiant, plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris, et instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent." Hinc probabiliter colligitur sacra hoc tempore ita esse peracta, ut a populo aliquo modo intelligi possent: cum quibus conferantur leges illæ (Caroli Magni ut videtur) a Benedicto Levita collectæ, libro sexto capitularium: quarum una ita habet: "Placuit[d] ut fideles silentium in ecclesia teneant, et devote verbum Dei audiant." Altera: "Admoneant[e] presbyteri plebem, ut in ecclesia verbositare non præsumant; sed cum fletu et cum compunctione cordis Dei implorent auxilium tam pro se, quam et pro proximis suis. Et quando presbyter celebrat Missam, corda illorum semper ad cœlestia adtendant. Et quando sanctæ lectiones vel evangelia recitata fuerint, cum silentio et devota mente pariter audiant, sicut Deus dixit per Moysen, *Audi Israel et tace.*" Et caput quadragesimum tertium concilii Moguntiaci anno DCCCXIII. Caroli Magni jussu celebrati, quod ita habet: "Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus nobiscum, vel Sursum corda admonebit habere, et alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit[f]?" Si populus sacerdotem non intellexisset, perinde esset, utrum solus hæc verba pronuntiasset sacerdos, an præsente populo. "Ideo enim sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo *Sursum corda;* ut dum respondet plebs,

[a] Cap. 132.
[b] 1 Cor. cap. 14.
[c] Cap. 133.
[d] Cap. 173.
[e] Cap. 192.
[f] Habetur etiam in legibus a Benedicto Levita collectis, lib. 5. cap. 93.

Habemus ad Dominum, admoneatur nihil se aliud quam Dominum cogitare debere[g]."

A. D. DCCCCL.

Anglo-Saxonum synodus anno DCCCCL. Vide supra sub Ælfrico.

A. D. MCCXV.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. capite nono ita statuit. " Quoniam in plerisque partibus infra eandem civitatem atque diœcesin permixti sunt populi[h] diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores: districte præcipimus, ut pontifices hujusmodi civitatum sive diœcesium[i] provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina illis officia celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo[k]."

Concilium Oxoniense. Vide supra ad annum MCCCCVII.

[g] Ut est in decreto de consecrat. dist. 1. capite " Quando autem."

[h] Pro *populi* legit *plurimi*, codex MS. Lambethanus.

[i] *Diœcesis.* Cod. Lamb.

[k] Translatum est etiam hoc decretum a Gregorio IX. in primum librum Decretal. tit. 31. de offic. judicis ordinarii, cap. 14. Quoniam plerisque.

SECT. II.

Ex jure civili, sententiisque imperatorum ac regum.

A. D. DXLI.

Justiniani imperatoris sanctio (Antonio Contio interprete) in hæc verba habetur. " Jubemus[a] omnes episcopos presbyteros non[b] in secreto, sed cum ea voce, quæ a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem et precationem, quæ fit in sancto baptismate, facere; ut inde audientium animi in majorem devotionem, et Dei laudationem et benedictionem, efferantur. Sic enim et divinus apostolus docet, dicens in priore ad Corinthios epistola: *Cæterum*[c], inquit, *si solum benedicis spiritu; is qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjiciet* Deo sanctum illud *Amen: Siquidem quid dicas non novit: tu autem pulchre gratias agis, sed alius non ædificatur.* Et rursus in ea quæ est ad Romanos, sic dicit: *Corde*[d] *quidem creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Idcirco[e] igitur convenit, ut ea precatio, quæ in sancta allatione dicitur; et aliæ orationes cum voce a sanctissimis episcopis et presbyteris proferantur Domino nostro Jesu Christo Deo nostro cum Patre et Spiritu Sancto: sciturus

[a] Authenticis collat. 9. tit. 20. Novell. constitut. 137.

[b] Μὴ κατὰ τὸ σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιστοτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης τὴν θείαν προσκομιδὴν καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι προσευχὴν ποιεῖσθαι, πρὸς τὸ κἀντεῦθεν τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχὰς εἰς πλείονα κατάνυξιν καὶ τὴν πρὸς τὸν δεσπότην θεὸν διανίστασθαι δοξολογίαν.

[c] 1 Cor. cap. 14. ver. 16.

[d] Rom. cap. 10. ver. 10.

[e] Διὰ ταῦτα τοίνυν προσήκει τὴν ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ προσκομιδῇ καὶ τὰς ἄλλας προσευχὰς μετὰ φωνῆς παρὰ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων προσφέρεσθαι τῷ κυρίῳ ἡμῶν ἡμῶν, &c.

religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum contempserint, et horrendo Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi judicio rationem reddituri sunt, et nos ista cognoscentes non relinquemus quieta et inulta[f]."

A. D. DLII.

Quacunque lingua legi vult Justinianus sacros libros, "improbans[g] versutiam Judæorum, qui quo facilius linguæ Hebraicæ ignaris imponerent, non aliam quam Hebraicam linguam recipiebant" ut monet in declaratione hujus constitutionis Jacobus Cujacius. Unde fiebat, ut simplicioribus, quos vellent, ipsorum magistri magno illorum damno propinarent errores, sicut ipse agnoscit Baronius, ann. DLII. sect. 1. Statuit igitur imperator, ut in synagogis illorum sacri libri "In[h] omni lingua, quam locus accomodatiorem et magis familiarem redderet," auditoribus legerentur; "quo magis per ipsorum lectionem intelligentibus tota dictorum series ordine manifesta sit, secundumque ea et vitam et studia sua instituant." Qui vero hoc prohibuerint, castigari jubet corporalibus pœnis et facultatum privatione; "ut[i] vel inviti (inquit) consentiant nobis, meliora et Deo amabiliora (seu magis accepta) volentibus ac jubentibus." Monet insuper eos "qui[k] aut per istam aut per illam linguam (id est, vel Hebraicam vel maternam)

[f] Hactenus Justinianus, pag. 346. editionis Dionysii Gothofredi, quæ prodiit Lugduni, ann. 1585. Est in Novellis constitutio 123. A Photio in Nomocanone, tit. 3. cap. 1. et a Balsamone ejus scholiaste citatur nomine 17. constitutionis primi tituli Novellarum. Vid. Fox. pag. 1922.

[g] Justinian. tit. 28. Novel. constitut. 146.

[h] *Φωνὴν πᾶσαν ἁπλῶς, ἣν ὁ τόπος ἐπιτηδειοτέραν καὶ μᾶλλον γνώριμον τοῖς ἀκούουσιν εἶναι ποιεῖ.* et mox, *διὰ τῆς ἑλληνίδος φωνῆς, ἢ καὶ τῆς πατρίου τυχον (τῆς Ἰταλῆς ταύτης φαμὲν) ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἁπλῶς, τοῖς τόποις συμμεταβαλλομένης τῆς γλώττης, καὶ τῆς δι' αὐτῶν ἀναγνώσεως, ἐφ' ᾧ σαφῆ τε εἶναι τὰ λεγόμενα τοῖς συνιοῦσιν ἅπασιν ἐφεξῆς.*

[i] *Ἄκοντες ἐνδιδόναι καλλίονα τε καὶ θεοφιλέστερα βουλομένοις τὲ ἡμῖν καὶ κελεύουσιν.*

[k] *Διὰ ταύτης ἢ ἐκείνης γλώττης τῶν ἱερῶν βίβλων ἀκούοντας, μὴ ψιλοῖς προσέχειν γράμμασιν, ἀλλὰ τῶν πραγμάτων γεύεσθαι.*

sacros libros audiunt, non solum considerare literas, sed rebus refici, et divinum veraciter intellectum accipere; quo magis et quod præstantius est addiscant, et aliquando decipi, atque ab eo, quod omnium præstantissimum est (vel opportunissimum, *καιριώτατον*) nempe in Deum fiducia, aberrare desinant: Propterea[l] enim (inquit) omnem ipsis linguam ad sacrorum librorum lectionem aperuimus; ut omnes de cætero eorum scientiam amplectentes, ad meliora perdiscenda reddantur aptiores, cum in confesso sit multo paratiorem ad meliora discernenda et capessenda esse eum, qui sacrorum librorum lectione innutritus, non longe a correctione, et ut ad bonam frugem perducatur, dissidet: quam qui nihil horum intelligit, sed ex solo religionis nomine dependet, eique tanquam sacræ adhæret anchoræ, et scientiam Dei putat in sola sectæ appellatione versari[m]." Ibidem; "Ipsas[n] ergo sacras voces legant, libros ipsos evolventes (*ἀναπτύσοντες*) neque celantes ea quæ in iis prolata sunt, extrinsecus assumant sine scriptis traditas vocum inanitates, ab ipsis ad perditionem simpliciorum excogitatas[o]."

[l] *Διὰ τοῦτο γὰρ δὴ πᾶσαν αὐτοῖς φωνὴν ἀνεῳξαμεν πρὸς τὴν τῶν ἱερῶν βίβλων ἀνάγνωσιν, ὥστε πάντας ἐφεξῆς τὴν τὐτῶν λαμβάνοντας εἴδησιν, εὐμαθεστέρους πρὸς τὰ καλλίω γένεσθαι*, &c.

[m] Col. 356, 357. editionis Gothofredi: col. 509. edit. quæ prodiit Lugduni 1585. fol. cum glossis.

[n] *Καὶ αὐτὰς δὴ τὰς ἱερὰς φωνὰς ἀναγνώσονται, τὰς βίβλους αὐτὰς ἀναπτύσσοντες, ἀλλὰ μὴ κατακρύπτοντες μὲν τὰ κατ' αὐτὰς εἰρημένα.* Nonnulli quidem codices pro *ἀναπτύσσοντες* habent *ἀναπτύσοντες*: adeoque Holoander, aliique interpretes Latini locum sic verterunt, "codices ipsos respuentes;" quæ si verior lectio sit, pro *αὐτὰς* legendum est *ταύτας*, et sententia ad *δευτερώσεις* Judæorum, seu fabulas Misnicas et Talmudicas, quas Justinianus in periodo immediate præcedenti legi interdixerat, referenda: quod Antonius etiam Contius agnoscit, apposita hac ad locum nota: "*Ἀναπτύσοντες*. Sensus, si Judæis est animus sacras Scripturas legendi, sacros codices evolvant, non eos in quibus meræ tantum fabulæ continentur."

[o] De constitutionibus Caroli Magni vid. supra in sententiis conciliorum, et in anno 807. et tract. de orig. erroris post annum 630. uti et capitular. Benedicti Levitæ, lib. 6. cap. 173. et 192. De Constantino M. anno 330. Theodosio imp. ann. 415. Athalarico rege, ann. 533. Altfrido rege, ann. 615. Ludovico Pio imp. ann. 820. Basilio Macedone, 870. Ælfredo rege, 890. Æthelstano, 930. Canuto, 1020. Uratislao Boemorum duce, 1080. Andronico Comneno, 1183. Ludovico IX. 1226. Conrado IV. imp. 1250. Johanne Cantacuzeno, 1360. Carolo V. Francorum rege, 1370. Anna regina Angliæ, et Johanne

duce Lancastriæ, 1390. Johanne II. rege Castellæ, 1440. Alphonso V. 1450. Ludovico XI. 1478. Henrico VIII. Edvardo VI. et Elizabetha Angliæ regibus, in injunctionibus et regni comitiis. Joanna D'Albret regina Navarræ, cujus authoritate novum Testamentum Cantabrica lingua (interprete Johanne de Licarragne de Briscons) prodiit Rupellæ, ann. 1571. Jacobo Dei gratia Britanniarum monarcha in Βασιλικῷ Δώρῳ.

SECT. III.

Ex jure canonico, sententiisque Romanorum pontificum.

" Si[a] juxta apostolum Paulum Christus[b] Dei virtus est et Dei sapientia; et qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam: Scripturarum ignorantia Christi est ignorantia."

" Qui[c] ea, quæ Dei sunt, nesciunt, a Deo nesciuntur; Paulo attestante, qui ait: *Si quis ignorat, ignorabitur*[d]."

" Sicut[e] stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium firmamento inhærentes sanctæ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas." Ubi glossa: " Firmamento, id est, meditationi et lectioni." Hug. Mundana " Unde dicitur: Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis." De consecr. dist. 5. " Nunquam." (Hug. et Lan.) Sententia hæc in commentitiam Zephyrini epistolam translata est ex libro Sententiarum ex operibus Augustini a Prospero excerptarum sentent. 120.

" Apostolica[f] authoritate mandamus, dum sancta evangelia in ecclesia recitantur, ut sacerdotes et cæteri omnes

[a] In 1. parte Decreti, distinct. 38. cap. 9. Ex Hieronymo ad Eustochium in proœmio comment. in Esaiam.

[b] 1 Cor. cap. 1.

[c] Decret. distinct. 38. cap. 10. Ex Gregorio in pastorali, par. 1 cap. 1

[d] Vid. plura ex Gregorio papa supra ad ann. 595.

[e] Decret. part. 1. distinct. 38. cap. 8. Ex Zephyrini papæ ficta epistola 1. ad episcopos Siciliæ.

[f] Decret. part. 3. de consecrat. distinct. 1. cap. 68. Ex Anastasio primo Romano episcopo ad episcopos Germaniæ ac Burgundiæ, epist. 1. cap. 1.

præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi, in conspectu evangelii stantes Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent[g]."

"Non[h] mediocriter." Ex Hieronymo, ut dicitur. "Nunquid verborum multitudine flecti Deus ut homo potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus. Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate et serenitate et spirituali hilaritate, quam totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis et tristitia[i]."

"Lectores[j] a legendo, psalmistæ a Psalmis canendis vocati. Illi enim prædicant populis quid sequantur; isti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium. (Prædicant) id est, legunt, recitando, non autem prædicando; quia illud est officium sacerdotum," 16. qu. 1. "Adjicimus." (Glossa.)

In[k] publica Ecclesiæ liturgia illud corrigendum esse dicitur: Quod "antistites et ministri cum barbarismis et solœcismis Deum invocent; vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligant, perturbateque distinguant." Et ratio additur; "ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat Amen."

"*Cantantes*[l] *et psallentes in cordibus vestris Domino.* Audiant hæc adolescentuli; audiant ii, quibus psallendi in ecclesia officium est: Deo non voce sed corde cantandum: Nec in tragædorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audi-

[g] Decret. part. 3. de consecrat. distinct. 1. cap. 70. Vid. supra in Cypriano ad ann. 250.

[h] Decret. de consecrat. part. 3. distinct. 5. cap. 24.

[i] Habentur hæc fere, et in hanc sententiam plura in regula monachorum ex Hieronymi et aliorum scriptis a Lupo de Oliveto collecta, et Martini V. Romani pontificis authoritate confirmata, tom. 4. operum Hieronymi edit. Basil. 9. vero edit. Mariani Victorii.

[j] Decret. part. 1. distinct. 27. cap. 1. Cleros. Ex Isidoro. lib. 7. etymolog. cap. 12.

[k] Decret. part. 1. distinct. 38. cap. 12. "Sedulo nomendi." Ex Augustino de catechizandis rudib. cap. 9.

[l] Decret. part. 1. distinct. 92. cap. 1. Ex Hieronymo. hb. 3. comment. ad cap. 5. epist. ad Ephes.

antur et cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum[m]."

In ordine Romano, de officiis divinis (quem a Gelasio papa collectum constantior opinio est; si credimus Baronio[n]; Bellarmino[o] licet author floruisse videatur post annum DCC.) benedictio lectorum ita proponitur: "Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium lectorum; ut assiduitate lectionum sint apti pronuntiare verba vitæ, et mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia: Et in utroque sanctæ Ecclesiæ gratiam pro suis modulis spirituali devotione resonent[p]." Sed et in pontificali Romano impresso Lugduni, et postea Clementis VIII. jussu restituto, et Romæ, anno MDXCV. edito, pontifex lectores a se ordinandos ita admonere jubetur: "Studete verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte et aperte ad intelligentiam et ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque dum legitis, in alto loco ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini[q]," &c.

Ἔστω[r] πᾶσιν ὑμῖν κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια. Τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωσέως πέντε, Γένεσις, Ἔξοδος, &c. ἡμετέρα δὲ, τουτέστι τῆς καινῆς διαθήκης, Εὐαγγέλια τέσσαρα, &c. Sint autem vobis omnibus clericis et laicis venerabiles et sancti libri, veteris quidem testamenti Moysis, quinque, Genesis, Exodus, &c. Nostra vero, hoc est, novi Testamenti, evangelia quatuor," &c. In quem canonem ita scribit Jo. Zonaras: "Quum[s] ve-

[m] Lib. 1. Decret. tit. 31. de offic. judicis ordinarii, cap. "Quoniam," est cap. 9. Lateranensis concilii (de quo supra) De Leone I. supra ad ann. 450. Nicolao I ann. 860. Johanne VIII. ann. 880. Innocentio III. ann. 1200. et 1215.

[n] Ann. 692. sect. 44.

[o] Lib. 2. De Missa, cap. 14.

[p] In Liturgicis Romæ excus. 1591. fol. pag. 64.

[q] Pag. 22.

[r] Canon. apost. 85.

[s] Διαταξάμενοι οἱ σεπτοὶ ἀπόστολοι πῶς χρὴ τοὺς πιστοὺς βιοῦν, ἐπηγαγον τελευταῖον καὶ τίνα δεῖ αὐτοῦς ἀναγινώσκειν βιβλία.

nerabiles apostoli præscripsissent, quomodo fideles Christi oporteat vivere; tandem subjunxerunt etiam quos libros decet ipsos legere."

In Clementis Romani (quæ dicuntur) Apostolicis constitutionibus: "Scripturas[t] sanctas assidua memoria meditare. Scriptum est enim: In lege ejus meditaberis die ac nocte, deambulans in agro, et domi sedens, cubans et experrectus, ut in omnibus sis intelligens." Et capite quinto: "Intus[u] sedens, lege legem, libros de regibus, prophetas, cane psalmos David, percurre diligenter evangelium, in quo sunt hæc consummata[w]."

Ubi de corruptis viduarum moribus agitur, ita legimus: "Non[x] enim ad ecclesiam, quæ est communis omnium requies, Dominica die adeunt; ut faciunt, qui vigilantes sunt, &c. Immo nec sinunt alios vigilantes ac sobrios esse in Domino, sed potius sic eos præparant, ut tales exeant, quales ingrediuntur, vacui scilicet; idque quia non audiunt istæ vel eos qui docent, vel eos qui verbum Dei legunt. Hujusmodi sunt, de quibus ait propheta: *Auditu*[y] *audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non scietis: incrassatum est enim cor populi hujus*[z]."

"Docete[a] filios vestros a pueritia literas sacras, et vestras et divinas; omnemque divinam Scripturam eis tradite." Si hæc a Clemente Romano profecta sunt temporibus

[t] Τὰ τοῦ Χριστοῦ λόγια ἀναμιμῆσκόμενος διηνεκῶς μελέτα, λέγει γὰρ ἡ γραφὴ σοὶ, ὅτι ἐν τῷ νόμῳ αὐτου μελετήσεις ἡμέρας καὶ νυκτὸς, &c. ἵνα συνιῇς ἐν πᾶσιν. Apostol. const. lib. 1. cap. 4.

[u] Καθεζόμενος ἔνδον, ἀναγίνωσκε τὸν νόμον, τὰς βασιλείους, τοὺς προφήτας, ψάλλε τοὺς ὕμνους Δαβὶδ, διέρχου ἐπιμελῶς τὸ εὐαγγέλιον, τὸ τούτων συμπλήρωμα.

[w] Tom. 1. concil. edit. Nicolin. pag. 64.

[x] Οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κοινὸν τῆς συναγωγῆς ἀνάπαυμα ἐν τῇ κυριακῇ καταντῶσιν, ὡς οἱ ἐγρηγορότες, &c. οὐκ ἐῶντες αὐτοὺς νήφειν ἐν κυρίῳ, ἀλλὰ παρασκευάζοντες τοιούτους αὐτοὺς ἐξιέναι, οἷοι καὶ εἰσίασι διάκενοι, διὰ τὸ μὴ ἀκούειν τῶν διδασκόντων, ἢ τῶν ἀναγινωσκόντων τὸν τοῦ κυρίου λόγον, &c. Lib. 3. cap. 6.

[y] Isai. cap. 6. [z] Pag. 92.

[a] Ἐκδιδάσκετε οὖν ὑμῶν τὰ τέκνα τὸν λόγον κυρίου, —— ἀπὸ βρέφους διδάσκοντες αὐτὰ ἱερα γράμματα, ὑμέτερά τε καὶ θεῖα, καὶ πᾶσαν γραφὴν θείαν παραδιδόντες. Lib. 4. constitut. apostol. cap. 10.

apostolorum, et divi ipsius Petri successore (ut hunc ipsum locum citans audacter pronuntiat Possevinus[b]) mirum qua fronte legem apostolicam vel saltem pontificiam Romanenses nostri repudiare audent.

[b] Biblioth. select. lib. 4. cap. 6.

CAP. VIII.

PRAXIS ECCLESIÆ.

SECT. I.

Scripturæ passim in linguis vulgaribus extabant.

Chaldaicæ versiones a Jonathane filio Uzzielis, Onkelo proselyto, Aquila proselyto, R. Josepho Cæco, &c. elaboratæ sunt. Vide Eliam in præfatione Methurgeman, et in Tischbi, radice פוס, et quæ supra a nobis in Hebræorum sententiis notata sunt. Apud Græcos variæ interpretationes ("Sciendum[a] est," inquit Moses Barcepha, "vetus testamentum pluribus translationibus ex Hebræa in Græcam linguam esse transpositum") Septuaginta interpretum, Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, quintæ etiam et sextæ editionis, extiterunt, quas omnes in Octaplis suis conjunxit Origenes ; et ex iis etiam unam editionem confecit, notis quibusdam ita distinctam, ut quid esset in Hebræo, quid non, quomodo a Septuaginta aliæ interpretationes variarent, statim appareret[b]. Sed et Lucianus martyr, cum in prædictas editiones et Scripturas Hebraicas incidisset, ac sedulo inspexisset verba quædam Scripturæ veritati deesse, quædam vero irrepsisse superflua ; libros sacros ex Hebraico sermone magno labore restituit[c].

[a] De Paradiso, part. 1. cap. 28.

[b] Vid. Eusebium, lib. 6. cap. 13. Athanasium in Synopsi, et Epiphanium in lib. De mensuris et ponderibus, atque Isidorum, lib. 6. Orig. cap. 4.

[c] Athanasius in Synopsi, et Suidas in voce Λουκιανὸς.

Accessit demum Heyschius, qui interpretationem Septuaginta a se emendatam Ægyptiis tradidit. Unde Hieronymus præfatione in libros Paralipomenωn (quam etiam inseruit apologiæ adversus Rufinum) "Alexandria," inquit, "et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat authorem, Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat." Psalterium quoque et prophetas, quos Hieronymus de Hebræo in Latinum vertit, Sophronius de Latino in Græcum vertit; quemadmodum in catalogo[d] suo testatur Hieronymus. Quam[e] quidem Græcam translationem, ut ex collectaneis Procopii in Octateuchum apparet, multi Græci expositores, citato etiam Hieronymi nomine, commentariis illustrarunt.

Cæterum quam late usus linguæ Græcæ olim patebat, omnes norunt. Unicum tamen Hieronymum testem dabo: qui procœmio libri secundi commentariorum in epistolam ad Galatos, ait, Galatas, "excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem pene habere quam Treviros."

De Latinis ita Augustinus de doctrina Christiana. "Qui[f] Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam linguam verterunt, numerari possunt: Latini autem nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Quamvis[g] non defuerit temporibus nostris," inquit idem[h], "presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit."

[d] In Sophronio.

[e] Vid. Sixtum Senens. biblioth. sanct. in Procopio et Sophron.

[f] Lib. 2. cap. 11. op. tom. 3. pag. 25.

[g] Vid. de vulg. Latin. pulchram sententiam Jac. Gretseri in defens. Bellarm. col. 779.

[h] Lib. 18. De civitate Dei, cap. 43.

Innumeris vero fere gentibus unica versio Latina Scripturarum notitiam tunc temporis præbere poterat. Incredibilem enim linguam Latinam amplitudinem obtinuisse demonstrat P. Merula[i], qui eam Africæ etiam partem, quam incolebant Romani (pariter ac eam Italiæ partem quam, incolebant Græci) bilinguem fuisse ostendit[k]. Sane Afros Latine locutos confirmat Apuleius in Floridis. Ipsa etiam Britannia victricis Romæ linguam accepit. "Si quis sit" inquit Camdenus[l], "qui non credat Britannos linguam Latinam provincialem usurpasse; næ ille noverit, quantopere Romani laborarint, ut provinciæ loquerentur Latine; nec viderit, quanta vis Latinarum dictionum in Britannicam linguam irrepserit; ut Taciti authoritatem non urgeam, qui scribit Britannos Domitiani tempore Latinæ linguæ eloquentiam concupisse." Hæc Camdenus. Hinc Gildas de Saxonicis navibus, "ut lingua ejus exprimitur, Cyulis, nostra, longis navibus." De Hispanis Strabo: "Turdetani[m], maxime qui ad Bætim sunt, plane Romanos mores assumpserunt, ne sermonis quidem vernaculi memores; ac plerique facti sunt Latini, et colonos acceperunt Romanos; parumque abest, quin omnino Romani facti sint. Et qui hanc formam sequuntur Hispani, Stolati seu Togati appellantur; in quibus sunt Celtiberi, quondam omnium maxime feri inhumanique habiti." Hæc ille; ubi observare licet Romanæ linguæ, sed paulatim depravatæ, in Hispania primordium.

Sed et Scripturas per varias interpretum linguas longe lateque diffusas innotuisse gentibus ad salutem testatur Augustinus[n]. Et Hieronymus in præfatione in quatuor Evangelia ad Damasum, Scripturam multarum gentium linguis ante Luciani et Hesychii tempora translatam esse confirmant. Unde Augustinus, "Neque[o] enim," inquit, "sic potuit integritas atque notitia literarum unius quam-

[i] In Cosmograph. pag. 796, 797.
[k] Cosmograph. pag. 791, 792.
[l] Pag. 83. edit. 1607.
[m] Lib. 3.
[n] Lib. 2. De doctr. Christ. cap. 5. quem suo loco citavimus.
[o] Epist. 93. ad Vincentium op. tom. 2. pag. 246.

libet illustris episcopi custodiri ; quemadmodum scriptura canonica tot linguarum literis et ordine et successione celebrationis ecclesiasticæ custoditur." Hoc ipsum ex testimonio Eusebii, quod supra ad annum CCCXXXV. Chrysostomi in Johannem Homilia prima, quod ad annum CCCXC. et Theodoreti, quod ad annum CCCCL. reposuimus, ita manifeste liquet, ut mira sit Roberti Bellarmini vel inscitia vel impudentia ; qui[p] nullum antiquum authorem meminisse alicujus alterius translationis, quam Græcæ et Latinæ, satis confidenter pronunciat.

De translatione in usum Gothorum facta supra dictum est ad annum CCCLXX. in Ulphila : cujus exemplar MS. idque vetustissimum Gothicis literis majoribus scriptum in aliqua Germaniæ bibliotheca delitescere dicitur ; quemadmodum refert Bonaventura Vulcanius præfatione in commentarium de literis et lingua Getarum. Huc referantur, quæ habet Suffridus Petrus præfatione in scriptorum Frisiæ Decades. " Et nobis etiam," inquit, " hic (Coloniæ) coram testatus est Clariss. V. J. C. Matalius Metellus Sequanus, ad suas manus aliquando pervenisse novum Testamentum lingua Gothica, characteribus Græcis, scriptum. Et Stephanus Vinandus Pighius scholasticus Sanctensis, literis ad me datis prid. Id. Maii anno MDLXXXVIII. scripsit a se Dominum Joachimum Hopperum mutuo habuisse vetustissimæ linguæ Germanicæ, quam ille Frisicam appellabat, orationem Dominicam ex ejus linguæ novi Testamenti libro quodam descriptam, characteribus antiquissimis Græcis." Hactenus Suffridus. Et extabat sane in bibliotheca D. Hermanni comitis de Newenar liber vetustissimus aureis argenteisque characteribus in papyro exaratus, continens universum novum Testamentum lingua antiqua Frisonum ; ut nobilis ille Philippus Marnixius Dominus Sanct-Aldegundius literis suis Sibrandum Lubbertum docuit[q]. Ex hoc libro idem Aldegundius dicit se habere descriptam orationem Dominicam Frisico vel Saxonico antiquo charactere, qui non

[p] Lib. 2. De verbo Dei, cap. 15.

[q] Lubbert. de princip. Christian. dogmat. lib. 3. cap. 7.

multum a Muscovitico charactere differre, et ad Græcum accedere, videtur. Ejus initium est: "Atta unsar thu in himina; waikmi namo thien, &c." Eadem ipsa oratio[r] Dominica (cum quibusdam[s] ex Evangelio secundum Marcum) descripta est a Johanne Goropio Becano, libro septimo originum Antwerpianarum, ex schedis Antonii Morilloni, qui Antonio Perrenoto cardinali Granvellano fuit ab epistolis Latinis, et a bibliotheca[t]: quo in munere successit eidem Stephanus Vinandus Pighius[u], qui, ut supra dictum (ex eodem codice proculdubio) orationem Dominicam descriptam Joachimo Hoppero dedit; quam ille, ut et Philippus Marnixius (eadem enim oratio est ab eo descripta ex bibliotheca Hermanni comitis de Newenar) vetustissima lingua Germanica vel Frisica exaratam putavit; quanquam ea Gothica doctissimi cujusque apud Colonienses judicio habebatur, ut in loco proxime citato confirmat Goropius: unde etiam a Goldasto[x] citatur nomine Gothici evangeliorum interpretis. Estque ille ipse argenteus codex, vetere Gothorum lingua et literis scriptus; ex quo tum orationem Dominicam descripsit, tum alia nonnulla Marci et Lucæ citavit Antonius Morillonus, vel quicunque author fuit commentarioli de lingua Gothica a Bonaventura Vulcanio editi[y]; oratio enim Dominica, pagina 32. convenit tam cum ea quam habet Goropius, tam cum illa quam habet Philippus Marnixius ex novo Testamento aureis argenteisque characteribus in papyro exarato ex bibliotheca Hermanni comitis de Newenar. Neque aliud videtur fuisse novum illud Testamentum, lingua Gothica, characteribus Græcis, scriptum: quod ad manus suas aliquando pervenisse testatus est Matalius Metellus Sequanus. Characteres enim illi ad Græcos (vel potius Illyricos) proxime accedere videntur. Porro Antonium Morillonum ista descripsisse ex antiquissimo codice monasterii Werdeni in regione Ber-

[r] Gorop. pag. 740.
[s] Ibid. pag. 750.
[t] Gorop. pag. 739.
[u] Pighius, præfat. ad lectorem in annales magistrat. Roman.
[x] Script. Parænetic. part. 1. pag. 232.
[y] Pag. 1. 10. 31, 32. 48, &c.

gensi, quatuor plus minus milliaribus a Colonia distantis testatur Goropius. Similiter[z] Arnoldus Mercator ait extare in bibliotheca abbatiæ Werdinensis codicem antiquissimum, ante mille plus minus annos in pergameno aureis et argenteis literis perscriptum, continentem quatuor evangelistarum opus, sed (quod dolendum est) lacerum, diruptum, et nullo ordine ignorantia compactoris colligatum. Ex eo magnam partem sexti capitis Matthæi (scilicet orationem Dominicam cum præcedentibus et proxime subsequentibus) et initium evangelii secundum Marcum, eandem habens inscriptionem cum ea, quam ex schedis authoris commentarii de lingua Gothica descripsit Bonaventura Vulcanius[a], delineavit Arnoldus opera et adminiculo D. Henrici Duden pro tempore abbatis: nam plura communicare vetabat obscuritas literarum jam vetustate evanescentium. Ea vero cum alphabeto, et lectionis explicatione (quæ aliquando diversa est ab ea, quæ in commentariolo de lingua Gothica posita est; licet characteres Gothici iidem prorsus sint; quippe sine omni controversia ex eodem exemplari descripti) ex Arnoldi schedis descripta in magno inscriptionum opere[b] reposuit Janus Gruterus.

In lingua Syriaca, Armenica, et Æthiopica cum veteris tum novi Testamenti versiones integras reperiri testatur Guido Fabricius in dedicatione Testamenti Syriaci interlineati (anno MDLXXXIV. Parisiis editi) ad Henricum III. Gallorum regem. "Syram editionem veteris Testamenti Eusebius Emesenus et alii Græci patres una cum cæteris Græcis et Latinis editionibus sæpe edisserunt:" inquit Sixtus Senensis[c]. Et veteris quidem Testamenti translationem Syriacam tempore Thaddæi apostoli, et Abgari Syrorum regis, factam fuisse, ex prologo quodam Psalterio Syriaco præmisso tradit Georgius Amira in præludio de Chaldaicæ linguæ utilitate, Grammaticæ suæ Syriacæ præfixo. Et Syriacæ quidem editionis meminit Eusebius Emesenus in Catena Græca in Genesin, Basi-

[z] Orig. Antwerp. lib. 7. pag. 739. [a] Pag. 66.
[b] Pag. 146, 147, 148.
[c] Biblioth. sanct. lib. 4. voc. Euseb. Emes. et Syra editio.

lius Magnus in Hexaemeron[d], Ambrosius[e], Augustinus De civitate Dei[f], Theodoretus in Jonæ tertium caput, Polychronius in Danielis tertium caput[g], Moses Barcepha in commentarios de Paradiso[h], Hieronymus[k] in epitaphio Paulæ Syricorum Psalmorum meminit. Novi Testamenti libros a Marco evangelista translatos in linguam Syram ex avita traditione affirmant Syri; quemadmodum ab iis accepit Gulielmus Postellus, qui etiam secum ab Oriente novi Testamenti exemplar Syrum, jam ab anno 1500. regni Alexandri (circa annum Christi MCXC.) manu descriptum attulit[l]; "Quin et omnes (inquit Robertus Personius[m]) ecclesiæ Asiaticæ et Africanæ usque ad hunc diem, etiam ipsi Abyssini, qui presbytero Johanni subsunt, (licet alterius linguæ sint) hoc Testamento Syriace utuntur, ut a S. Marco converso." Porro annis abhic quinquaginta Antiochenus patriarcha, quum in suis ecclesiis non Latino sed qui illic intelligitur, Syriaco sermone utatur; et necessariis ad ministerium quasi instrumentis, hoc est, libris, destitueretur; misit quendam ordinis ecclesiastici hominem, Mosen Mardenum, qui vel Romæ vel Venetiis novum Testamentum Syriace imprimendum curaret. Sed cum id esset frustra, iter ad Ferdinandum Cæsarem dirigens, incidit in virum doctissimum Albertum Widmanstadium Austriæ orientalis per id tempus cancellarium; cujus opera effectum est, ut sumptus Cæsare subministrante novum Testamentum lingua et characteribus Syris, anno MDLV. Viennæ pulcherrime excusum prodierit[n]. Illud vero opus Ferdinandus Cæsar episcopo Ephasino dono misisse dicitur, "ut suis diœcesanis et

[d] Homil. 2.

[e] Lib. 5. Hexaemer. cap. 8. op. tom. pag.

[f] Lib. 15. cap. 13.

[g] In Catena Græca, teste Ant. Caraffa.

[h] Par. 1. cap. 28. &c. Vid. annum 370. in Ephræm Syro, 390. in Jo. Chrysostomo, homil. 1. in Johannem; 616. in Syris.

[k] Epist. 27. op. tom. 4. pag. 669.

[l] Guido Fabricius, præfat. in novum Testamentum Syriac. tom. 5. biblior. reg.

[m] Epitome controvers. de verbo Dei, qu. cap. de edit. Syriaca.

[n] Alb. Widmanstad. et Imman. Tremell. præfat. in Testam. Syriac.

vicinis episcopis communicaret. Quod ejus factum iniquissimo animo tulisse papam, et corruptorem quendam, Lucretium nomine, subornasse affirmant[n]." Utrumque vero Testamentum affirmat Georgius Amira Syrus (loco citato) ab apostolorum temporibus hucusque magno omnium Orientis populorum, qui Chaldaica sive Syriaca utuntur lingua, studio retentum, et semper summa in veneratione et authoritate esse habitum, et demum publice in omnibus eorum ecclesiis, antiquissimis constitutis in Syria, Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, et denique in universi Orientis partibus dispersis ac disseminatis lectum esse ac legi. Sed de versionibus Syriacis satis. Id tantum addam, quod habet Moses Barcepha[o], vetus Testamentum Syriace redditum esse una quidem interpretatione ex ipso Hebræo, altera vero ex Græco[p]. Quodque Jacobus Navarchus Hondischotanus[q] de ecclesiarum Asiaticarum praxi refert; "Omnes (inquit) ecclesiæ Asiæ Syriaca lingua, ut nostræ Latina, utuntur."

"Utriusque[r] Testamenti in linguam Armenicam extat translatio[s], qua nunc Armeni utuntur; Chrysostomi, ut ipsi credunt, industria et sollicitudine edita. Meminit hujus translationis Georgius patriarcha Alexandrinus in vita Chrysostomi, referens eum, cum in Cucusum Armeniæ oppidum exularet, incolas ejus regionis ad Christum perduxisse; ac subinde curasse ut Psalmi Davidis una cum sanctis evangeliis atque aliis veteris Instrumenti historiis Armenice verterentur, quo facilius divinæ Scripturæ cognitionem gentes provinciæ illius obtinerent." Vide supra ad annum CCCC. in Scythis, et CCCCL. in Theodoreto, atque Angelum Roccham in Bibliotheca Vaticana[t]. Petrus

[n] Johan. Wolfius Lection. memorabil. centenario 16. anno 1561. Vid. Gretserum de hoc, ex Paulo Vergerio.

[o] De Paradiso, part. 1. cap. 28.

[p] Vid. Pet. Galesinium de Bibliis Græcis. pag. 53. et Joseph. Scaligerum Canon. Isagog. lib. 3. pag. 264.

[q] Epist. Asiatic.

[r] Sixtus Senensis, lib. 4. Biblioth. sanct. in Johan. Chrysost.

[s] Psalterium in lingua et characteribus Armenicis MS. habetur Cantabrigiæ in bibliotheca S. Benedicti.

[t] Pag. 157.

Victor Cajetanus[u] ait se cum Thoma Angelo Armeno Psalmis Armenicis diligenter incubuisse; quos Thomas ille constanti fama apud Armenos a D. Johanne Chrysostomo Armenica lingua editos perhiberi asserit. Quin et Armenam versionem a S. Johanne Chrysostomo ei nationi præstitam esse prodit Petrus Galesinius[x]. Quo vero res clarius pateat, integrum Georgii Alexandrini locum apponam. Sic igitur ille de rebus Chrysostomi apud Cucusum agens.

"Ἐχειροτόνησε[y] δ' αὐτοῖς ἑπτὰ ἐπισκόπους, καὶ πλῆθος πρεσβυτέρων καὶ διακόνων πρὸς τὸ ἐπαρκέσαι τοῖς ὄχλοις εἰς λειτουργίαν τῆς ἐκκλησίας, καὶ θυσίαν ἱερὰν καὶ ἀναίμακτον, θέμενος αὐτοῖς καὶ κανόνας ψαλμῳδίας, ἐκδεδωκὼς αὐτοῖς καὶ τὴν θείαν μυσταγωγίαν. εὗρε γὰρ κατὰ χαρὶν Θεοῦ τινας ἐξ αὐτῶν ἐπισταμένους τὴν ἑλληνίδα γλῶσσαν, καὶ παρεσκεύασεν αὐτοὺς μεταφράσαι τὴν νέαν διαθήκην καὶ τὸ ψαλτήριον τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ, ὅπως γνῶσιν λάβωσι τῆς θείας γραφῆς. παρήγγειλε δ' αὐτοῖς ἐκμανθάνειν τὸ ψαλτήριον ἵνα ἐκ τῶν ἀσμάτων αὐτοῦ ᾄδωσιν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, εἰπὼν ὡς κατὰ μέρος καὶ τὴν παλαιὰν διαθήκην ἑρμηνευσαι ἔχουσιν ὑμῖν. Ordinavit illis septem episcopos, presbyterorum vero ac diaconorum ingentem numerum; tot scilicet quot sufficerent populo ad ecclesiastica officia peragenda et sacrosanctum incruentumque sacrificium obeundum. Tradidit illis insuper et psalmodiæ regulas, data etiam mystagogia divina. Invenit enim largiente Deo quosdam ex eis Græce scientes; quos novum Testamentum et Psalterium in vernaculam ipsorum linguam convertere effecit; uti notitiam S. Scripturæ obtinerent. Illis etiam mandavit Psalterium ediscere, ut ex canticis illius in ecclesiis cantarent: subjiciens, illorum officii esse, ut saltem partem veteris Testamenti in vernaculam linguam transferrent."

Hinc manifeste patet, quam parum fidei mereatur Græculi cujusdam relatio de origine errorum Armeniacorum;

[u] Paradigm. ling. Armen. pag. 73.

[x] De Bibliis Græcis, pag. 8.

[y] De vita Chrysost. sect. 59. tom. edit. Savil. 1612. pag. 236.

quam in MS. quodam codice bibliothecæ Bavaricæ se reperisse prodit, atque exinde ista citat Gretserus[z]. "Βασιλεύοντος Ῥωμαίων Θεοδοσίου, καὶ Περσῶν Βραμσαποῦ, μὴ εὑρισκομένων τινῶν ἐν Ἀρμενίᾳ λαλιὰν Ῥωμαϊκὴν ἢ γράμματα εἰδέναι, ἀνέστησαν τινὲς παρὰ τὴν διατύπωσιν τοῦ μεγάλου Γρηγορίου, καὶ μετεσκεύασαν ἑαυτοῖς ἀρμενιστὶ ψαλμῳδίαν καὶ γράμματα καὶ μέλισματα. ὅπερ μαθὼν Θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς, ὠργίσθη Ἀρμενίοις διὰ τὴν παράβασιν τῶν τοῦ ἁγίου Γρηγορίου παραδόσεων. Imperante Theodosio, et regnante apud Persas Bramsapo, cum nulli in Armenia reperirentur, qui Romanam[a] linguam perspectam haberent; extiterunt nonnulli, qui contra formam a magno Gregorio (Armeniæ episcopo) præscriptam, sibimetipsis Armeniaca lingua Psalmos et literas et cantiones transtulerunt. Quod audiens Theodosius imperator, valde succensuit Armenis; eo quod traditionem a Sancto Gregorio acceptam violassent." Narrat deinde author, quomodo quidam ex Armenis ad Theodosium profecti ejusdem animum mitigare studuerint; et inter cætera etiam hoc promiserint, se nunquam amplius ab Ecclesia Catholica et apostolica secessionem facturos; semperque Romanam, hoc est, Græcam linguam retenturos, διὰ τὸ εἶναι ταύτην, ἤγουν τὴν τῶν Ῥωμαίων μελῳδίαν ἀγγελικὴν καὶ οὐράνιον. διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὴν ἡμετέραν παχύτητα συνισούσθαι ταύτῃ: Quod hæc, hoc est, Romana seu Græca melodia sit angelica et cœlestis: quam rusticitate nostra nequaquam assequi aut æquare liceat." Addit Gretserus: "En quanti referre arbitrati sunt Græci, ut divina officia Græca lingua celebrarentur! Et tamen schismaticus Balsamo[b] omnibus nationibus sacra vernacule peragendi largam potestatem facit." Hactenus Gretserus: quasi vero minor esset Balsamonis patriarchæ, quam alterius nescio cujus Græculi authoritas. Sed consule de Armeniis graviores utrisque authores supra commemoratos, anno CCCCL.

[z] Defens. cap. 15. lib. 2. Bellarmini, col. 881.

[a] Ita Græcam linguam vocat author, ut notat Gretserus, quia imperatores Constantinopolitani nominabant se Romanos imperatores quibus ipsa Constantinopolis erat nova Roma.

[b] Vid. supra ad ann. 1194.

in Theodoreto, et CCCCXC. in Saba. Nihil etiam tale de Armenis in Nicone et Euthymio legimus, neque in Actis Gregorii Armeni apud Metaphrasten: immo contrarium potius, ut ostenditur supra, pag. 174.

Apostolorum temporibus sacrum prophetiarum contextum idiomate Æthiopico in manibus eunuchi reginæ Candacis conscriptum extitisse pronuntiat Petrus Victor Cajetanus[c]. Et nostris quidem temporibus Johannes Potken, præpositus ecclesiæ S. Georgii Coloniensis, Psalterium lingua Æthiopica, quam ille Chaldaicam falso putavit, sicut ostendunt Munsterus[d], Postellus[e], et Theseus Ambrosius[f], excudendum anno MDXVIII. curavit: "Quo nunc utuntur monachi Æthiopes, qui se Indos appellant; ipsumque in templo, quod Romæ habent, publice decantant;" ut refert Sixtus Senensis[g]. Hinc Paulus Jovius, "Abissinæ[h] linguæ," inquit, "Chaldaicis elementis scriptæ sacros libros Romæ impressos videmus; quos Abissini religionis causa ab Hierosolymis Romam venientes, pro insigni miraculo in patriam deferre solent." Petrus etiam Æthiops monachus, anno MDXLVIII. idiomate Æthiopico imprimendum curavit Testamentum novum, cum epistola Pauli ad Hebræos tantum, et Missale cum benedictione incensi, ceræ, &c. Sed pessima fide Æthiopum libros traductos esse et mendosissime affirmat Josephus Scaliger: "Malam," inquit, "fidem interpretum agnoscas in epistolis Pauli; in quibus vix tria commata continua reperias, in quibus aut verba aut mens apostoli reddita sint. Evangeliorum et psalmorum tralationes habent omnes varias lectiones, quæ ultimis temporibus in textum sacræ Scripturæ irrepserunt. Quod quidem patefacit nuperam eorum tam translationem sacrorum librorum quam professionem Christianismi. Acta sane apostolorum, quæ Romæ edita sunt, ex vulgari Italico conversa esse, tametsi is, qui edidit, non testatus esset, ta-

[c] Paradigm. ling. Æthiop. [d] Grammar. Chaldaic.
[e] Alphabet. 12. linguar.
[f] Introduct. in lingu. Chaldaic. fol. 13, 14.
[g] Biblioth. sanct. lib. 4. [h] Jov. Hist. lib. 18. pag. 218.
[i] Lib. 7. de Emendat. temp. in computo Æthiop.

men ex innumeris locis id et puero colligere haud difficile fuerit." Hactenus Scaliger. Chrysostomus tamen, homilia prima in Evangelium Johannis, indicat Æthiopas, sicut et Persas, Indos ac Ægyptios, libros sacros sua lingua jam tum habuisse.

Psalterium Ægyptiacum in lucem se editurum promisit Scaliger. Si Sibrando Lubberto credimus, P. Victor Cajetanus[k] asserit sibi præ manibus esse exemplar Ægyptiacum manuscriptum, continens B. Pauli epistolas, quod Clemens VIII. papa Ebroicensi episcopo commodavit. Ibidemque ait, se cum Thoma suo Armeno, Arabico novo Testamento et Persico quotidie operam dare; quatuor evangelistas Romæ lingua Persica excudendos fuisse testatur Possevinus[l]. Albertus Widmanstadius in præfatione novi Testamenti Syriaci ad Ferdinandum Cæsarem; et post eum Guido Fabricius in præfatione Testamenti Syriaci ad Henricum III. Francorum regem, meminit Arabicæ versionis librorum veteris Testamenti Sahadiæ Gaonis, itemque Persicæ Jacobi Tarvasi Pavonis. Et quidem apud Franciscum Raphelengium, Hebraicæ linguæ Lugduni Batavorum professorem, extat R. Saadiæ quadrilingue Pentateuchum; in quo est Persica interpretatio, sed Hebraicis characteribus conscripta; unde initium Geneseos transcripsit Bonaventura Vulcanius in Specimine linguæ Persicæ[m]. Denique Persicam editionem Pentateuchi excusam fuisse in urbe Constantinopolitana, una cum Arabica, characteribus Hebraicis, fidem facit Drusius de Tetragrammato[n].

Arabica versio libri Geneseos cum commentariis eadem lingua scriptis manuscripta apud me extat: sed quam aliam esse a R. Saadiæ paraphrasi tum ex commentariis apparet, quos ab homine Christiano scriptos esse constat; tum ex ipsa versione, quæ non Hebraicam veritatem, sed Græcam interpretationem tum alibi, tum Geneseos capite quinto, et undecimo sequitur[o]. Psalterium Arabicum in Octaplo suo

[k] Paradigm. lingu. Armen. pag. 73.
[l] Biblioth. select. lib. 9. cap. 8.
[m] Ad calcem commentarioli de literis et lingua Getarum, pag. 87.
[n] Cap. 15.
[o] Vid. supra in anno 740.

edidit Augustinus Justinianus Nebiensis episcopus, ex editione quam Syram vocat; alterius etiam Arabicæ, quam Ægyptiam appellat, subinde mentionem faciens[p], sicut et Theseus Ambrosius in sua Introductione. Sunt etiam penes me duo MSS. exemplaria alterius versionis Arabicæ Psalterii: secundum quam Psalmum quinquagesimum anno MDXCV. edidit Fr. Raphelengius in Specimine characterum Arabicorum officinæ Plantinianæ. Evangelia quatuor Arabica Romæ ex magni Hetruriæ ducis typographia elegantissimis typis excusa prodierunt. Actorum etiam apostolorum, et epistolarum Pauli editio parabatur[q]. Acta apostolorum et epistolas duas ad Corinthios ex Arabico transtulit Fr. Junius. Epistolam ad Galatas Arabice edidit Ruthgerus Spey Bopardinus. Ex Psalterio, Evangelio Matthæi, Actis apostolorum, epistolis Pauli, Petri, Jacobi, Johannis et Judæ, itemque Geneseos octodecim prioribus capitibus Arabicis lexicon collectum est Wittebergæ, anno[r] MDLXXXV. In evangelia tres diversos paraphrastas Arabas se habere testatur Josephus Scaliger[s]. Augustinus Justinianus Nebiensis episcopus universum vetus Testamentum lingua Hebræa, Latina, Græca, Arabica et Chaldæa editurus erat; et novum quidem Testamentum absolutum fuisse, vetus autem brevi futurum paratum affirmat ipse in epistola ad Bendinellum[t] de Saulis cardinal. Ex quo opere præter Psalterium, quod typis excusum extat, in universa quatuor evangelia Octaplum, "ipsa authoris manu, atramento minioque descriptum" se vidisse ait Sixtus Senensis[u]. Romæ etiam in collegio Maronitarum vetus Testamentum Arabicum ex Oriente advectum conservari testatur Georgius Amira[x]. Psalterium Syriacum, interpretatione Arabica, vulgari scilicet, singulis verbis Syriacis inter binas lineas interjecta,

[p] Ut in Psalm. 81. 84. et 116. juxta Hebræos.
[q] Possevinus, lib. 9. Biblioth. select. cap. 8.
[r] Cujus meminit Christoph. Hammer. in epist. de Elianis Bibliis, pag. 74.
[s] De emendat. temp. lib. 4. pag. 225. edit. ult.
[t] Apud Gesnerum, tom. 1. biblioth. in Augustino Justiniano.
[u] Biblioth. sanct. lib. 4.
[x] Prælud. de linguæ Chald. antiquitate, præfix. Grammaticæ suæ.

penes se fuisse indicat Josephus Scaliger[y]. Arabicam vero linguam in universa pene Asia et Africa usurpari nos docet Jacobus Navarchus Hondischotanus; "Arabica[z] Rabbi Sahadiæ Haggaon translatio," inquit Robertus Wakfeldus in disputatione de fratris uxore non ducenda, præfixa Syntagmati de Hebræorum codicum incorruptione, "in Africa ubique legitur; eamque Hebræorum peritissimi sequuntur ac allegant tanquam authenticam, utpote ab homine literarum et traditionum atque rerum Hebraicarum peritissimo profectam." Sed de versionibus in lingua Arabica editis (quæ quam late pateat, Postellum consule in introduct. 12. linguar. et præfatione in Grammaticam Arabicam et Waserum de nummis) plus satis[a].

"Transtulit Hieronymus, ut ipsemet in epistola ad Sophronium testatur, universum totius Scripturæ corpus in Dalmaticam linguam, ad utilitatem nationis suæ gentium; quæ usque in hanc diem hujus translationis lectione summa cum veneratione utuntur[b]." "Illyricam versionem olim edidisse traditur ille, summa eruditione et sanctitate celeberrimus ecclesiæ doctor, Hieronymus;" inquit P. Galesinius[c]. Ita Erasmus in apologia adversus Sutorem[d], et Hosius in dialogo de sacro vernacule legendo, constare dicunt Dalmatica lingua sacros libros Hieronymum vertisse. Et Alphonsus de Castro[e], "Fatemur (inquit) olim sacros libros in linguam vulgarem fuisse translatos, beatumque Hieronymum in linguam Dalmaticam eos vertisse." [Quanquam in illa ad Sophronium epistola, quæ est præfatio in psalmos, per linguæ suæ homines Latinos potius intelligere videatur, quam Dalmatas. Ut in proœmio libri secundi in Hieremiam, et in sexto et decimo capite Zachariæ, &c.] Receptæ tamen opinioni favet Josephus

[y] Canon. Isagog. lib. 3. pag. 264.

[z] Epist. Asiatic.

[a] Vid. supra ad ann. 740. 936. 1040. et 1179.

[b] Sixtus Senensis, lib. 4. biblioth. sanct. in Hieronymo. Vid. Bibliandrum de ratione communi omnium linguarum, pag. 15. et Angelum a Roccha in append. Biblioth. Vatic. pag. 337. 339. præcipue Dubravium, lib. 1. histor. Bohem. pag. 4.

[c] De Bibliis Græcis, pag. 8.

[d] Tom. 9. operum, pag. 786.

[e] Lib. 1. hæres. cap. 15.

Scaliger in literis[h] anno MDXCIX. scriptis ad Paulum Merulam; ubi in lingua Sclavonica duplicem haberi sacrorum librorum translationem scribit Rutenicam recentiorem, et Hieronymianam vetustiorem.

Methodius vel Cyrillus in Sclavorum sermonem divina eloquia transtulit[i], ut supra anno DCCCLX. ostensum est. Russi sua lingua habent Psalterium Davidis (quod apud Ostrocenses impressum est) novum Testamentum (Acta apostolorum, Pauli epistolas omnes) ut est in Narratione de religione eorum ad Dav. Chytræum anno MDLXXXI. scripta, pagina 236. Theologiæ Moscoviticæ, anno MDLXXXII. editæ. Biblia Rutenica sive Moscovitica apud Eliam Hutterum se vidisse affirmat Adam Bohoriz[k] et Biblia apud eundem tum Moscovitica tum Croatica lingua extitisse appareat ex Specimine operis polyglotti (præfixo Bibliorum quadrilinguium tomo primo) quales etiam complures Psalmi in Euchologio quodam, quod penes me MS. est (literis Servianis vel Illyricis) reperiuntur. Quam late vero pateat Sclavonica vel Illyrica lingua, consule Sigismundum liberum Baronem in Heberstein, initio Commentariorum rerum Moscoviticarum; Martinum Cromerum in Poloniæ libro priore[l]; Matthium Michovium de Sarmatia[m]. Hosium in dialogo de sacro vernacule legendo, Paulum Merulam in Cosmographia sua[n], præcipue vero Angelum Roccham in appendice bibliothecæ Vaticanæ[o].

De Germanicis et Francicis versionibus jam ante dictum est, annis DCCCVII. DCCCXX. DCCCL. DCCCLXX. MCC. MCCL. MCCCLXX. Germanicas Bibliorum versiones antiquiores Luthero agnoscit Gretserus[p]. Item[q] repetit Germanica lingua extitisse integra Biblia aliquot ante annis quam Lutherus nasceretur. Et[r] aliquot ante

[h] Apud Merulam, Cosmograph. par. 2. lib. 1. cap. 8.
[i] Vid. Angelum a Roccha, loc. cit.
[k] In epistola de Bibliis Elianis, pag. 46.
[l] Corporis Polonicæ historiæ a Pistorio editæ tom. 1. pag. 85.
[m] Lib. 1. cap. 13. Corporis Polonicæ historiæ a Pistorio editæ tom. 1. pag. 134.
[n] Part. 2. pag. 271. [o] Pag. 338.
[p] In Defensione cap. 15. lib. 2. Bellarmini De verbo Dei, col. 806.
[q] Col. 18. [r] Col. 545.

Lutherum natum annis Biblia in Germanicam linguam translata, typis etiam excusa fuisse. " Francica evangeliorum versio, quam habuit beatus Rhenanus, a nostris nullo pacto intelligitur," (ut notat Pantaleon Theveninus ad caput primum Grammaticæ Latino-Francicæ) Harmoniæ evangelicæ a Tatiano concinnatæ vetustissimam interpretationem Teutonicam apud se extare affirmat Bonav. Vulcanius in specimine veteris linguæ Teutonicæ[r]. Ex vetere etiam Germanica Psalmorum versione versiculum proponit Elias Hutterus in Specimine operis polyglotti (præfixo tomo primo Bibliorum quadrilinguium) sicut etiam ex Hibernica, de qua vide supra ad annum[s] MCCCLVIII. Psalterium Scoticum et Gallicum Cantabrigiæ in bibliotheca collegii S. Benedicti, et partem Bibliorum Gallicorum (a Tobia) MS. in privata bibliotheca Gualteri Copi (jam distracta) haberi notat Th. James in posteriore parte Eclogæ suæ pagina 60. His addere licet, quæ Johannes Trevisa sacerdos in dialogo præfixo polychronico Ranulphi Cestrensis scribit Anglice: " Nosti etiam ubi loci Apocalypsis parietibus ac laqueari cujusdam Capellæ Latine simul ac Gallice inscribitur."

Erasmus[t] in apologiis contra Beddam, Sutorem, et Parisienses, asserit; si quæ constitutio prodita sit, prohibens ne laici libros sacros legant, non esse comprobatam usu publico. Jam olim enim a multis seculis haberi sacros libros in linguas vulgares diversarum gentium translatos, connivente ad id ecclesia, et a populo palam legi. Hinc Fridericus Furius in Bononia suo[u] de Bibliis in vulgi linguam convertendis, ex communi omnium fere Christianorum opinione argumentum deducit. " Nam cum jamdiu (inquit) hæc agitari cœpta sit opinio, fuerintque multi qui

[r] Ad calcem commentarioli de literis et lingua Getarum, pag. 54.

[s] De Saxonicis et Anglicis versionibus vide supra ad annos 670. 706. 730. bis 890. 930. 990. 1170. 1380. 1396. 1407. 1416. 1485. 1506. 1511. 1514. 1518. 1520. 1521. 1523. De Italicis, annum 1290. De Hispanicis annos 1425. 1440. 1450. 1515.

[t] Tom. 9. operum, pag. 377. 629. et 703.

[u] Pag. 111.

verti debere negarent; tacitus tamen Christianorum consensus approbavit, verti debere hoc ipso, quod sine discrimine fere ubique jam versi ad promiscuam plebis utilitatem libri et imprimantur et vendantur et legantur. Habet enim Italia providens jam in suam linguam versos libros sacros, Gallia pia etiam in suam, Germania inferior etiam in suam. De Germania superiori et Britannia, et Dania, et Polonia nihil dico : quoniam et pueri sciunt, multis abhinc retro annis in suas quamque linguas Scripturas sacras convertisse." Concludit demum semper habitos esse libros sacros in linguam vulgarem versos, et in Hispania, et Gallia, et Germania, et Italia, et Britannia, et universa Europa; idque cum ipsimet pontifices et certo scirent, et suis oculis inspicerent. " Quæ opinio (inquit) id est, ea quæ affirmat libros sacros verti oportere, tantum abest, ut successu temporis evanuerit, ut quotidie vehementius et certius multo confirmetur. Indies enim videas et plures vernaculos factos de Latinis libros imprimi et vendi et legi, et a pluribus etiam expeti, quam fuerint et patrum et nostra memoria unquam." Hactenus Fridericus Furius, homo etiam pontificius. Sic igitur hac in re praxin Ecclesiæ, et veteris Catholicæ, et recentioris pontificiæ, vidimus. Unde falsum esse perspicitur, quod Robertus Bellarminus[u] negat nostros editionem vernaculam Scripturarum, nisi a paucis annis factam, proferre posse. Desinat ergo mirari P. Victor Cajetanus[x], quid nostris in mentem venerit (quos ecclesiæ perturbatores appellat apostata) quod velint sacras Scripturas vulgari idiomate in omnium manus exponi. Siquidem mendacium impudentissimum, quod tenebrionem istum effutire non puduit, nullam unquam fuisse gentem, quæ sacra sua cum vulgo haberet communia. Audiat Sixtum Senensem. " Fatemur[y] nos (inquit ille) quondam sacros libros vulgari idiomate redditos magna Christianæ fidei propagatione. At nunc id ipsum fieri non omnino expedit; quando certissimo experimento cognovimus plurimam simplici-

[u] De Sacram. in genere, lib. 2. cap. 31.
[x] In Paradigm. ling. Armen. pag. 59.
[y] Lib. 6. biblioth. sanct. annot. 152.

um turbam ex hac occasione in detestabiles et irremeabiles errores corruisse." Ecce habemus confitentes reos; ecclesiam Romanam a veteris Catholicæ consuetudine recessisse; quippe jam experimento sapientiorem factam. Ita et Azorius Jesuita[z] de Hieronymi et Chrysostomi ætate agens, "Nos libenter (inquit) fatemur tunc temporis laicos in Scripturarum lectione fuisse versatos; quia sacra eloquia erant Græco vel Latino sermone conscripta; quem sermonem vulgus quoque callebat. Nunc vero plebs fere rudis est, et imperita Latini sermonis. At laici, qui Græce vel Latine noverunt, Scripturas jure optimo lectitant." Hactenus Azorius; qui quidem Bellarmino maxime adversatur: iste enim statum quæstionis in eo situm dicit, Utrum legendæ sint Scripturæ, non, Utrum translationes.

[z] Institut. moral. lib. 8. cap. 26. sect. *Objicies*, in respons. ad Chrysost.

SECT. II.

In vetere Ecclesia nulli hominum generi Scripturarum lectione interdictum est.

De imperatoribus ac regibus Christianis illud in præcedentibus declaratum est, quibus addere licet Theodosii senioris conjugem Placillam Augustam (quæ "divinas leges eum sæpius admonebat, seipsam tamen prius erudiens perfecte," uti habet Historia miscella[a]) Leonem philosophum imperatorem studiosum Scripturarum, uti constat ex homiliis ejus a Jacobo Gretsero editis: Bathildim uxorem Clodovæi Francorum regis, quæ, facta monialis, divinam lectionem sæpius frequentabat, ut est in Vita[b] ejus ab æquali ejus scripta: et Dagobertum Francorum regem, qui voluit, ut S. Amandus filium Sigebertum recens natum enutriret, atque lege imbueret divina, ut in Vita Sigeberti author est Sigebertus Gemblacensis[c]. Sed et in Ethnicis et hæreticis imperatoribus studium illud comprobatum est. "Non[d] dubito," inquit Athenagoras in Apologia pro Christianis ad imperatores Antoninum et Commodum, "quin vos doctissimi et sapientissimi principes, historias et scripta Mosis, Esaiæ, Hieremiæ, et reliquorum aliqua ex parte cognoveritis." Et paulo post: "Sed[e] vobis relinquo, qui libros novistis, studiosius in illorum prophetias inquirere ac perpendere." Nec minus in Constantio imperatore Ariano illud celebravit Athanasius (initio suæ ad eundem Apo-

[a] Lib. 13. pag. 403. ex Theodoreto, lib. 5. Hist. eccl. cap. 18.

[b] Cap. 8. tom. 7. Surii, pag. 68. [c] Ibid. pag. 85.

[d] *Νομίζω γὰρ ὑμᾶς οὐκ ἀνοήτους γεγονέναι οὔτε τῶν* Μωσέως *οὔτε τῶν Ἡσαΐου, καὶ Ἱερεμίου καὶ τῶν λοιπῶν προφητῶν.*

[e] *Καταλείπω δὲ ὑμῖν, ἐπ' αὐτῶν τῶν βιβλίων γενομένοις, ἀκριβέστερον τὰς ἐκείνων ἐξετάσαι προφητείας.*

logiæ) quod[f] "verborum B. Pauli diligens fuisset auscultator."

De artis oratoriæ professoribus idem liquet ex octavo libro Confessionum Augustini, ubi et Victorini rhetoris et sui ipsius historiam commemorat. Ac de Victorino quidem ita narrat, capite secundo: "Legebat sicut ait Simplicianus, sanctam Scripturam, omnesque Christianas literas investigabat studiosissime et perscrutabatur; et dicebat Simpliciano, non palam, sed secretius et familiarius: Noveris me jam esse Christianum. Sed ubi mihi," inquit Augustinus, capite quinto, "homo tuus Simplicianus de Victorino ista narravit; exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narraverat. Posteaquam vero et illud addidit, quod imperatoris Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere literaturam et oratoriam; quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit quam verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas; non mihi fortior quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi." Et capite sexto de seipso et Politiano, quem ut præclare in Palatio militantem commendat, loquens: "Consedimus," inquit, "ut colloqueremur; et forte supra mensam lusoriam, quæ ante nos erat, adtendit codicem, tulit, aperuit, invenit apostolum Paulum, inopinate sane; putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum vero arridens meque intuens, gratulatorie miratus est, quod eas et solas præ oculis meis literas repente comperisset. Christianus quippe et fidelis erat, et sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in ecclesia crebris et diuturnis orationibus. Cui ego cum indicassem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio," &c. Hactenus Augustinus, qui etiam capite duodecimo indicat se post hunc sermonem cum Alypio in hortulum concessisse; ubi cum codicem apostoli aperuisset, et legisset illud, Rom. cap. XIII. "Non in comessationibus et ebrietatibus," &c. "Statim," inquit, "cum fine hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis

[f] Τῶν αὐτοῦ ῥημάτων φιλήκοον. Athan. Op. tom. 1. pag. 295.

tenebræ diffugerunt." Hæc Augustinus de conversione sua, a Manichæorum hæresi ad fidem orthodoxam historiam narrans.

De Catechumenis idem constat, ex sententiis conciliorum ante prolatis. Unde recte Erasmus in apologia adversus Sutoris debacchationes: " Sit populus eo loco doctis, quo olim erant catechumeni Christianis. Illis ante baptismum enarrabantur historiæ veteris Instrumenti, et ad sacram lectionem admittebantur, quæ tum intelligebatur a promiscua plebe. Et Augustinus docet cum nullis catechumenis minus fuisse negotii, quam cum eruditis, qui sacros libros prius evolverant. Ita concionator populum habebit certe magis docilem; si fuerit utcunque lectione sacrorum voluminum præparatus."

De fœminis tam nuptis quam virginibus, cum ex iis quæ in superioribus prolata, tum ex iis quæ proferenda sunt, id ipsum confirmatur. In actis S. Cæciliæ virginis (quæ anno CCXXX. martyrium passa est) apud Symonem Metaphrasten Novembris 22. istiusmodi verba reperiuntur: " Absconsum Christi evangelium semper circumferebat in pectore; et nec noctu nec interdiu intermittebat divina legere eloquia." Eusebius[s] de Alexandrinis mulieribus a Maximino (anno CCCVII.) vexatis agens: " Atque ex mulieribus," inquit, " non[t] minus ipsis viris a doctrina divini verbi animatis roboratisque, pars eadem cum viris certamina subeuntes æqua virtutis præmia reportarunt."

Gregorius Nazianzenus oratione vigesima quinta in laudem Gorgoniæ, sororem suam, quæ nupta erat, ita commendat: " Quænam ea, quæ Dei sunt, melius novit, tum ex divinis oraculis, tum suopte ingenii acumine?" Item: " Prudenti Psalmodiæ intentione, vel divinorum oraculorum lectione et explicatione, quis vel virorum vel mulierum est, qui eam a se superatam gloriari queat?" Hieronymum non virgines modo et viduas,

[s] Hist. Eccles. lib. 8. cap. 25.

[t] *Οὐχ ἧττον τῶν ἀνδρῶν ὑπὸ τῆς τοῦ θείου λόγου διδασκαλίας ἠρρενωμένα.*

sed etiam matronas rei domesticæ cura implicitas, ad sacræ Scripturæ studium inflammasse, epistolæ ad illas scriptæ luculenter testantur. Vide supra ad annum CCCXC. in Hieronymo. In Marcellæ epitaphio (epistola 96. ad Principiam virginem) ita studium nobilis illius viduæ describit: "Divinarum Scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et quia," inquit ibidem Hieronymus, "alicujus tunc nominis esse existimabar super studio Scripturarum; nunquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret; nec statim acquiesceret, sed moveret e contrario quæstiones, non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat, &c. Ita quicquid in nobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diuturna quasi in naturam versum, hoc illa libavit, didicit atque possedit; ita ut post profectionem nostram si in aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur." Hæc de Marcella Hieronymus, qui plura de eadem habet præfatione in librum primum commentariorum in epistolam ad Galatas. Similiter etiam et Fabiolæ studium in epitaphio ejus (epistola 84. ad Oceanum) miratur. "Jesu bone," inquit, "quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus et veluti quandam famem satiare desiderans, per prophetas, evangelia, psalmosque currebat; quæstiones et proponens et solutas recondens in scriniolo pectoris sui."

Idem in Epitaphio Paulæ (epistola 86. ad Eustochium) "Nec licebat," inquit, "cuiquam sororum ignorare Psalmos, et non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere." Addit ibidem, Paulam Scripturas sanctas tenuisse memoriter: "Denique," inquit, "compulit me; ut vetus et novum Instrumentum cum filia, me disserente, perlegeret." Filiam vero habuit Paula Eustochium, cui testimonium perhibet Hieronymus[u], quod diebus ac noctibus in Dei lege meditaretur: et Blesillam, de cujus obitu agens Hieronymus: "Vacillabant[x]," inquit, "ægro-

[u] Procem. lib. 1. comment. in Esai. [x] Epist. 22. ad Paulam.

tatione gressus; et pallentem ac trementem faciem vix collum tenue sustinebat; et tamen aut prophetam aut evangelium semper in manibus tenebat." Epistola 47. ad Furiam, de sorore ejus ita scribit: " O si videres sororem tuam, et illud sacri oris eloquium coram audire te contingeret. Cerneres in parvulo corpusculo ingentes animos. Audires totam veteris et novi Testamenti supellectilem ex illius corde fervere." Epistola 12. ad Principiam, cum obtrectatoribus respondisset; qui quod ad mulieres solebat scribere, eum criminabantur: " Hæc et istiusmodi," inquit, " σεμνοτάτη filia, perstrinxi breviter; ut nec te pœniteret sexus tui, nec viros nomen suum erigeret; in quorum condemnationem fœminarum in Scripturis sanctis vita laudatur." Et paulo post: " Habes ibi in studio Scripturarum et in sanctimonia mentis et corporis Marcellam et Asellam; quarum altera te per prata virentia et varios divinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in cantico, *Ego flos campi, et lilium convallium;* altera ipsa flos Domini tecum mereatur audire; *Ut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.*" Certe quæstiones e Scripturis Hieronymo explicandas ex ultimis Galliarum finibus Hedibiam et Algasiam[y], Suniam vero et Fretelam[z] ex Getarum et Germaniæ oris, misisse constat. Unde de his Hieronymus: " Quis[a] hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; et dormitantibus, immo contemnentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur?" Denique ex commentariis, qui Hieronymo tribuuntur, in Psalmum 133. consuetudinem tunc temporis invaluisse apparet, ut non monachi solum et viri, sed etiam mulierculæ hoc inter se haberent certamen, ut plures ediscerent Scripturas; et in eo se putarent esse meliores, si plures edidicissent. Unde sicut suo tempore Paulam celebravit Hieronymus[b], quod Scripturas sanctas tenuisset memoriter; ita etiam (circa annum D.) Fuscinam sororem suam hoc nomine commendat

[y] Ex epist. 7, 8.
[z] Ex epist. 11.
[a] Epist. 11.
[b] Epist. 86.

Alcimus Avitus, in libro de consolatoria castitatis laude ita canens:

> Præterea vero quis victo ex hoste rebelles
> Atque resultantes victrici in corpore motus
> Artibus allidas, Christoque in cote retundas;
> Divino eloquio, Scripturaque indice nosti.
> Nam quicquid sacræ divina volumina legis
> Aut sensu aut verbo monstrant, quod prædicat ille
> Antiquus mundi repetens exordia vates,
> Sive ille historias texit, seu forte figuras;
> Quidque etiam ille Nave Mosi successor Iesus,
> Succiduoque simul quod quisque in tempore judex
> Gesserit; ut digitos soror isthæc omnia dudum
> Docta tenes, &c.
> Tota Instrumenti veteris tibi pagina nota est.
> Dehinc quicquid priscæ succedens gratia legi
> Intonat, atque novi miracula Testamenti.

Syncleticam diaconissam, qui illius temporibus vixit, Cœlius Sedulius ita commendat in epistola ad Macedonium, quæ est operis Paschalis præfatio: "Scripturas ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut nisi secus licentia defuisset, potuisset docere, quam membris fœminei corporis animus sit virilis." Ea vero "plenitudinem cœlestium nosse desiderabat Scripturarum:" quemadmodum confirmat Eustathius, qui Basilii hexaemeron Latine a se versum eidem dicavit. Vide præfationem Fausti ad reginam in libro de fide contra Arianos. Elfledam nobilem abbatissam (circa annum DCLXXXIV.) laudat Beda[c], quod "in sanctis Scripturis erudita" fuerit. Eirenen etiam filiam Chaiani regis Cazarorum, quam Christianam factam Leo Isaurus anno decimo sexto imperii sui (circa annum Domini DCCXXXII.) filio suo Constantino matrimonio sociavit, hoc argumento commendat Theophanes (eumque secutus Anastasius Bibliothecarius et Landulphus Sagax[d], quod "cum sacras literas didicisset, pietati operam dans claruerit." Addam Chrysostomi[e] verba: "Si tela in virginum domibus pertexitur; et primus, et medius, et novissimus est David. O rem

[c] In Vita Cuthberti, cap. 24. [d] Miscel. histor. lib. 21.
[e] Homil. 6. De pœnitentia. Ed. Basil. ann. 1558.

inauditam! Multi qui literarum experimenta minus sumpserunt, neque ipsis edocti principiis, totum Davidem in pectore conservant. Neque in urbibus solum atque ecclesiis sic per omne tempus, per omnem ætatem fulget: sed in foro medio, atque in ipsa solitudine, et inhabitabili terra, certatim Deo sacras stationes excitat." Sed et ante hæc tempora nullum decretum receptum esse, ne in Ecclesia quidem pontificia, quo laici arcerentur a legendis sacris libris, eo argumento confirmat Erasmus[f]; quod Beghinæ dicant preces suas et Psalterium lingua vulgari, Deoque dicatæ virgines (sic enim nonnas papisticas appellat) etiam canticum amatorium legant canantque publicitus in templis suis.

Denique ut ab omnibus legerentur sacræ Scripturæ, voluisse patres, patet ex gravissimis, quibus Christianorum hominum ignorantiam subinde notarunt, censuris. Sic enim Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Græcos: "Lapidibus[g] est insensibilior homo, qui est tinctus ignorantia." Ibidem: "Ducamur[h] ergo pœnitentia; et ex ignoratione traducamur ad scientiam, ex imprudentia ad prudentiam," &c. Ibidem[i]: "Nisi verbum (forte Filium intelligit) cognovissemus, et eo illuminati essemus; nihil differremus ab avibus quæ pascuntur; ut qui pinguefiamus in tenebris, et morte nutriamur. Capiamus lucem, ut Deum capiamus," &c. Ibidem[k]: "Philosophi ignorantiam insaniæ genus describentes, nihil aliud quam multos fatentur insanire." Idem[l]: "Tenebræ sunt ignoratio, per quam in peccata incidimus circa veritatem hallucinantes." Idem[m]: "Enutriamini in sermonibus fidei: ait suis pueris Pædagogus," scilicet 1 Tim. cap. IV. ver. 6. Idem[n]: "Firmum (conscientiæ) fundamentum est recta vita, cum ea, quæ convenit, doctrina." Chrysostomus in sermone De

[f] Apolog. contra N. Beddam, tom. 9. oper. pag. 377.
[g] Op. pag. 4.
[h] Ibid. pag. 75.
[i] Op. pag. 87.
[k] Ibid. pag. 94.
[l] Pædagog. lib. 1. cap. 6. op. pag. 116.
[m] Pædagog. lib. 3. cap. 12. pag. 309. Ἐντρέφεσθε τοῖς λόγοις τῆς πίστεως.
[n] Stromat. lib. 1. ibid. pag. 318.

vitando scandalo[o] egregie hac de re disserit: et libro sexto de sacerdotio hæc habet: "Unde[p] et episcopum necesse est in singulos (ut sic dicam) dies sementem facere, ut ipsa saltem assuetudine doctrinæ sermonem auditorum animi retinere possint." Idem ad populum Antiochenum homilia 21. "Nec solus hoc, (scilicet Petre pasce oves,) dictum est sacerdotibus, (id est, ut ego accipio, episcopis,) sed unicuique nostrum, (presbyterorum, qualis tunc erat Chrysostomus,) cui vel pusillus creditus est grex." Pseudo-Clemens: "Grande[r] malum est, ut diximus, ignorantia." Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, istiusmodi objectionem ab hæreticis factam profert: "Novissime ignorare melius est, ne quod non debeas noris. Fides," inquit, "tua te salvam fecit, non exercitatio Scripturarum." Ibidem: "Nihil scire, omnia scire est." Haud dissimilem objectionem adducit Augustinus, contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti: "Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit." Idem confessionibus hæc habet: "Et[s] sacramenta et voces mysticas, ubi intenta sit ignorantia mater ignorationis in timore occultorum signorum." Marcus Eremita, de his qui putant ex operibus se justificari, capite nonagesima septima. "Πάντων τῶν κακῶν προηγεῖται ἡ ἄγνοια, δευτέρα δ' αὐτῆς ἐστιν ἡ ἀπιστία. Omnium malorum dux est ignorantia: secunda post hanc est incredulitas." Concilium Aurelianense: "Episcopus[t], si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiæ, cui proximus fuerit die Dominico, deesse non debet." Concilium Moguntiacum: "Nunquam[u] desit Dominicis diebus aut festivitatibus, qui verbum Dei prædicit, et juxta quod intelligere vulgus possit." Concilium Lateranense sub Innocentio[x] III. "Præcipimus tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadjutores et cooperarios habere,"

[o] Tom. 5. edit. Basil. ann. 1558. col. 791. et 792. d.

[p] Ἀνάγκη τῷ διδασκάλῳ σπείρειν καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν, ἵνα τῇ γοῦν συνηθείᾳ δυνηθῇ κρατηθῆναι παρὰ τοῖς ἀκούουσι τῆς διδασκαλίας ὁ λόγος. Chrysost. op. tom. 1. pag. 423.

[r] Epist. 3. tom. 1. Concil.

[s] Lib. 13. cap. 22.

[t] Can. 33.

[u] Can. 25.

[x] Can. 10.

&c. Verba concilii Toletani[y] IV. Turonensis[z] III. Moguntiaci et Rhemensis, supra adduximus[a]. Vide Fulgentium, ad Gallam, epistola secunda, capite vigesimo primo.

[y] Can. 24.
[z] Can. 17.
[a] Vide pag. 393. 397. 399.

SECT. III.

Biblia in ecclesiis passim habebantur.

Id vel Constantini cura in Constantinopolitana ecclesia testatur (supra ad annum CCCXXX.) idque in duplicem finem ; 1. Ut quisque privatim ad libros illic asservatos posset recurrere ; quemadmodum ex versibus[a] illis colligitur, quos secretario sacrorum librorum in Nolana Basilica inscripsit Paulinus[b] :

> Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas ;
> Hic poterit residens sacris intendere libris.

Ut publice toto populo audiente recitarentur ; quod quidem institutum ab ipsis apostolis non injuria repetit Origenes[c]. Ita refert Chrysostomus[d] librum Geneseos semel quotannis lectum fuisse per ecclesias ; ex evangeliis vero, quemadmodum et ex epistolis Pauli, bis hebdomadatim lectiones propositas ; sed præ cæteris utriusque Instrumenti scripturis librum David sic adamatum fuisse omnibus Christianis ; " ut in ecclesiis et extra ecclesias primus et medius et novissimus fuerit David. Epistolæ apostolicæ," inquit Augustinus[e], " non tantum illis scriptæ sunt ; qui tempore illo, quo scribebantur, audiebant, sed etiam nobis. Non enim ob aliud in ecclesia recitantur. Neque fuisset necessarium," ut recte Origenes[f], " legi hæc in ecclesia, nisi ex his ædificatio aliqua audi-

[a] Vid. etiam. tom. 9. Biblioth. patrum, col. 1433. B.
[b] Epist. 12. ad Severam.
[c] Initio homil. 15. in Josuam.
[d] Homil. 6. De pœnitentia. Ed. Basil. 1558.
[e] Contra Cresconium, lib. 1. cap. 9.
[f] In Levitic. homil. 5.

entibus præberetur." Certe ex veterum homiliis constat, hunc in ecclesia servatum esse ordinem; ut lectio sacra Scripturæ lingua populari a lectoribus recitaretur; deinde fusior eorum, quæ prælecta fuerant, explicatio ab episcopis vel presbyteris subjungeretur. Hinc illa apud eos solennia: "Audistis[g] hodie dicentem Dominum Jesum Simoni, *Duc in altum*, &c. Audistis[h] filii librum legi Job, qui solenni munere est decursus et tempore. Matutinis horis lectum est, ut meministis, fratres, quod summo animi dolore respondemus: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Audistis[i] hodie in lectione decursa, quid legio dixerit: *Quid mihi et tibi est, Jesu fili David?* Hodierno[k] etiam die ad ipsam rem pertinet capitulum, quod modo cum legeretur, audivimus. Lectiones[l] sanctæ propositæ sunt, et quas audiamus; et de quibus aliquid sermonis adjuvante Domino proferamus. In lectione apostolica gratiæ aguntur Deo de fide gentium; utique ideo, quia ipse fecit. In Psalmo diximus; *Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam et salvi erimus.* In evangelio ad cœnam vocati sumus," &c. "Apostolum[m] audivimus, psalmum audivimus, evangelium audivimus. Consonant omnes divinæ lectiones, ut spem non in nobis, sed in Domino collocemus. De[n] divinis lectionibus, quod Dominus admonere dignatur, intenti audite fratres, illo dante, me ministrante. Primam lectionem audivimus apostoli: *Fidelis sermo, et omni acceptatione dignus*, &c. Hoc de apostolica lectione percepimus. Deinde cantavimus psalmum, exhortantes nos invicem, una voce, uno corde dicentes: *Venite adoremus, et prosternamur ei*, &c. Post hæc evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit, &c. Has tres lectiones, quantum pro tempore possumus, pertractemus, &c. Mementote quid ultima evangelica lectio resonet,

[g] Ambrosius De virginibus, lib. 3. versus finem.
[h] Ambrosius De virginibus, lib. 5. epist. 33.
[i] Ambrosius De Helia et Jejunio, cap. 20.
[k] Augustinus, serm. 83. op. tom. 5. pag. 447.
[l] Augustinus, serm. 112. ibid. pag. 564.
[m] Augustinus, serm. 165. ibid. pag. 796.
[n] Augustinus, serm. 176. ibid. pag. 839.

quomodo Jesus Dominus laudat gratias agentem," &c. Ibidem: " Timere[o] debeo, ne contingat mihi, quod contigit apostolo Paulo; quod modo cum legeretur, si intenti fuistis lectioni, audivistis, *Ergo inimicus factus sum vobis, vera prædicans.* Audivimus[p] apostolicam lectionem: et forte aliquem moveat, quod ibi scriptum est: *Secundum justitiam, quæ ex lege est, qui fuerim sine querela,* &c. Volueram[q] aliquando, ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam passio legeretur: factum est; non audierunt homines, quod consueverunt, et perturbati sunt. Qui autem amat literas Dei, et non semper vult esse idiota, omnia novit, et omnia diligenter inquirit. Sed sicut cuique a Deo parata est mensura fidei, sic quisque proficit. Nunc attendamus, quod hodie, cum legeretur, audivimus," &c. " Lectiones[r] divinorum eloquiorum, cum recitarentur, audivimus. Ea nobis est materies loquendi proposita; inde sapere debemus, inde seminare quod sapimus, &c. Lectio prima prophetica quid nobis commendaverit, me commemorante recolite. Lectiones[s] sanctas plures, cum recitarentur, audivimus, et de his nos oportet dicere, quod Dominus fuerit donare dignatus. Sed lectionem omnis auditor, quod recentius lectum est, magis meminit, et ut inde aliquid a tractatore verbi dicatur expectat. Cum ergo in ultimum sit sanctum evangelium recitatum; non dubito expectare charitatem vestram, ut de ista vinea et de conductis, et de mercede denarii aliquid audiatis. Audivistis[t] vocem apostoli, cœlestis tubæ, spiritualis lyræ, &c." Vide Leonem I. supra ad annum CCCCL. Cæsarius Arelatensis, homilia octava: " In lectione apostolica, quæ nobis paulo ante recitata est, fratres charissimi, audivimus," &c.

[o] Augustinus, serm. 392. op. tom. 5. pag. 1505. a Beda etiam insertum habetur initio enarrationis 1 Corinth. cap. 7.

[p] Augustinus, serm. 170. op. tom. 5. pag. 819.

[q] Augustinus, serm. 232. ibid. pag. 980.

[r] Augustinus, serm. 48. ibid. pag. 267.

[s] Augustinus, serm. 49. ibid. pag. 271.

[t] Chrysostomus homil. 1. ad populum Antiochenum, in illud apostoli, " Vino modico utere," &c.

sic homiliis 19. 22. Chrysostomus in Matthæi cap. XXIII. homilia 73. circa finem : " Literas[u] forte nescis, et Scripturam perlegere non potes, ut inde priscorum virtutes virorum perdiscas: culpa quidem etiam hæc est, cum ecclesia semper tibi pateat, non venire ad degustanda hæc fluenta." Ita Sozomenus[x] Gallum et Julianum refert libros ecclesiasticos ac divinos in ecclesia populo perlegisse. Vide Maximum Taurinensem supra ad annum CCCCXL. Populum intellexisse lectiones, vide testimonium Augustini de Jonæ cucurbita et locum, libro primo De prædestinatione sanctorum, cap. 14. " Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit, &c. ab omnibus Christianis episcopis usque ad extremos laicos, fideles, catechumenos, pœnitentes, cum veneratione divinæ authoritatis audiri."

[u] Οὐκ οἶσθα γράμματα, οὐδὲ γραφαῖς ἐνέκυψας, ἵνα μάθῃς τῶν παλαιῶν τὰς ἀρετάς. μαλιστά μεν καὶ τοῦτο ἔγκλημα, τῆς ἐκκλησίας διηνεκῶς ἠνεῳγμένης μὴ συνιέναι καὶ μετέχειν τῶν καθαρῶν ἐκείνων ναμάτων.

[x] Hist. lib. 5. cap. 2.

SECT. IV.

In Ecclesia primitiva communc officium vulgari lingua celebratum fuit.

Id fatentur Nicolaus Lyranus[a], et Thomas Aquinas, ipse etiam Hardingus[b]; "Tum," inquit, "preces lingua populari et usitata vulgo hominum fiebant, ut ea melius instituerentur." Et tamen Ambrosius Catharinus[c], "Doctrina," inquit, "Lutheri, quæ linguam cognitam in precibus exigit, Diaboli calliditatem sapit." Cum tamen idem ipse, "In[d] initio," inquit, "Evangelii forsan aliter observabatur." Hoc vero in Ecclesia Catholica usque ad natum Antichristum obtinuisse, liturgiæ tum susceptæ ratio satis indicat. Neque enim tunc temporis ab episcopo aut presbyteris tantum, sed totius Ecclesiæ conjunctis operis administrata sunt sacra publica. In liturgiis, quæ Jacobi, Clementis[e], Basilii, et Chrysostomi nominibus feruntur, diaconis præscribitur, ut populum hisce verbis compellent; Oremus, Attendamus; populo etiam, ut ad ministri precationem aliquando responderet Amen; aliquando "Dominus misereatur nostri;" aliquando, "Et cum spiritu tuo;" aliquando, "Habemus ad Dominum," &c. (quas quidem responsiones recto tempore proferre non potuisset; si preces lingua non intellecta fuissent habitæ.) Idque ipsum ex indubitatis patrum monumentis manifesto constat: "Cum populus semel audivit, *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*, statim omnes respondent, Amen;" inquit Chrysostomus[f]. Item de Romana Ecclesia testatur Hie-

[a] In 1 Cor. cap. 14.
[b] Contra Juellum, artic. 3. sect. 28.
[c] Apud Sixt. Senens.
[d] Annot. adv. Cajetan. pag. 88.
[e] Lib. 8. Constitut. apostol. cap. 11. et 12. edit. Turriani.
[f] In 1 Cor. cap. 14.

ronymus: "ad[e] similitudinem cœlestis tonitrui, Amen reboare." "Quin[h] in precationibus quoque," inquit Chrysostomus, "illud quispiam conspexerit, populum permultum erogare. Etenim pro arreptitiis (seu energumenis) et pro iis, qui in pœnitentia sunt, communia et a sacerdote et ab ipsis vota fiunt; atque omnes unam eandemque precem concipiunt, precem inquam illam misericordia plenam. Rursus quum eos, qui sacrosanctæ mensæ participes esse nequeunt, a sacris septis arcemus, ineunda est altera oratio; in qua omnes peræque humi jacemus, omnes peræque consurgimus. Adhæc, quum pax danda vicissimque accipienda est; omnes æque nos exosculamur. Jam in tremendis quoque mysteriis, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Hæc enim verba, *Et cum spiritu tuo*, nihil aliud, quam hoc, significant. Rursus ea oratio, qua Deo gratiæ aguntur, utrisque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam quum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt; *Id digne ac juste fieri:* tum demum gratiarum actionem auspicatur. Quid autem est, quamobrem tibi mirum videatur, si cum sacerdote plebs interdum loquatur; quam etiam cum ipsis cherubim ac supernis virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in cœlum mittat." Hæc Chrysostomus. Paria Basilius: "Quod[k] si mare bonum est apud Deum, si pulchrum, si laudabile; quonam pacto non pulchrius est hoc talis ecclesiæ concilium, in qua permixtus[l] sonitus resultat." Confer sententiam Ambrosii[m] supra anno CCCLXXVII. Vide et Ausonium, vel Paulinum potius, in tomo tertio Bibliothe-

[g] Præfat. lib. 2. in epist. ad Galat.

[h] Καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς δὲ πολὺ τὸν λαὸν ἴδοι τις ἂν συνεισφέροντα. ——— κοιναὶ καὶ παρὰ τοῦ ἱερέως καὶ παρ' αὐτῶν γίνονται αἱ εὐχαὶ, καὶ πάντες μίαν λέγουσιν εὐχήν. ——— ἐπ' αὐτῶν πάλιν τῶν φρικωδεστάτων μυστηρίων ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τῷ λαῷ, ἐπεύχεται καὶ ὁ λαὸς τῷ ἱερεῖ. ——— τὰ τῆς εὐχαριστίας πάλιν κοινά. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος εὐχαριστεῖ μόνος, ἀλλὰ καὶ ὁ λαὸς ἅπας. ——— καὶ τί θαυμάζεις, εἴ που μετὰ τοῦ ἱερέως ὁ λαὸς φθέγγεται &c. Homil. 18. in 2. Cor. cap. 8.

[k] In Hexaemer. homil. 4.

[l] Συμμινὴς ἦχος.

[m] Hexaemer. lib. 3. cap. 5.

cæ patrum, col. 398. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi mystagogica quinta. Sic vero Clemens Alexandrinus: "Est[o] ergo quod hic est apud nos altare; terrestris congregatio eorum qui sunt dedicati orationibus; qui veluti unam vocem habent communem et unam mentem." Chrysostomus[p] illam sententiam ex vetere liturgia repetit: "Δεηθῶμεν πάντες κοινῇ. Oremus omnes communiter." Similiter Augustinus[q], de orationibus ecclesiæ agens, sacerdotem Dei ait exhortari populum Dei "orare pro incredulis; ut eos Deus convertat ad fidem; et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret; et pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent." Unde ibidem Vitalem ita interrogat: "Nunquid ubi audieris sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat; non respondebis Amen?" Idem[r]: "Quando autem non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur sancta cantandi; nisi cum legitur, aut disputatur, aut antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur?" Idem De bono perseverantiæ: "Aut[s] quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit; Da illis Domine perseverare usque in finem: non soluta voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem et corde credente, et ore confitente respondet?" Et capite vigesimo secundo: "Atque utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt, nec nondum possunt, Scripturas vel earum expositiones intelligere; sic audirent, vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras; ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc seculum," &c. Nota tardos et infirmos preces ecclesiæ intelligere potuisse. Hilarius in Psalmum sexagesimum quin-

[o] Τὸ ἄθροισμα τῶν ταῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴν κοινὴν, καὶ μίαν γνώμην. Stromat. lib. 7. pag. 717.

[p] In epist. ad Ephes. homil. 3.

[q] Epist. 217. op. tom. 2. pag. 799.

[r] Epist. 119. cap. 18.

[s] Cap. 23.

tum: "Audiat orantis populi, consistens quis extra ecclesiam, vocem; spectet celebres hymnorum sonitus; et inter divinorum quoque sacramentorum officia, responsionem devotæ confessionis accipiat. Necesse est terreri omnem adversitatem, et bellari adversus Diabolum, vincique resurrectionis fide mortem tali exultantis vocis nostræ (ut dictum est) jubilo. Sciat hoc Deo placitum esse, hoc spei nostræ testimonium, publicas victricesque exultationis nostræ voces personare. Quarum propheta non negligens est, loco altero memorans. *Circuivi*[s] *et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis.* Et ne inanem hujus jubilationis doctrinam atque observantiam crederemus, alibi protestatur: *Beatus*[t] *populus, qui scit jubilationem.*" Concilium Bracarense[u] I. circa annum DLXXII. "Placuit, ut non aliter episcopi, et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes; *Dominus sit vobiscum;* sicut in libro Ruth[x] legitur: et ut respondeatur a populo: *Et cum spiritu tuo:* sicut et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet Oriens: et non sicut Priscilliana pravitas permutavit." Cæsarius Arelatensis: "Gaudeo[y], fratres dilectissimi, et Deo gratias ago; quia vos ad audiendas lectiones divinas video fideliter currere; sed si et profectum vestrum et gaudium nostrum complere ad integrum vultis; maturius convenire debetis, &c. Ideo rogo vos, ut et maturius veniatis, et cum veneritis, magis orare vel psallere, quam otiosis vos vel secularibus studeatis fabulis occupare. Qui enim ad ecclesias veniens verbosare voluerit, melius illi fuerat non venisse; quia dum se infructuosis fabulis occupat, nec ipse psallit, nec alios psallere aut lectiones divinas audire permittit." Et: "Rogo[z] vos et admoneo, fratres charissimi, ut quotiescunque juxta altarium a clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur; non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, et diligenter intendo diacono clamante: *Flectamus genua,* maximam partem populi velut columnas erectos stare

[s] Psalm. 26. ver. 6.
[t] Psalm. 88. ver. 16.
[u] Cap. 21.
[x] Cap. 2. ver. 4.
[y] Cæs. Ar. Homil. 33.
[z] Idem. Homil. 34.

conspicio; quod Christianis, dum in ecclesia oratur, omnino nec licet nec expedit. Non enim propter nos, sed propter vos diaconus clamat. Et ideo quia ad vos specialiter vox illa, vel maxime ad negligentes dirigitur, justum est ut a nobis fideliter impleatur," &c. Et post: "Venientes ad ecclesiam, hoc solum, quod in ecclesia expedit fieri, agite; id est, aut orate, aut psallite; ut orando, peccatorum veniam accipere; et psallendo, ad spiritualem possitis lætitiam pervenire. Qui in ecclesia ineptis et incongruis fabulis occupatur, quasi venenum et gladium reliquis hominibus ingerere vel præbere cognoscitur; dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit." Ibidem: "Quia (Diabolus) nos non potest corporaliter de ecclesiæ conventu repellere; in ipsa ecclesia infructuosis nos studet sermonibus occupare; ut nobis per inanes et vacuas, et forte etiam mordaces collocutiones ac sordidas cogitationes, divinæ lectionis fructum, vel orationis remedium possit auferre; ut corpore tantum videamur in ecclesia stare, et corde vel cogitatione longe a conspectu divinæ majestatis abscedere." Hactenus Cæsarius.

Huc etiam referantur alia patrum testimonia, quæ significant hymnos in ecclesia non a clero solo, ut nunc fit in papatu, sed ab universa plebe simul decantatos; quod necessario arguit vernacula et non ignota populo lingua illud factum. Dionysius in Ecclesiastica hierarchia; Pontifex[a], inquit, "ἀπέρχεται τῆς ἱερὰς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας συναδούσης αὐτῷ τὴν ψαλμικὴν (seu ψαλμῳδικὴν) ἱερολογίαν ἁπάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμήσεως. Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus." Et paulo post: Οἱ δὲ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον, προολογηθείσης ὑπὸ παντὸς τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος τῆς καθολικῆς ὑμνολογίας, hoc est, "Qui vero ipsius ordinis præcipui sunt, una cum sacerdotibus sanctum panem et calicem sacrosanctis altaribus imponunt; cum ante

[a] Cap. 3. sec. 2. ἐν μυστηρίῳ συνάξεως.

præcesserit ab omni ecclesiæ plenitudine (non clero tantum, ut interpres Latinus male vertit) universalis laus atque confessio." Sic etiam, in Θεωρίᾳ[b], mentio fit καθολικῆς ὑμνολογίας, quam ita appellatam notat ibi Maximus, ἢ ὡς ὑπὸ πάντων ᾀδομένην, ἢ ὡς ὑπὲρ καθολικῆς χάριτος γινομένην, sive quod ab universis cantaretur, seu quod gratiam universalem postularet." Plinius Secundus Christianos[c] refert stato die convenire solitos, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. Ephræm de vita Spiritali: "Si[d] in domo Domini ad divinum spiritalemque cultum constiteris; in psalmodiis te alacrem promptumque præbeto. Si autem tacueris; tacebo et ego, tacebit et proximus; unde necessario cantum cessare necesse sit. Sed hoc quæso absit," &c. Gregorius Nazianzenus in funebri oratione Basilii refert, Valentem imperatorem in ecclesiam ingressum, in qua Basilius prædicabat, psalmodia fuisse quasi tonitru perculsum et obstupefactum. Τὴν ἀκοὴν προσβαλούσῃ τῇ ψαλμωδίᾳ κατεβροντήθη. Victor, "Jam[e]," inquit, "ob celebritatem festivitatis (Epiphaniorum) hymni nocturni per totam ecclesiam (de Fausti basilica in urbe Carthaginiensi loquitur) canente populo concrepabant." Chrysostomus: "Quondam[f]," inquit, "psallebant in unum omnes; facimus et nos." Idem ibidem: "Et[h] ubi omnes succinuerunt, velut uno ex ore vox defertur." Idem: "Ita[i] tu quoque advenisti, hymnum cecinisti cum omnibus reliquis; et eorum te numero esse, qui digni sunt, hoc ipso confessus es, quod non abscessisti." Et "Quid[k] enim (sibi volunt) hymni? nonne ut Deum glorificemus et ut gratiam agamus; quoniam jam coronavit discedentem, quoniam a laboribus liberavit, de servitute ducens, quod se habens?

[b] Sect. 3.
[c] Lib. 10. epist. ad Trajanum.
[d] Tom. 1. edit. Vossii, cap. 16. pag. 49.
[e] Victor. lib. 2. de persecut. Vandalic.
[f] Ὑπέψαλον κοινῇ, τοῦτο ποιοῦμεν καὶ νῦν. Chrys. in 1 Cor. homil. 36.
[h] Κᾂν πάντες ὑπηχῶσιν, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος ἡ φωνὴ φέρεται.
[i] Τὸν ὕμνον ᾖσας μετὰ πάντων. In epist. ad Ephes. serm. 3.
[k] Τί δὲ βούλονται οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν θεὸν δοξάζομεν καὶ εὐχαριστοῦμεν; —— οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ τοῦτο ψαλμῳδία; ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστίν. In epist. ad Hebræos, hom. 4.

Nonne propter hos psalmi et hymni? nonne propter hoc psalmodia? omnia ista gaudentium sunt."

Unde etiam eos ex populo reprehendit, qui[n] incompositas voces emitterent, &c. Augustinus[o] de Donatistis agens, qui legibus imperialibus coacti ad ecclesiam accesserunt: "Quorum," inquit, "si videas in Christi pace lætitias, frequentias, alacritates, et ad hymnos audiendos et canendos, et ad verbum Dei percipiendum celebres hilaresque conventus, &c. diceres nimiæ fuisse credulitatis; si isti in æternum perdendi et sempiternis ignibus cruciandi relinquerentur." Idem: "Cantavimus[p]," inquit, "psalmum, exhortantes nos invicem, una voce, uno corde dicentes: Venite, adoremus, et prosternamur ei," &c. Idem: "Inter[q] hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus, Catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare discerentur ex Psalmorum libro, &c. maledica reprehensione ubicunque poterat lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi jubentibus fratribus." Idem: "Tamen[r] cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem." Hieronymus in epistola ad Lucinum: "Sonabant Psalmi, et aurata templorum reboans in sublimi quatiebat Alleluia." Basilius: "Ut[s] vero ne diutius vos detinentes tristitiam vobis inseramus; ubi pauca ex psalmo, quem vos cantantes deprehendimus, disseruerimus," &c. Ambrosius in oratione ad populum de Auxentio: "Hymnorum meorum carminibus populum deceptum volunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, et quo nihil potentius. Quid enim potentius, quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus prædicare." Hi nimirum erant hymni; de quibus ita Augus-

[n] Hom. 1. in Esai. cap. 8.
[o] Epist. 185. op. tom. 2. pag. 656.
[p] Aug. Serm. 176. op. tom. 5. pag. 839.
[q] Id. Retract. lib. 2. cap. 1.
[r] Aug. Confession. lib. 10. cap. 33.
[s] Basil. in Psalm. 114. hom. 28.

tinus: "Quantum[t] flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum; et ex ea inde æstuabant affectus pietatis, et currebant lachrymæ, et bene mihi erat cum eis. Non longe cœperat ecclesia Mediolanensis genus hoc consolationis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum continentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justini Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris studio contabesceret, institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis et per cætera orbis imitantibus." Hæc ibi. Hinc concilium Laodicenum edixit, "Quod[u] non oportet ab idiotis (id est, privatis) Psalmos compositos et vulgares in ecclesiis dicere." Similiter concilium Braccarense I. "Placuit[x] ut extra Psalmos canonicarum Scripturarum novi et veteris Testamenti nihil poetice compositum in ecclesia psallatur; sicut et sancti præcipiunt canones." Socrates: "Imperator[y] vero medius inter eos, hymnos ordiebatur, ac veste privata ingrediebatur." Sozomenus[z]: Ariani extra urbem Constantinopolitanam "in publicis porticibus congregati, et[a] per cœtus divisi, per vices et modum alternatim respondendi psallebant, &c. Joannes veritus, ne de suis aliqui per ista seducerentur, populum suum ad[b] parem psallendi modum instituit. Populus[c]

[t] Aug. lib. 9. Confess. cap. 6, et 7.

[u] Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Cap. 59.

[x] Cap. 60. cujus etiam cap. 30. est hujusmodi.

[y] Soc. lib. 7. Hist. eccles. cap. 22. Βασιλεὺς δὲ μέσος ἐξήρχετο τῶν ὕμνων.

[z] Sozom. lib. 8. cap. 8.

[a] Εἰς συστήματα μεριζόμενοι, κατὰ τὸν τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἐψαλλον.

[b] Ἐπὶ τὸν ἴσον τρόπον τῆς ψαλμῳδίας προτρέπει.

[c] Ἐν ψαλμῳδίαις πρὸς τὸ συμβὰν πεποιημέναις. Sozomenus, lib. 8. cap. 18.

psalmos canens ad præsens negotium compositos, obviam ei progressi, ad ecclesiam eum deduxerunt." Theodoritus[e] (aut potius apud eum Athanasius) de Flaviano et Diodoro refert, quod licet sacerdotii ministrationem nondum fuissent consecuti, sed annumerati laicis, "tamen noctu et interdiu ad pietatis studium omnes sedulo excitarunt. Hi[f] primi," inquit, "psallentium choro in duas partes diviso, hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt. Quæ res primum Antiochiæ incœpta, ubique pervasit, et ad ultimas orbis terræ oras pervagata est. Hi etiam, rerum divinarum studiosis ad martyrum monumenta in unum congregatis, totam noctem una cum illis Deum hymnis celebrando contriverunt." Hæc ibi: Bellarminus[g] quidem ait, quod initio, quia Christiani erant pauci, omnes simul psallebant in ecclesia, et respondebant in divinis officiis: at postea crescente populo, divisa sunt magis officia; et solis clericis relictum est, ut communes preces et laudes in ecclesia peragant. Verum idem etiam postea longo tempore servatum esse, tam in Oriente quam in Occidente, paulo ante in hoc capite confirmavit ipse Bellarminus, tum ex Liturgia Chrysostomi, ubi apertissime distinguuntur, quæ sacerdos, quæ diaconus, quæ populus in divinis officiis canebant; item ex Cypriano, sermone de oratione Dominica, ubi dicit, plebem respondere, Habemus ad Dominum; denique ex Hieronymi præfatione libri secundi in epistolam ad Galatas, qui scribit, in ecclesiis urbis Romæ quasi cœleste tonitru audiri populum reboantem Amen.

[e] Hist. eccles. lib. 2. cap. 24.

[f] Οὗτοι πρῶτοι διχῇ διελόντες τοὺς τῶν ψαλλόντων χόρους, ἐκ διαδοχῆς ᾄδειν τὴν ἐαυτικὴν ἐδίδαξαν μελῳδίαν, καὶ τοῦτο ἐν Ἀντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον, πάντοσε διέδραμε, καὶ κατέλαβε τῆς οἰκουμένης τὰ πέρματα.

[g] De verbo Dei, lib. 2. cap. 16.

SECT. V.

Testimonia ex variarum gentium liturgiis.

Syri et Ægyptii non solum sua veteri sed et Arabica lingua, quam vulgarem vocant, sacra celebrant, teste Josepho Scaligero[a]; qui Coptitas hodie et Egyptios vetustissimos Christianos lingua prisca Egyptiaca sacros utriusque Testamenti libros conscriptos habere, et sacra itidem in templis obire, alibi confirmat[b]. Apud Egyptum et Alexandrum Arabica in sacris et divinis officiis hodie lingua uti Christianos ipse fatetur Jacobus Ledesma. "Per[c] totam Syriam et circa Hierosolymam (inquit Barthol. Georgievez de Turcarum moribus[d]) Græci non utuntur lingua Græca; sed transtulerunt totam Sacram Scripturam in Arabicum idioma; neque literis, quibus Græci olim utebantur; sed Arabicis characteribus utuntur, etiam missam Arabico sermone celebrant, et omnia divina officia decantant." "In oppido Tauro templum est Caloierorum Maronitarum (ita Bellonius[e]) quorum sacra adiimus, partim Arabica, partim Armeniaca, partim Græca lingua decantata." Omnes quinetiam Asiæ ecclesias Syriaca lingua in sacris uti, ex epistola Asiatica Jacobi Navarchi Hondischotani supra confirmavimus. Syriaca lingua Asiaticos omnes Christianos uti, cum inter se, tum vero præcipue in suis sacris, affirmat P. Victor Cajetanus in Paradigmate linguæ Syriacæ. Certe Asiaticos Christianos

[a] De emendat. temp. lib. 7. pag. 674. novæ editionis.

[b] Lib. 2. pag. 185.

[c] Cap. 33. sect. 5. Vid. Possevin. tom. 2. Apparat. sacr. in Maronitis, pag. 397.

[d] In fine, pag. 178. edit. Lugduni, 1553.

[e] Lib. 2. observat. cap. 67.

vetere Syrorum lingua partim vulgo, partim in sacris tantum usos, ante eum prodidit Albertus Widmanstadius[f]. Nempe in sacris (alioqui vulgaris sermo Arabicus est) ea utuntur quamplurimi Christiani, qui in tota Syria habitant, sed præcipue circa montem Libanum ad quatuor millia hominum, qui vulgo Christiani de Zona dicuntur; ut est apud Gulielmum Postellum (qui in has partes iter suscepit) in introductione duodecim linguarum: quod non solum in Syria fieri, sed etiam in Mesopotamia, Chaldæa, Ægypto, et denique in universi Orientis partibus dispersis ac disseminatis, testis est Georgius Amyra Syrus Edeniensis e Libano (in præludio de Chaldaicæ linguæ utilitate, præfixo Grammaticæ suæ Syriacæ.) Narrat etiam Theseus Ambrosius[g], Syris, qui ad concilium Lateranense sub Leone X. convenerant, libertatem sacra in urbe Romana celebrandi prius concessam non fuisse, quam quo ritu quibusque verbis illa peragerent, clare intellectum fuisset. Itaque Elia Chaldæo seu Syro subdiacono verba Chaldaice, Syriace et Arabice (quod scilicet Syriacum omne vulgus ea lingua passim utatur, inquit Theseus Ambrosius) recitante, Josephum Gallum Hebræum doctorem eadem materno atque etiam Latino retulisse sermone. Extat[h] etiam Basilii Anaphora, ex vetustissimo codice Syriaco traducta per Andream Masium; necnon Severi Alexandrini patriarchæ de ritibus baptismi et sacræ synaxis apud Syros Christianos receptis liber, a Guidone Fabricio ex Syriaco codice translatus. Nuper quoque Augustæ Vindelicorum, anno MDCIV. prodiit Liturgia sanctorum patrum a Victorino Scialach ex Arabico conversa. Ægyptii enim Christiani (qui hodie Kopti dicuntur) vetustissima Ægyptiaca lingua in sacris utuntur: qua tres liturgias conscriptas, Gregorii, Cyrilli, et Ignatii, cum interpretatione Arabica penes se haberi prodit vir clarissimus Josephus Scaliger[i] (eas scilicet ipsas, quas a Victorio Scialach Maronita

[f] Præfat. in Evangel. Syriac. ad Ferdinand.

[g] Introduct. in lingu. Chaldaic. &c. fol. 14.

[h] Tom. 6. Biblioth. patr.

[i] De emendat. temp. lib. 7. pag. 66. novæ editionis. Vid. Gretser. defens. Bellarm. pag. 880. 882. A.

conversas diximus) a quo etiam accepit Bonaventura Vulcanius[k], Nubianos inferioris Ægypti partibus conterminos sub patriarcha Alexandrino sacra lingua Elkupti celebrasse. Nestorianos lingua Chaldaica in sacris officiis celebrandis et in Scripturis suis uti, fidem facit Vilamontius[l]. Idem de Armenis refert[m], quod varias linguas plerunque calleant; in officio autem divino, missa, precibus, ac cæremoniis, lingua Armenica utantur, quæ ab universis tam viris quam fœminis istius patriæ intelligatur: Maronitas etiam linguam genuinam Syriacam in sacris obeundis usurpare prodit.

Meridionales Indos rem divinam sua lingua facere agnoscit Eckius[n], idemque confirmat Erasmus[o]. Hi nimirum Indi Æthiopes sunt, quos Abassinos vocant; ex quibus aliquos Romæ se convenisse narrat Johannes Potken[p], a quibus non sine difficultate didicerit, ipsos in eorum sacris Chaldæis literis uti. "Id etiam præterire nolo (inquit ibidem Johannes Potken) quod hac tempestate viginti populi vel circa Æthiopiam, quæ sub Ægypto est, et alia loca australia, præsertim ad Nilum et Gion flumina, et inter illa, ac citra et ultra æquinoctialem circulum sub Zodiaco incolentes, et totidem maternis seu vulgaribus inter se differentibus linguis utentes, omnes in eorum sacris hac Chaldæa, (sic enim Johannes Potken perperam existimavit esse hanc linguam, ut supra attigimus,) utuntur lingua, et a tempore nascentis fidei Christianæ, sicut ipsi, qui ex eis nos peregrinationis et devotionis causa accedunt, affirmant, usi fuerunt," &c. Hæc ille. De iisdem Thevetus hæc habet: "Complures[q] illorum episcopos vidi; eorumque missam audivi, quam lingua celebrant Abyssina; quæ accedit multum ad Arabicam, etiam in characteribus." Paulo aliter Alvaresius: "Omnes[r] eorum libri, quorum sane numerus

[k] Append. ad tract. de literis et lingua Getarum, pag. 101.
[l] Itinerar. lib. 2. cap. 23. [m] Ibid.
[n] In locis commun. titulo De Missa.
[o] Tom. 9. pag. 902.
[p] Præfatione in Æthiopicum Psalterium a se editum.
[q] Cosmograph. lib. 2. cap. 14. [r] Itinerar. cap. ult.

est permagnus, membranis conscripti sunt; neque enim papyrum habent; et scriptura eorundem in lingua Tygica exaratur, quæ est Abyssina." Propius Johanni Potken accedit Nunnesius[s], haud dissimili quippe errore abreptus: "Quicquid," inquit, "habent sacrarum literarum qui a D. Thomæ tempore Christiani, et Zocotorani, ac qui Æthiopum regi subjecti sunt, quicquid precum horariarum, quicquid traditionum, sola Chaldaica lingua scriptum habent, nec fidem ullam adhibent Scripturis, nisi eo idiomate citentur." Josephus Scaliger[t], horum Christianorum Æthiopum ecclesias quasdam in Italia fuisse memoria nostra; esse et Hierosolymis, Alexandriæ, et Cairi, commemorat. Addit etiam ea lingua sola, quam *liberam* vocant ipsi, doctos uti, historias scribi, sacra celebrari; quæ quidem a vera Æthiopica tantum discrepet, quantum Italica et Illyrica, Germanica et Hungarica. Hac lingua anno MDXLVIII. novum Testamentum imprimi curavit Petrus Æthiops, adjecto Missali, cum benedictione incensi, ceræ, &c. Latine etiam ex hac lingua vertenda curavit, modum baptizandi, preces et benedictiones puerperæ, orationes quibus utuntur Æthiopes in sacramento baptismi et confirmationis; missam, qua communiter utuntur, quæ etiam canon universalis appellatur[u]. Vide Francisci Alvarez descriptionem Æthiopiæ[x] (ubi hac lingua Æthiopas in sacris uti docet) et Benardum Breitembachium in suo Itinerario.

Moscovitas, Armenios, et Æthiopas, quibus presbyter Johannes dominatur, preces publicas vernaculo semper sermone celebrasse ipse fatetur Hardingus[y]. De Ruthenis et Armenis illud confirmat Jacobus Ledesma[z]. Speciatim vero de Armenis Bellonius: "Omnes[a],"inquit, "qui missam audiunt, sacerdoti respondent Armeniaca lingua." Item: "Armenorum sacerdote evangelium legente, qui

[s] Epistola ad Europæos, anno 1561. scripta.
[t] Emendat. temp. lib. 7. Vid. ipsum pag. 637, 638, 639. novæ editionis.
[u] Edit. Lovanii 1550. 4. et tom. 6. Biblioth. patrum.
[x] Cap. 11.
[y] Artic. 3. sect. 38.
[z] Cap. 33. sect. 4. 6.
[a] Observat. lib. 3. cap. 12.

intersunt omnes intelligunt quod ipsis prælegitur. Nam Armeniaca lingua veterem elocutionem fere retinet." Pari modo Bridenbachius; "Habent," inquit, "Armeni proprium idioma, et proprias literas; quibus tam laici quam clerici in communi sermone et in divinis etiam officiis utuntur." Postellus vero Armenicam linguam esse ait in usu sacrorum Armenis, "non[b] tantum in utraque Armenia, ut vulgo putant, sed ubicunque Muhamedes auditur; cum lingua vulgaris Turcica sit." Ita refert P. Victor Cajetanus[c] duplicem esse hujus populi linguam, primamque atque excellentiorem esse Craper, id est, linguam Latinam vel literariam, qua utuntur in ecclesia. Nihilominus Jacobus de Vitriaco[d] diserte asserit Armenos in vulgari sermone divinas Scripturas pronuntiare; "ita ut sacerdotes et clerici eorum a laicis in ecclesiis intelligantur:" quemadmodum de Græcis affirmat[e] (an autem vere, multum dubito: vide contra Crucii Turco-Græciam, qui Græcos Constantinopolitanos hodiernos lingua puriore Græca, vulgo ignota, concionari, satis esse putantes, si duo tresve intelligant, refert[f]) eos Græca lingua in vulgari et in Scripturis ita uti, "ut sacerdotes suos in ecclesiis et in literali sermone, qui idem est cum vulgari, intelligant." In ecclesiis Rutenorum lingua Serviorum, quæ est Sclavonica, divina celebrant, legunt, et cantant: in ecclesiis Armenorum sermone Armeno; ut est apud Matthiam Michovium[g]; Armenos nempe intelligit, oppida quædam Russiæ Podoliæque incolentes, qui suis ibi ritibus suaque lingua in sacris utuntur; quemadmodum testatur Martinus Cromerus[h]. Cæterum apud Russos (seu Moschos) "totum sacrum seu missa gentili ac vernaculo sermone peragi solet. Epistola præterea et evangelium pro tempore, quo magis a populo percipiantur, extra chorum populo astanti clara voce recitantur;" inquit Sigismundus ab Heberstain in rerum Moscoviticarum commentariis[i]. Verba etiam consecratio-

[b] In Introduct. 12. linguarum.
[c] In Paradigm. lingu. Armen.
[d] Hist. oriental. lib. 1. cap. 79.
[e] Cap. 75.
[f] Pag. 197. et 205.
[g] De Sarmat. Europ. lib. 2. cap. 1.
[h] Descript. Polon. lib. 1.
[i] Sub titulo De decimis.

nis lingua Ruthenica sacerdos proloquitur ; nempe, "Hoc est corpus ;" et, "Hic est sanguis Domini Jesu Christi; quem Judæi innocentem morte mulctarunt ;" ut est in narratione de Russorum religione ad Davidem Chytræum anno MDLXXXI. scripta[j]. "In Moscovia sacra vulgari lingua peraguntur ;" inquit Philippus Pernesten Cæsaris legatus in relatione de statu regni Moscoviæ anno[k] MDLXXIX. Quin et precationes lingua Moscovitica et Finlandica habentur in archivis Bodleianæ bibliothecæ. Addam quæ Thevetus[l] de iisdem habet. "Moscovitis," inquit, "pauci sunt prædicatores, contentis quippe illis lectionibus solis, quas sacerdotes ipsis prælegunt, singulis diebus Dominicis. Isti enim populo legunt evangelia et epistolas apostolorum, et doctorum libros in lingua ab iis intellecta." Vide supra ad annum DCCCLX.

Tzervianos seu Posnanianos in prisca sua lingua omnia vulgaria et sacrificium ipsum habere perhibet Postellus[m]. "Gothi," inquit Scaliger[n], "sacra Græco ritu celebrant lingua veteri Gothica ; in usu autem quotidiano magna ex parte Teutonissant. Dalmatico idiomate Hieronymus vetus ac novum Testamentum cum sacrificio et precationibus traducta reliquit." Ita Theodorus Bibliander de ratione communi omnium linguarum, pagina 15. "Habet gens Dalmatica," inquit Marianus Victorius, "et missam et alias divinas preces Illyrica conscriptas lingua ; sedisque apostolicæ authoritate (quam a Paulo II. habuerunt) publice illis ubique utuntur. Eas autem a D. Hieronymo accepisse persuasissimi ita sunt ; ut captis potius armis omnes disperire malint, quam eas relinquere." Hæc Victorius in Indice sex posteriorum tomorum Hieronymi (verbo Illyricum) quæ etiam ab Angelo Roccha translata sunt in Bibliothecam suam Vaticanam[o]; qui addit insuper se vi-

[j] Pag. 239. Theologiæ Moscovit.

[k] Tom. 1. Thesauri politici edit. Francofurt. 1610. pag. 336.

[l] Cosmograph. lib. 19. cap. 12.

[m] Introduct. 12. linguar.

[n] In literis anno 1590. scriptis ad P. Merulam, apud eund. Cosmograph. par. 2. lib. 1. cap. 8.

[o] Pag. 162.

disse codicem horarium cæterasque divinas preces Illyrica conscriptas lingua ab omnibus Dalmatis intellecta. Idem tamen in appendice[p] præter vulgarem Illyricam linguam, extare alteram notat, huic valde assimilem et fere eandem; quæ a rudioribus absque regulis non recte intelligitur, nec recte pronuntiatur. "In hanc linguam," inquit, "a S. Hieronymo Scripturam sacram Sclavonicis literis et a S. Cyrillo Servianis characteribus translatam fuisse, credendum est." Id quod etiam de missali, de codice horario, deque aliis Sclavorum libris dicendum putat Antonius Bonfinius[q], qui de Ludovico I. rege, Caroli filio, agens ita scribit: "In Sclavonica, et in ea quidem regione, quam Lipnam nunc appellant, cum multos depravatis opinionibus esse intellexisset, quibus sacerdotes ex divi quondam Hieronymi institutione sacra ministrabant, ad veram sapientiam reduxit. Verum hi nunc in pristinum errorem recidisse dicuntur." Hæc Bonfinius. Vide supra ad annum DCCCLX. Johannes Bapt. Palat[r]. civis Romanus de ratione scribendi, de Illyricis sive Sclavis ita loquitur: "Sciendum est, quod vulgaris illorum sermo idem ille est, quo continue utuntur in officiis divinis; et universus populus intelligit, haud secus atque nos intelligimus vulgarem sermonem nostrum." Rei totius veritatem agnoscit Azorius Jesuita hisce verbis: "Objiciunt[s] Protestantes, quod Jacobus apostolus Chaldaice aut Syriace apud Judæos liturgiam composuit; qua nunc quoque fortasse utuntur Æthiopes, Maronitæ, Armeni: Basilius et Chrysostomus Græce pro Græcis: Hieronymus perhibetur Dalmatica lingua liturgiam composuisse. Concedo: sed id factum est, quia illi extorserunt," &c. Quod vero Costerus habet in Enchiridio[t]; in Græciæ, Chaldææ, Romæ regionibus non vulgari populorum idiomate, sed in linguis communibus divina perfecta esse, falsissimum est, ut ex

[p] Pag. 339.
[q] Rer. Ungar. Decad. 2. lib. 10.
[r] Citatus a Cassandro in Liturgicis.
[s] Lib. 8. Institut. moral. cap. 26. sect. Sexto quæritur.
[t] Cap. 19. sect. Tertia propositio.

initio sectionis quartæ patet. Cæterum breviarium Illyricum (præfixo calendario) Venetiis excusum prodiit in octavo typis Illyricis ; de quibus vide Gesnerum, Pandect. Grammat. Oxonii id in bibliotheca Bodleiana vidi.

CAP. IX.

Contraria praxis hostium Ecclesiæ.

Sacræ Scripturæ volumina flammis tradere flagitiosissimorum Ecclesiæ hostium semper habita est consuetudo. Id quod ab impio Jehoiakimo factum legimus[a], ab Antiocho Epimane[b], Diocletiano[c], a Donatistis[d], a Georgio Cappadoce (quem isti in divum transformarunt) quum per Arianos persecutio fieret[e]. Hinc Augustinus epistola octogesima octava ad Januarium de Fœlice : " Cui divinarum Scripturarum proditio atque exustio videretur objecta." Et Hieronymus[f]: " In tantam rabiem persecutorum feritas excitata est ; ut etiam conciliabula nostra destruerent, divinos libros ignibus traderent." Diocletiani certe temporibus persecutione sæviente, Saturninus martyr proconsuli roganti, " Habes Scripturam aliquam in domo tua?" respondit, " Habeo, sed in corde meo." " O martyrem apostoli[g] memorem ! (inquit auctor Actorum illius apud Surium[h], quem Donatistam fuisse apparet) qui legem Domini conscriptam habuit non atramento, sed Spiritu Dei

[a] Jerem. cap. 36. ver. 23.

[b] 1 Macab. cap. 1. ver. 59. Vid. et 1 Macab. cap. 3. ver. 48.

[c] Apud Eusebium, lib. 8. Hist. eccles. cap. 2. et Augustinum in Breviculo collationis 3. diei cum Donatistis, cap. 13. et 15. unde patet, in ista persecutione non quoslibet infimos, sed etiam patresfamilias, cum persecutoribus respondissent se Scripturas non tradituros, crudelissimis mortibus occisos, ex literis Secundi Tigisitani.

[d] In collatione Carthaginensi 3. sec. 302. tom. 7. operum Augustini, et in Breviculo collationis diei 3. cap. 11.

[e] Apud Athanasium in epist. ad Orthodoxos, tom. 1. oper. pag. 113.

[f] Lib. 2. commentar. in Zachar. cap. 8.

[g] 2 Cor. cap. 3. [h] Tom. 1. die 2. Febr.

vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis sacræ idoneum diligentemque custodem; qui traditorum facinus perhorrescens, scripturas Dominicas[h] ne perderet, inter secreta sui pectoris collocavit." Hic ipse status nostrorum sub pontificiis et inquisitoribus. Ibidem Fœlix martyr; "Collectam," inquit, "religiosissime celebravimus; ad scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper." Item in Actis Euplii martyris, Diocletiano VIII. Maximiano VII. Coss. anno Domini CCCIII. pridie Idus Augusti; "Cum Euplius ab exploratoribus inventus legere evangelia, cum libro perductus esset ad Calvisianum consularem, unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximus, dixit: Non decet tales chartas eum tenere contra regalem præceptionem. Calvisianus dixit ad Euplium positum in tormentis: Quare apud te habuisti, et non tradidisti has lectiones, quas imperatores vetuerunt? Respondit Euplius: Quia Christianus sum, et tradere non licebat; magisque expedit mori quam tradere. In his vita æterna est; qui tradit, vitam æternam perdit: ut eam non perdam, vitam meam do. Calvisianus interlocutus dixit: Euplius, qui secundum edictum principum non tradidit Scripturas, sed legit populo, torqueatur. Tunc appensum est ad collum ejus evangelium, cum quo apprehensus fuerat[i]," &c. Inter libros improbatæ lectionis, quorum meminit Domitius Ulpianus JC. ethnicus[k], propheticos etiam numeratos fuisse vult Baronius[l]: quos ex senatusconsulto vetitos, et magnis pœnis eorum lectionem interdictam fuisse author est Justinus martyr: quos etiam sub magicis libris comprehensos, (Christianos enim ab ethnicis magos existimatos ex Arnobio notat Baronius[m]) a Paulo JC. verisimile est, cum ait: "Libros[n] magicæ artis apud se neminem habere licet; et si penes quoscunque reperti sint, bonis ademptis, ambustisque his publice, in insulam deportantur; humiliores capite puni-

[h] Confer Antonium Benbellonum, pag. 76.
[i] Baronius, anno 303.
[k] Lib. 10. Digestor. tit. 2. *Famil. herciscundæ*, lib. 4.
[l] Ann. 225. sect. 3.
[m] Ann. 302. sect. 20.
[n] Lib. 5. recept. sentent. tit. 23.

untur." Quod etiam spectare videtur Diocletiani edictum, quod in fragmentis libri septimi codicis Hermogeniani (alias Gregoriani) superest[o]. "Jubemus namque auctores quidem ad principes, una cum abominandis scripturis eorum, severiori pœnæ subjici; ita ut flammeis ignibus exurantur[p]."

Hoc vero modo a pontificiis nostri temporis in sacros codices sævitum esse quotidiana experientia satis jam testatum fecit[q]. Ut ea propemodum rerum facies non ita dudum extiterit, qualis Antiochi temporibus describitur: "Ubicunque[r] inveniebatur apud aliquem liber fœderis, aut si quis acquiescebat legi; edicto regis afficiebatur morte." Neque vero illo colore turpitudinem suam celare poterunt Pseudo-Catholici, quod cum iis solummodo libris ita actum fuerit; qui ab hæreticis (sic enim orthodoxos appellant hæretici perditissimi) fuissent versi. Nam a veteribus certe Catholicis, quorum se successores magno cum supercilio jactant, manifestum est hic eos degenerasse: a quibus Judæus Aquila, Symmachus et Theodotion Judaizantes hæretici (quos mala fide vertisse Testamentum in odium Christianorum affirmat epitome Parsoniana[s]) longe aliter sunt[t] accepti. Quamvis enim multa mysteria Salvatoris, Hieronymo teste, subdola interpretatione celavissent, nonnulla etiam ad hæreses suas stabiliendas, Judaicam puta et Hebioniticam, studiose pervertissent[u], nunquam tamen Catholici Scripturas ab iis versas flammis objecerunt[x]: sed curiose potius legerunt et explanarunt, et per Origenis laborem ἐν ἑξαπλοῖς ecclesiis dedicarunt. Quid quod in omnis generis Biblia, in quibus vel leviores lapsus occurrant, hoc modo procedunt cen-

[o] Sub tit. De maleficis et Manichæis, in legum Judaic. et Romanar. collatione, tit. 15.

[p] Vid. Baronium, ann. 287. sect. 4. et Ant. Benbellonum, pag. 68.

[q] Vid. Fox. Hist. ecclesiast. Angl. pag. 929. 1086. 1087. 1101. 1135. 1115. 1152. 1153. 1165.

[r] 1 Mac. cap. 1. ver. 60.

[s] De Verbo Dei, qu. 3. cap. de edit. Græca.

[t] Hieron. in apolog. adv. Rufinum, et præfat. in Job.

[u] Epiphanius de mensuris. Athanas. in Synopsi. Irenæus, lib. 3. cap. 21.

[x] Hieron. in apolog. adv. Rufinum, et præfat. in Job.

sores pontificii. Sic enim Gregorius Capuccinus, unus ex deputatis patribus pro revisione librorum in civitate Neapolitana, " Biblia[y]," inquit, " quæ deficiunt in textu, juxta concilium Tridentinum sess. 4. in decreto de usu sacrorum librorum, semper comburo; et facio experimentum in tertio capite Genesis, ubi invenio; *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram;* et non dicit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec,* &c. Ego sine remissione, tanquam textum suspectum, non transeo ad ipsam censurando, sed iguiendo." Hæc severus ille censor, quem non Aristarchum[z] sed Phalarin Grammaticum habemus, qui non notam apponat ad malum versum, sed totum opus ferro et igne persequatur.

Opera et instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium adversus librorum Hystapsis aut Sibyllæ, aut prophetarum lectores a gentilibus constitutum esse, conquestus est olim Justinus Martyr[a]: ut per timorem ab illis homines (quo minus scripta ea legentes rerum bonarum notitiam perciperent, sed in servitute eorum retinerentur) absterrerentur. Augustum certe, cum esset pontifex, noluisse Sibyllina a vulgo legi testantur Tacitus[b] ac Suetonius[c]. An eadem jam opera et instinctu malorum dæmonum, Christiano populo propheticorum librorum lectione a Romanis præsulibus interdictum sit, judicent alii. Illud quidem negari non potest, a sacrilegii hujus patronis[d] hoc ipso argumento interdictum illud defendi, quod antiqui illi Romani Sibyllina carmina legendi facultatem certis[e] tantum magistratibus, viris prudentissimis, concessissent. Ut ab eodem prorsus spiritu et hos et illos actos esse appareat. " At[f] vero nos" inquit

[y] Enchrid. eccclesiast. pag. 166.

[z] Cicero in Pisonem.

[a] Apol. 2. pro Christianis, op. pag. 76.

[b] Annal. lib. 5. [c] In Octavio, cap. 31.

[d] Ledesima, cap. 22. sect. 17. Heskins Parlament, lib. 1. cap. 7. Peresio De traditione.

[e] Fenestella (vel potius Dominicus Flaccus Florentinus) lib. 1. De magistrat. cap. 13. Lactantius lib. 1. Institut. cap. 6.

[f] Ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν, ὡς

Christianorum nomine adversus gentes Justinus, "absque timore non tantum hujusmodi scripta legimus; verum etiam vobis ad inspiciendum, qui in eis traduntur, offerimus, grata acceptaque omnibus fore scientes[g]." Huc etiam referatur, quod Melchior Canus[h], et Jacobus Ledesima proferunt ex Valerio Maximo[i], de Tarquinio rege; qui M. Tullium duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit. In Sibyllinorum enim librorum custodia non bona fide rem gerere M. Attilium, sic enim appellat, visum, prodit Dionysius Halicarnasseus, libro quarto Antiquitatum Romanarum.

"Sanctiora[k] sacrorum (gentilium) tantum initiati sciebant," ut est apud Senecam[l]. "Multa enim," inquit Varro, "sunt[m] vera; quæ non modo vulgo scire non est utile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter populum existimare expedit. Et ideo Græci τελετὰς ac mysteria taciturnitate parietibusque clauserunt." Ita Ægyptios sacerdotes, quæ in arcanis condita habebant, ut veritas ignota esset, ad multos manare noluisse, authores sunt Diodorus Siculus[n] ac Lucianus[o]: pœna iis adjecta, qui ea in vulgus proderent. Similiter Ægyptios non quibuslibet mysteria sua commisisse, neque rerum divinarum cognitionem ad profanos detulisse, sed ad eos solos, qui erant ad regnum perventuri; et ex sacerdotibus, iis, qui et educatione et doctrina et genere probatissimi judicati fuissent, confirmat Clemens Alexandrinus[p]. Hoc ipsum, ne ignari essemus, a quibus magistris disciplinam hanc hauserint pontificii,

ὑρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐάρεστα φανήσεσθαι. Apolog. 2. pro Christianis.

[g] Vid. supra ann. 200. Tertulliani apologet. cap. 31.

[h] Lib. 3. loc. cap. 3.

[i] Lib. 1. De servata religione.

[k] Pontificii praxin hanc ab Ethnicis, ut alia multa, hauserunt.

[l] Lib. 15. epistolar.

[m] Apud Augustin. de civit. Dei, lib. 4. cap. 31.

[n] Biblioth. lib. 1. cap. 2.

[o] Dialog. de sacrificiis, tom. 1. pag. 537. Vid. Herm. Trismegist.

[p] Stromat. lib. 5.

diligenter inculcat Jacobus Ledesima, de divinis Scripturis quavis lingua non legendis, capite vigesimo secundo, ubi Platonem profert; qui Dionysio scribens de quibusdam sacris mysteriis, monet ut epistolam evestigio concerpat, ne in manus indigni vulgi perveniat. Addere etiam potuisset ex Orphei Sacris[q]: *Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.* Dignis sancta loquar: procul hinc arcete profanos:" aut Bacchi mysteriis; quod in Epiphanii hymno indicat Sozomenus[r]: aut carminibus Horatii, " Odi[s] profanum vulgus, et arceo." De Cereris sacris, nullo magis quam silentio solennibus, vide Justini Historiæ librum quintum in ipso initio, et Theodoretum sermone primo de curandis Græcorum affectibus. Hinc grave piaculum a Romanis est habitum secretiora sacra in vulgus prodere. Valerius Maximus: " Jus[t] civile per multa sæcula inter sacra cæremoniasque Deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notus, Cn. Flavius, libertino patre genitus et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis vulgavit, ac fastos pene toto foro exposuit." Cicero in oratione pro Muræna, ad Sergium Sulpicium juris consultum: " Si quid fuerit apud majores nostros in juris studio admirationis, id enuntiatis vestris mysteriis totum contemptum est et abjectum. Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant. Fastos enim vulgo non habebant. In magna erant potentia, qui consulebantur; a quibus etiam, dies, tanquam a Chaldæis, petebantur. Inventus est scriba quidam, Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, et ab ipsis jurisconsultis eo-

[q] Quæ inter poetas Græcos ab Henrico Stephano edita sunt, par. 2. pag. 481. et citata sunt ab Aristobulo Judæo Peripatetico in opere scripto ad Ptolomæum Philometorem apud Eusebium, lib. 13. Præparat. evangel. cap. 12. pag. 664. a Justino martyre in Cohortat. ad Græcos, op. pag. 18. et lib. de monarchia Dei, pag. 37. a Tatiano in orat. contra Græcos, Clemente Alexandrino in Protreptico, pag. 21. edit. Sylburg; Cyrillo Alexandrino, lib. 1. contra Julianum. Theodorito in serm. 1. De curandis Græcorum affect. pag. 15. et 19. edit. Sylburg. Ubi etiam testimonia Pindari et Platonis a Cano et Ledesima citata reperiuntur. Eodem carmine usum esse Porphyrium apparet ex Eusebio De præp. evang. lib. 3. cap. 5. circa finem.

[r] Lib. 6. hist. eccles. cap. 25. [s] Lib. 3. od. 1.

[t] Lib. 2. cap. 1.

rum sapientiam compilarit." De eodem Flavio Livius: "Jus[u] repositum in penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in alto proposuit; ut quando lege agi posset, sciretur." Vide ea de re Plinium[x], Aulum Gellium[y], Pomponium De origine juris, et Ciceronem ad Atticum[z]. Denique ex canonibus etiam apostolorum testimonium proferre poterat Ledesima. De Constitutionibus enim a se editis decernit Pseudo-Clemens, "ὡς οὐ δεῖ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικὰ, quod non oporteat eas publicare omnibus, ob quædam arcana, quæ in se continent:" nisi quod hoc ad octo libros specialiter accommodatum, quorum arcana inter apocrypha referri non magnopere dolendum, libros sacræ Scripturæ ibidem recensitos omnibus publicandos esse non obscure significet. Sic etiam Bellarminus[a] silentium in traditionibus requirit; non in Scripturis, quæ toti mundo leguntur. Quid autem de fidis istis silentiis Christiana Ecclesia olim judicaverit, illa Lactantii reprehensio satis indicat, quam libro quinto Institutionum, capite vigesimo legimus: "Hinc fida silentia," inquit, "sacris instituta sunt ab hominibus callidis; ut nesciat populus quid colat." Tantum abest, ut cum Jesuitis ethnicorum exemplar ecclesiæ imitandum commendaverit[h].

Verum enimvero nequaquam primi fuerunt pontificii, qui hac in re ethnicorum callidam superstitionem imitati sunt. Majores ipsorum, veteres hæretici, hac de causa non minus quam gentiles, ab hominibus Catholicis notati, viam hanc illis jamdudum demonstrarunt. Illi, cum ex Scripturis arguerentur, in accusationem conversi sunt "ipsarum Scripturarum, quasi varie essent dictæ, et quasi non posset ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem; ob quam causam et Paulum dix-

[u] Lib. 9. sub finem, anno U. C. 550.
[x] Lib. 33. cap. 1.
[y] Lib. 6. cap. 9.
[z] Lib. 6. epist. 1.
[a] Lib. 4. De verbo Dei, cap. 8.
[h] Vide hac de re Melchiorem Canum, lib. 3. cap. 3. fol. 57. et qui eum κατὰ πόδας sequitur, Jacobum Ledesimam, cap. 22. a pag. 178. præcipue vero Barnab. Brissonium de Formulis, lib. 1.

isse[c]. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus.*" Irenæus[d] hanc sententiam sibi non probari innuit. "Doctrina apostolorum," inquit capite decimo quinto: "manifesta est et firma, et nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium." Hæretici non omnia volebant apostolos omnibus revelasse; quædam enim palam et universis, quædam secreto et paucis demandasse: quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: "O Timothee, depositum custodi;" et rursum: "Bonum depositum custodi[d]." Hæc eadem pontificiorum nostri temporis vox est, Scripturam gladium esse Delphicum, Lesbiam regulam, nasum cereum, tantis obscuritatibus involutam, ut nec a vulgo Christianorum legi tutum sit, nec sine traditionis adminiculo controversias fidei possit componere. Neque illud etiam prætereunt, mysteria quædam, præsertim sacra, clam populo rudi habere voluisse apostolos, perfectis et majoribus seorsim communicanda: ideoque Paulum dixisse: "Sapientiam[c] loquimur inter perfectos;" et "Bonum[d] depositum custodi." His enim ipsis firmamentis hac in causa utitur Melchior Canus[e]; et eum *κατὰ πόδας* secutus Jacobus Ledesima[f]. Fr. etiam Agricola[g] prius illud testimonium in præsenti quæstione usurpat; Thomas Stapletonus[h], et alii: ut veterum hæreticorum, quos Scripturarum lucifugas non inscite appellavit Tertullianus[i], germanos filios possis agnoscere. Sed istos occultarum traditionum patronos suis frui somniis sinamus; nos Catholicæ Ecclesiæ traditiones, quas ex ipsa Scriptura omnibus qui velint hauriendas proponit, amplectamur; quas veteribus illis hæreticis suas *ἐυτερώσεις* jactitantibus opponit

[c] 1 Cor. cap. 2. ver. 6. [d] Lib. 3. cap. 2, 3. et 15.

[d] Tertullianus de præscript. adv. Hæreticos, cap. 25. quam dementiam, sic enim cap. 28. appellat, cap. 26. solide refutat, concludens capitis 27. initio, incredibile esse, "apostolos non omnem ordinem regulæ omnibus simpliciter, et plene (al. plane) omnibus edidisse."

[c] 1 Cor. cap. 2. [d] 2 Tim. cap. 1. ver. 14.

[e] Loc. theolog. lib. 3. cap. 3.

[f] De divinis script. quavis lingua non legendis, cap. 22. sec. 28.

[g] De verbo Dei, cap. 12. [h] Antidot. in 1 Cor. cap. 2. ver. 6.

[i] De resurrect. carnis, cap. 47.

Irenæus: "Traditionem[k]," inquit, "apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire." Et post: "Hunc patrem Domini nostri Jesu Christi ab ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, et apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere." Pessime itaque Johannes a Sancto Andrea, præfatione in liturgias sanctorum patrum ad cardinalem Lotharingum, "Quanquam si veteres illi," inquit, "audiendi sunt, prophanum ab iis sacris longe vulgus arcendum est: quæ alioqui ita recondenda sunt, ut tum demum, si quædam procella emergat vehementior, depromantur; et tanquam Cynosura dux, navigationisque magistra, inter tempestates effulgeant. Quod enim publicatur, labefactatur." Hæc ille, Horatium potius quam veteres patres secutus: "Etsi enim, (ut optime veteris Ecclesiæ mentem aperuit Augustinus[l]) Catechumenis fidelium sacramenta non produntur; non ideo fit, quod ea ferre non possunt, sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur."

Carpocratiani Jesum dicebant "in mysterio discipulis suis et apostolis seorsim locutum; et illos expostulasse, ut dignis et assentientibus seorsim hæc traderent: per fidem enim et charitatem salvari:" quemadmodum habet Irenæus[m], et ex eo Theodoritus[n]. Atque hinc illos dicere solitos refert Epiphanius, "τοῖς[o] ἀξίοις ταῦτα καταξιοῦμεν διηγεῖσθαι. Dignis hæc recensere dignamur."

Basilidiani dicebant mysteria sua esse ineffabilia, "neque multos ea scire posse, sed unum a mille, et duos a myriadibus:" ut est apud Irenæum[p], et Theodoritum[q], "neque oportere omnino ipsorum mysteria effari, sed in abscondito continere per silentium;" ut addit ibidem Irenæus. Similiter de Basilide Epiphanius, "Jubet[r]," inquit, "solum de Patre et suo mysterio nemini revelare, sed silentio in seipsis conti-

[k] Lib. 3. cap. 3.
[l] Tract. 96. in Johan.
[m] Lib. 1. advers. Hæres. cap. 24.
[n] Lib. 1. Hæretic. fabular.
[o] Lib. 1. Panarii, hæres. 27.
[p] Lib. 1. advers. Hæres. cap. 23.
[q] Lib. 1. Hæretic. fabular.
[r] Panar. lib. 1. hæres. 24.

nere: uni vero de mille revelare, et duobus de decem millibus." Hinc insanæ illæ Agyrtæ voces ab eodem commemoratæ: "Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ὗες καὶ κύνες. καὶ διὰ τοῦτο εἶπε, μὴ βάλλητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, μηδὲ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κύσι. Nos homines sumus; cæteri omnes canes sunt et sues. Nolite igitur margaritas projicere porcis, aut dare sanctum canibus." Ita nimirum pontificii persuasum nobis esse volunt, sacrarum literarum oracula, religionisque Christianæ mysteria omnia passim vulgo tradere, nihil aliud esse, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas[r]. Basilidis etiam sectatores, "ad imperitorum et muliercularum animos concitandos," peregrina quædam nomina, quasi de Hebraicis fontibus hausta, usurpare consueverunt; "barbaro simplices quosque terrentes sono; ut quod non intelligunt, plus mirentur[s]." Barbara hujusmodi nomina in mundum invexisse Nicolaum Antiochenum refert Damascenus[t]. Atque ita de Nicolaitis refert Augustinus: "Nescio[u] quæ barbara principum nomina miscere eos disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potius faciunt quam timorem." "Verbis illis abuti solet immundissima hæresis," inquit Hieronymus[x], "apud simplices quosque atque deceptos; ut terrorem faciat novitate sermonum," &c. Ita nimirum principem quendam Caulaucae habuerunt (quemadmodum et Basilidiani eorum soboles) ex vocibus Hebraicis Esaiæ cap. XXVIII. ver. 10. קו לקו appellatione sumpta; "φαντασιάζειν[y] φιλοτομούμενοι τοὺς ἀπείρους διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐπιπλήξεως καὶ ἐπιπλάστου τῆς τοῦ ὀνόματος βαρωνυμίας, in vanas imaginationes impellere conantes imperitos per nominum terriculamenta et confictam barbari nominis appellatio-

[r] Vid. Canum, lib. 3. locor. theologic. cap. 3. fundam. 4. Harding. artic. 15. sec. 7. et art. 16. sec. 4.

[s] Hieronymus, epist. 53. ad Theodorum, quæ epitaphium Lucinii Bœtici inscribitur.

[t] Lib. de Hæres.

[u] De Hæresibus ad Quodvultdeum, sec. 5.

[x] Lib. 9. comment. in Esai. cap. 28.

[y] Epiphanius in Panar. lib. 1. hæres. 25. κατὰ Νικολαϊτων.

nem." Similiter et Heracleonitas invocationes suas Hebraicis verbis dicere solitos notat Augustinus[z].

Marci, hæretici Valentiniani, discipulos sacris suis obscura nomina indidisse testatur Arnobius; quibus efficerent, ut sacratiora augustioraque haberentur; "*οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν νυμφῶνα κατασκευάζουσιν, καὶ μυσταγωγίαν ἐπιτελοῦσι μετ' ἐπιῤῥήσεων τίνων τοῖς τελειουμένοις*, &c. *ἄλλοι δὲ ἑβραϊκὰ τίνα ὀνόματα ἐπιλέγουσι πρὸς τὸ μᾶλλον καταπλήξασθαι τοὺς τελουμένους*. Quidam enim ex ipsis sponsale quoddam cubiculum adaptantes, et quasi mysticum (munus scilicet) conficiunt cum quibusdam profanis dictionibus, iis qui sacrantur (id est initiantur)" &c. "Alii autem et Hebraica nomina superfantur; ut stupori sint, vel perterreant eos, qui sacrantur[a]," &c. Similiter pontificii obscuris et populo ignotis verbis in sua liturgia, ac in sacramentis etiam (ut Epphata in baptismo) utuntur; sacra sua lingua vulgo ignota et barbara celebranda esse defendentes, "ut[b] gravior et magis reverenda eorum majestas videatur."

Messaliani hæretici, ita lingua Syra appellati a שוּיל, Græce vero Εὐχῖται, hoc est, Precatores dicti sunt. *Οὗτοι ἐξαπατησθέντες*, inquit Theodoritus[c], *οἱ τρισάθλιοι, ἔργον μὲν οὐδὲν μετιοῦσι (πνευματικοὺς γὰρ ἑαυτοὺς ὀνομάζουσι) τῇ δ' εὐχῇ δῆθεν ἐσχολακότες τῆς ἡμέρας τὸ πλεῖστον καθεύδουσι.* hoc est, "Decepti homines longe miserrimi, nullum opus aggrediuntur (spirituales enim seipsos vocant) sed orationi utique vacantes maximam diei partem dormiunt." Viva effigies monachorum et aliorum ex pontificiis, qui spirituales se vocant. *Καθ' ἑσπέραν καὶ κατὰ τὴν ἕω*, ait de iisdem Epiphanius[d], *μετὰ πολλῆς λυχναψίας*

[z] Ad Quodvultdeum, hæres. 16.

[a] Irenæus, lib. 1. cap. 18. et eum secutus Eusebius, lib. 4. hist. cap. 10. Epiphanius, lib. 1. Panar. hæres. 34. pag. 114. edit. Græc. *κατὰ Μαρκοσίων*. Theodoritus, lib. 1. Hæretic. fabular. Nicetas Choniates, lib. 4. Thesauri Orthodoxæ fidei hæres. 6. ubi Hebraica hæc nomina a Marci sectatoribus usurpari monet, quo majorem ei, qui baptizatur, stuporem injiciant.

[b] Bellarminus, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 15. sec. 34.

[c] Lib. 1. Hæretic. fabular.

[d] Lib. 3. Panar. hæres. 80.

καὶ φώτων συναθροιζόμενοι, ἐπὶ πολὺ τὲ καταλεγμάτιά τινα ὑπὸ τῶν παρ᾽ αὐτοῖς σπουδαίων, καὶ εὐφημίας τινας ὅθεν εἰς τὸν θεὸν ποιούμενοι, ὡς καταλεγματιῶν καὶ εὐφημιῶν ὥσπερ θεὸν ἐξιλεούμενοι, ἑαυτοὺς ἀπατῶσιν. ἡ δ᾽ ἀγνωσία τυφλή τις οὖσα, πάντα ταῦτα δοκήσει οἰήσεως τοῖς πεπλανημένοις παρασκευάζει. id est, "Ad vesperam et mane multis lucernis ac luminibus incensis congregantur; et diu per longum tempus lectiones quasdam per doctos suos, et laudes quasdam in Deum facientes, velut per lectiones ac laudes Deum placantes, seipsos decipiunt. Cæterum ignorantia cæca existens, omnia hæc per opinionis existimationem seductis illis efficit."

" Psalliani sive Euchitæ," inquit Erasmus, " auxerunt[e] hæreticorum catalogum: qui in otio degentes incredibilem psalmorum vim mira linguæ volubilitate absolvebant." Hæc Erasmus, addens paulo post: " Fortassis et hi displicent Domino, qui hoc ipsum putant eximiam quandam esse pietatem, ore quamplurimum Psalmorum recitare, quum nec adsit intellectus, nec pius affectus."

Ossenorum et Helcesaitarum pseudo-propheta Elxai (ut est apud Epiphanium[f]) dicebat: " Nemo[g] quærat interpretationem; sed solum in oratione hæc dicat: Quæ quidem ex Hebraica lingua transtulit; et vel ex hac parte deprehendimus, nihili esse istius hominis commenta. Ita enim orare jubet. Abar, Anid, Moib, Nochile, Daasim, Anc, Daasim, Nochile, Moib, Anid, Abar, Selam; quæ hunc sensum continent, transeat objectio a patribus meis propagata," &c.

Theodoti vel gnostici alicujus videtur illa quæstio, quæ habetur in Clementis Alexandrini Eclogis, πότερον[h] χεῖρον ἀναξίῳ δοῦναι, ἢ ἀξίῳ μὴ παραδοῦναι, &c. (vide locum.) Conjunguntur enim cum excerptis ex Theodoto, quem Theodotum coriarium hæresiarcham accipio; cujus sectatorum mores a pontificiis haud multum alienos ita depin-

[e] Ad censuras Theolog. Parisiens. tit. 19. de præcat. vocali, proposit. 1.

[f] Lib. 1. Panar. hæres. 19. ante Christum.

[g] Μηδεὶς ζητήσῃ τὴν ἑρμηνείαν, ἀλλ᾽ ἢ μόνον ἐν τῇ εὐχῇ τάδε λεγέτω. καὶ αὐτὰ ὅθεν ἀπὸ ἑβραϊκῆς διαλέκτου μετενέγκας, &c.

[h] Clem. Alex. op. pag. 347. edit. Sylburg.

git antiquus ille author[j], qui librum contra Artemonis hæresim scripsit: "Sacras[k] audacter depravarunt Scripturas; veteris fidei canonem abrogarunt; Christum ignorarunt; neque quid sacræ et divinæ literæ de illo dicant, conquisiverunt; sed quænam syllogismi figura ad suam impietatem confirmandum reperiretur, studiose indagarunt. Quod si quisquam forte illis aliquod divini eloquii testimonium proferat; quærunt utrum conjunctam aut disjunctam syllogismi figuram possit efficere. Relictis vero et depositis sacrarum literarum studiis omni cura et cogitatione in geometriam incumbunt: tanquam ex terra editi, de terra loquuntur: et Christum, qui sit de cœlo venturus, penitus ignorant," &c. Porro ipsius Clementis quænam fuerit hac in re sententia, verba ibidem statim subsequentia (ejusdem etiam nomine a Damasceno[l] citata) aperte testantur: *ὡς δὲ ἡ θάλασσα ἀνίεται πᾶσιν*, &c. "Quemadmodum mare omnibus patet, atque alius natat, alius negotiatur, alius piscatur: et rursus, quemadmodum terra communis est omnibus; atque alius iter facit, alius arat, alius ædificat; eodem[m] modo dum sacra Scriptura legitur, alius in fide, alius in moribus juvatur, aliis per literarum agnitionem superstitio eximitur; pugil denique, ubi Olympicum curriculum agnoverit, doctrinæ beneficio ad certamen se comparat, et pugnat, et palmam adipiscitur, elusis nimirum et fractis adversariis, iisque vel veræ scientiæ viam exagitant." Hæc ille.

Gnosimachi "omni Christianorum cognitioni ac scientiæ ita adversantur; ut vanum et minus necessarium laborem esse dicant eorum, qui sacris in Scripturis scientiam ullam aut cognitionem investigant: cum præsertim a Christianis Deus præter bona opera nihil requirat; ut sit satius, si quis simplicius ambulet, nec curiosius quicquam

[j] Apud Eusebium, lib. 5. Hist. eccles. cap. ult.

[k] *Γραφὰς μὲν θείας ἀφόβως ῥαδιουργήκασι, πίστεως δὲ ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασι. Χριστὸν δὲ ἠγνοήκασιν, οὐ τί αἱ θείαι λέγουσι γραφαί, ζητοῦντες, ἀλλ' ὁποῖον σχῆμα συλλογισμοῦ*, &c.

[l] Lib. 2. Parall. cap. 49.

[m] *Οὕτως καὶ τῆς γραφῆς ἀναγινωσκομένης, ὁ μὲν εἰς πίστιν, ὀδ' ἦθος ὠφελεῖται, ἀπαιρεῖται δὲ ἄλλος δεισιδαιμονίαν διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τῶν πραγμάτων.* —— *Ἀναγκαῖα γὰρ ἡ γνῶσις*, &c.

perscrutetur." Johannes Damascenus in libro de hæresibus: et Nicetas libro quarto Thesauri orthodox[n], qui in hæreseos illius confutationem subjicit: " Si ex erroneæ traditionis vestræ regula, lectione sacrarum Scripturarum contenti, nulla scientiæ et cognitionis habita ratione, vitam nostram instituissemus; quid tandem, quæso, utilitatis ex illis reportassemus? aut quonam modo, quod credimus, id oratione sciscitantibus explicare potuissemus?"

Apollinaristarum[o], vel aliorum damnatorum hæreticorum, est illa sententia, ab Athanasio (vel quisquis ille fuerit, gravi certe et antiquo scriptore) confutata in disceptatione adversus hæreticos: " Omne[q] sacrarum literarum studium supervacaneum esse; tum quod propria cuique fides sufficiat, tum quod inquisitio obscuriores nobis res ipsas reddit[r]." Item: " Sacrarum[s] Scripturarum oracula auribus quidem audienda; ita tamen ut verborum sensus non perpendatur, nec dictorum consequentia spectetur, nec ad pium quo edita sunt scopum attendatur[t]." An vero illa accusatio[u], quæ *τὸν τὰς λέξεις δεχόμενον καὶ μὴ καταμανθάνοντα τὰ σημαινόμενα* attingit, pontificiorum hæresin non jugulet, penes ipsos judicium esto.

In Judæis etiam illud perstringit Hieronymus[x], quod " ambulaverint in tenebris, ita Scripturas sanctas, quasi cæci palpantes parietem; verba tantum in eis et folia, non sensum fructumque quærentes, qui tenetur in literis: absque sensu et intelligentia Scripturarum, tantum verba meditantes, quæ decantant memoriter." Addit ibidem Hieronymus, "solam verborum meditationem, simplicitatem esse absque prudentia, quæ vicina stultitiæ est." Certe illorum Rabbinos circa annum Domini DLII. sacrorum

[n] Hæres. 39.

[o] Vid. supra ad ann. 360.

[q] *Περιττὴν εἶναι τὴν περὶ τὰς ἁγίας γραφὰς ἀποφαινομένων διατριβήν, ὡς ἀρκούσης ἑκάστῳ τῆς οἰκείας πίστεως, καὶ μᾶλλον ἀσάφειαν ἐμποιούσης ἡμῖν τῆς ζητήσεως.* Op. tom. 2. pag. 562.

[r] Vid. supra ad ann. 360.

[s] *Οὕτω γὰρ προστάττουσι τοῖς μὲν ὠσὶν ἀκούειν, τῇ δὲ καρδίᾳ μὴ συνιέναι,* &c.

[t] Athan. ibid. pag. 571. et ann. 360.

[u] Ibid. pag. 572.

[x] Lib. 6. comment. in Esai. cap. 59.

librorum in lingua populo intellecta recitationem prohibere conatos, constat ex Justiniani imperatoris Novell. Constitut[y]. 146. Qui conatus, licet eo tempore Justiniani imperatoris authoritate repressus fuerit, prævaluit tandem: atque etiam Romanæ synagogæ rabbinis, ne negari posset cum Ecclesiæ hostibus hic conspirare istos, luculentum argumentum præbuit ejusdem moris in Christiana Ecclesia retinendi. Sic enim horum exemplum præscribit nobis, Romanensium Coryphæus, Robertus Bellarminus: "Usque[z] ad hanc diem in synagogis Judæi Scripturas Hebraice legunt; cum nulli nationi hoc tempore lingua Hebraica sit vulgaris." Quasi vero Judæorum et antichristianorum conjuratio adversus Dominum et Ecclesiam ejus maximo nobis esse deberet argumento ad socia arma cum illis conjungenda. A Judæis interim, quorum adhuc cordibus hæret velamen cæcitatis, Biblia sancta perlegi fere ab incunabulis, fatetur Possevinus[a]. Quidni igitur hic eos sequatur Bellarminus, qui in sacris peragendis sequendos sibi proponit. Cæterum de Hebræorum traditione de initio Geneseos non legendo a juvenibus, vide Mercerum[b] et Capitonem in Hexaemeron[c], et Origenem (vel quicunque author fuit) prologo Homiliarum in Cantica Canticorum, prope initium, inter opera Hieronymi, ubi reliquam Scripturarum vel pueris concessam aperte intelligimus.

Turcæ similiter (quos Bellarminum prætermisisse non oportuit, a Reginaldo et Giffordo[d] Turcopapistis hac in causa nequaquam prætermissos) eandem insistunt viam. Ita enim de sacerdotibus eorum (papisticis simillimis) scribunt Bartholomæus Gyorgievitz[e] et Antonius Geuffræus[f]: "Non magna in ipsis doctrina requiritur. Satis erit, si

[y] In authenticis, collat. 9. tit. 28. Vid. supra in sententiis Hebræorum circa finem, et imperatorum, ex Jure civili.

[z] De Verbo Dei, lib. 2. cap. 15.

[a] Biblioth. select. lib. 4. cap. 6.

[b] In Genes. fol. 4. b. [c] Fol. 6, 7, 8.

[d] Calvino-Turcism. lib. 4. cap. 7. pag. 766. 778.

[e] Inter histor. Saracen. cum Alcorano ann. 1550. excus. pag. 183.

[f] De Turc. relig. et cæremoniis, lib. 2. parte 1. Aulæ Turciæ, anno 1577. Basil. edit. pag. 44.

Alcoranum et Mussaphum noverint legere. Illi autem, qui etiam interpretari secundum textum noverint, peritissimi habentur: quoniam non vulgari lingua Turcica, sed Arabica a Mehemmeto sunt tradita: quod nefas esse putant, si vulgari lingua interpretata describerentur." Christophorus Richerius, de Turcarum moribus, libro secundo: "Arabicas," inquit, "voces Turci a pueris ediscere solent, cum primum sua religione imbuuntur. Legem enim Arabice conscriptam habent, et in omnibus publicis privatisque rebus Arabicis literis utuntur." "Solent enim Turcæ," ut refert Gerlachius, "ab[g] incunabulis pueros docere Alcoranum legere, crebraque iteratione memoriæ ipsorum imprimere; quod credunt lectionem ejus, etiam non intellecti, infinita præmia in altero sæculo habituram esse." De Turcarum ignorantia, quam evidens argumentum esse ait infidelitatis hujus sectæ, ita scribit Septemcastrensis[h]: "Licet maximæ sint astutiæ ad omne opus malum perficiendum; et in rebus naturalibus magnam et quasi supernaturalem habeant practicam et experientiam: tamen in his quæ ad salutem pertinent, et ad res spirituales cognoscendas, tam stolidi, tamque inepti sunt: ut videantur ad modum bestiarum usu rationis carere, et quasi saxa indurati, nihil spiritualis intelligentiæ posse capere." Addit ibidem, eos de cæremoniis legis suæ et institutis nullam scire dare rationem. Sacerdotes vero quicquid dicunt, quidve præcipiunt, ita velle ab omnibus observari, quasi præceptum Dei; ut nemo audeat vel in minimo contradictionem vel resistentiam facere. Denique Turcæ lingua Arabica, quam pauci inter illos intelligunt, preces fundunt, et multiplici in precibus utuntur battologia[i]. Sacerdotibus Turcicis satis esse confirmat Bellonius[k], si Alcoranum legere et Turcice ad verbum interpretari norint. Alibi[l] tamen Alcoranum lingua Arabica primum conscriptum esse, et deinde in Turcicum idioma conversum dicit.

[g] In Mart. Crusii Turco-Græcia, lib. 7. pag. 502.
[h] De moribus Turcorum, cap. 21.
[i] Sutlivius Turcopapismo, lib. 2. cap. 9.
[k] Observat. lib. 3. cap. 30. [l] Lib. 2. cap. 32.

Pharisæi accuratiorem cæteris hominibus legis notitiam sibi arrogabant, quemadmodum confirmat Josephus[m]. Atque hinc est quod plebi ita superbe insultaverint, "Turba[n] hæc, quæ non novit legem, execrabilis est:" ipsi nimirum "cæci, cæcorum duces" esse voluerunt[o], seque legis interpretes professi, "cognitionis[p] clavem sustulerunt: ipsi non introiverunt; et eos, qui introibant, prohibuerunt." "Claves scientiæ apud illos sunt, qui libros prophetarum et legis habeant in manibus," ait Origenes[q]. Et author operis imperfecti in Matthæum, quod Chrysostomo tribuitur: "Regnum[r]," inquit, "cœlorum dicuntur Scripturæ; quia in illis insertum est regnum cœlorum. Janua eorum, intellectus earum. Vel regnum est beatitudo cœlestis: janua autem ejus est Scriptura, per quam introitur ad eam. Clavicularii autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum dicendi et interpretandi Scripturas. Clavis autem est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis: adapertio autem est interpretatio vera. Vide quia non dixit [hic Christus:] Væ vobis, qui non aperitis regnum cœlorum, sed qui clauditis. Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, ut cum labore inveniantur; non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur. Neque enim abscondita est (ut paulo post addit author) in Scripturis veritas, sed obscura; non ut non inveniant eam, qui quærunt eam, sed ut non inveniant eam, qui quærere eam nolunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat, qui inveniunt eam, quia desideraverunt eam, et quæsierunt, et invenerunt; ad illorum autem condemnationem, qui non inveniunt eam, quia nec desideraverunt eam, nec quæsierunt, nec invenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis; quibus erat inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veritas salus et vita est cognoscentium se, magis debet quæri quam quærere." Hoc deinde ad sui temporis hæ-

[m] Antiqu. Judaic. lib. 17. cap. 3. et de bello Judaico, lib. 1. cap. 4.
[n] Johan. cap. 7. ver. 49. [o] Matth. cap. 15. ver. 14.
[p] Matth. cap. 23. ver. 13. Luc. cap. 11. ver. 52.
[q] Lib. 4. περὶ ἀρχῶν. [r] Homil. 44.

reticos, Arianos (unde intelligitur hanc partem operis a nobis citati ab homine Ariano nequaquam profectam) ita author accommodat: " Sic et modo hæretici sacerdotes claudunt januam veritatis. Sciunt enim quoniam si manifestata fuerit veritas, eorum ecclesia est relinquenda; et ipsi de sacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideo quando legunt in populo suo aliquid tale: *Qui me misit, major me est;* perversa interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes, Filium minorem patre; cum secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et nec ipsi intrant in veritatem Scripturæ, propter avaritiam; neque alios intrare permittunt, propter ignorantiam. Quid ergo ignorans populus excusabilis erit? Absit. Si enim vestimenta empturus, gyras unum negotiatorem et alterum," &c. Vide locum: " Et si velles Scripturarum ingredi veritatem, (sic enim lego in codice MS. bibliothecæ nostræ,) non[s] peteres orationibus, non quæreres in Scripturis, non pulsares bonis operibus, non interrogares sacerdotes, nunc istos [non investigares] qui veri sint clavicularii Scripturarum, qui falsi. Sed ista non fiunt, quia verbum Dei non creditur: quia nec promissio beatitudinis ejus desideratur, nec judicium comminationis ejus timetur." Et istam sane supinam negligentiam a pontificiis doctoribus ut maxime salutarem populo commendari etiamnum cernimus; qui patrum suorum, Pharisæorum et Arianorum, insistentes vestigiis, cæcorum duces esse volunt, ipsi plerumque cæcissimi, clavemque scientiæ populo auferentes, a Scripturarum lectione arcent, ab ipsis solis veritatem ut expectent, mandant, in eorum dogmata ne inquirant, severe interdicunt, quasi ipsi soli omnium hominum sapere videantur.

Priusquam a Pharisæis discedamus, illud etiam attexendum duximus, quod ad Matthæi cap. XXIII. ver. 5. (ubi in illis notat Dominus, quod phylacteria sua dilatent) observat prædictus author[t] operis imperfecti: " Puto," inquit, " quod illorum tunc scribarum et pharisæorum

[s] *Nunc* pro *non* ubivis habent editiones impressæ.
[t] Homil. 43.

exemplo, et nunc multi aliqua nomina Hebraica angelorum confingunt, et scribunt, et alligant sibi; quæ non intelligentibus linguam Hebraicam metuenda videntur. Sic ergo et isti vani sunt, sicut illi fuerunt: quoniam personæ illorum de mundo recesserunt, non mores. De hominibus itaque nostri temporis exponentes, de illis videmur exponere. Ergo sacerdotes ex eo, quod ab hominibus volunt videri justi, phylacteria alligant circa collum, quidam vero partem aliquam evangelii scriptam. Dic sacerdos insipiens: Nonne quotidie evangelium in ecclesia legitur, et auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus posita evangelia nihil prosunt; quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare? Deinde ubi est virtus evangelii, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa." Hæc ille.

Donatistis hæreticis olim impegit D. Augustinus[u], quod timerent ne sæculi reges sacrorum codicum eloquia nossent: "Sed velitis," inquit, "nolitis, ecclesiam intrant et lectionibus aurem admovent[x]." Donatistæ sane, licet ipsorum majores sanctos codices flammis tradiderunt[y], hoc tamen crimen Catholicis objicere nunquam desierunt. Adversus hos ita scribit Augustinus in libro De unitate Ecclesiæ, capite tertio: "Sunt certe libri Dominici, quorum authoritati utrique consentimus: ibi quæramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Hic forte dicturi sunt: Quid quæris in libris, quos ignibus tradidisti? Ad hoc respondeo. Quid times, ne legantur isti libri; si eos ab ignibus custodisti? Eos certe ille tradidisse credatur, qui eis lectis non consentire convincitur." Hæc Augustinus; eodemque modo et nos Donatistas nostrorum temporum provocare possumus. Nec minus juste illos premere possumus ea accusatione, qua olim Donatistas Optatus Milevitanus: "Illud[z] prætermittere nequeo," inquit ille, "quod

[u] Vid. Augustini, lib. 2. contra Petiliani literas, cap. 92.
[x] Espensæus episcopus, lib. de sex Tract. pag. 98.
[y] Ut apparet ex Augustino, lib. 1. contra literas Petiliani, cap. 27.
[z] Optat. lib. 6.

nec Deo est placitum, nec a vestris cultoribus excusari, nec ab aliquo homine defendi potest. Per judicia sæcularia et leges publicas, divinæ legis instrumenta executione officiorum a plurimis eripienda esse dixistis; volentes soli habere, quod pax in communione possederat[a]." Huc etiam illud Augustini[b] de hymnis et psalmis canendis, referri potest: "De hac," inquit, "re tam utili ad movendum pie animum, et accendendum divinæ lectionis (*dilectionis* substituerunt contra omnium exemplarium fidem Lovanienses) affectum, varia consuetudo est; et pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt; ita ut Donatistæ nos (sicut papistæ nos) reprehendant, quod sobrie psallimus in ecclesia divina cantica prophetarum; cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi; nisi cum legitur, aut disputatur, aut antistites clara voce precantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video."

Pelagio quidem objicit Hieronymus[c], quod scripserit "scientiam legis etiam fœminas habere debere; cum apostolus doceat esse tacendum mulieribus in ecclesia; et, si quid ignorant, domi viros suos debere consulere. Nec sufficit tibi (inquit ibidem Hieronymus) dedisse agmini tuo scientiam Scripturarum, nisi earum voce et canticis delecteris. Jungis enim et ponis in titulo, quod et fœminæ Deo psallere debeant. Quis enim ignorat, psallendum esse fœminis in cubiculis suis, et absque virorum frequentia et congregatione turbarum? Verum tu donas, quod non licet; ut quod verecunde facere debeant, et absque ullo arbitro, magistri authoritate proclament." Hæc Hieronymus, *οὐ δογματικῶς, ἀλλ' ἀγονιστικῶς*, ut loquitur

[a] Ita videlicet Romana Ecclesia omnes ab ipsius communione alienos Scripturarum possessione prorsus privandos esse vult, testibus Rhemensibus in præfat. sec. 13.

[b] Epist. 55. ad Januarium, cap. 18.

[c] Lib. 1. adversus Pelagianos.

Basilius[c], disserens. Cantum fortasse in fœminis non alium reprehendit, quam qualem intelligit concilium Laodicenum, capite decimo quinto decernens: "Quod[d] non oportet amplius præter eos, qui regulares cantores existunt, qui et de codice canunt, alios in pulpitum ascendere et in ecclesia psallere." Augustinus[e] sane Victorianæ villæ dominam cum ancillis suis et quibusdam sanctimonialibus ad vespertinos hymnos et orationes ex more venisse atque hymnos cantasse innuit; quod in aliis quoque factitatum, (quæcunque fuerit loci, ubi commoratus est Hieronymus, consuetudo) ex iis quæ in superioribus prolata sunt, apparet. Rem[f] confirmat Ambrosius; "Responsoriis[g]," inquit, "psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum consonus undarum fragor resultat:" ecclesiam mari assimilans. Augustinus etiam epistola 211. ad fœminas scripta (ex qua fecerunt regulam tertiam monachorum in fine tomi primi) rem extra dubium ponit: "Psalmis," inquit, "et hymnis cum oratis Deum; hoc versetur in corde, quod profertur in voce, (alibi ore) et nolite cantare nisi quod legistis esse cantandum; quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur." Studium vero Scripturarum in fœminis quis magis quam ipsemet Hieronymus commendavit? "Hieronymus studium sacrarum literarum etiam in fœminis commendat," ait Erasmus. Vide epistolam[h] ejus ad Principiam virginem (explanatio est Psalmi quadragesimi quarti) ubi se ac muliebrem sexum a calumniis hac in re defendit. Sane Pelagius, vel quisquis fuerit epistolæ ad Demetriadem author Pelagianus, quæ Augustino[i] et Hieronymo[k] perperam ascripta est, primam virginis curam primumque studium esse debere monet,

[c] Epist. 64.

[d] Πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἀμβῶνα ἀναβαινόντων καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων.

[e] De civit. Dei, lib. 22. cap. 8.

[f] Vid. Ambros. præfat. in psalm. [Bene tamen canunt.] et Baronium. ann. 60. collat. cum appendice tomi 10.

[g] Ambros. Hexaemer. lib. 3. cap. 5.

[h] Ap. Alphonsum, lib. 4. hæres. cap. 13.

[i] Epist. 17. app. tom. 2. op. Augustin.

[k] Op. tom. 5. pag. 11.

" scire voluntatem Domini sui, et quid ei placeat, quidve displiceat, diligenter inquirere; ut secundum apostolum[l] rationabile Deo reddat obsequium, totumque vitæ suæ cursum ex ejus possit ordinare sententia. Impossibile est enim," inquit, "ei quenquam placere, cui quid placeat ignorat: fierique potest, ut etiam obsequendi voto offendat, qui quomodo obsequi debeat, antea non didicit." Hinc ibidem Demetriadem virginem ita affatur: " Quanquam omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi consecrare; et nullam prorsus horam spirituali profectu vacuam esse conveniat; cum tibi in lege Domini die ac nocte meditandum sit[m]: debet tamen aliquis esse determinatus et constitutus horarum numerus, quo plenius Deo vaces[n]." Et postea: " Propter quod maxime sanctarum tibi Scripturarum studium diligendum est, illuminanda divinis eloquiis anima, et coruscante Dei verbo Diaboli repellendæ sunt tenebræ. Cito enim fugit ille ab ea anima, quam sermo divinus illuminat, quæ cœlestibus semper cogitationibus occupatur, in qua assiduum est Dei verbum, cujus vim nequam spiritus non potest ferre." At vero qui adversus Pelagianæ istius epistolæ venena antidotum transmiserunt Catholici doctores, Augustinus[o] quidem et Alipius ad Julianam Demetriadis matrem, Hieronymus[p] vero, et Prosper ad ipsam Demetriadem, nihil his admonitionibus subesse periculi monuerunt. Immo potius Prosper piæ virginis studium in eo comprobat, quod testimoniis ex paginis et novi et veteris Testamenti se supersedere velle significans, rationem hujusmodi mox attexat: " Præsertim cum mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam; cui ex formula eorum, quæ commemoravimus, omnia se aut recordanti offerent aut legenti." Planius vero (et plenius quam ipse Pelagius) Demetriadem ad Scripturarum studium incitat ipse Hieronymus (ut supra ad annum CCCXC. ex epistola ejus nonagesima septima ad Demetriadem ostensum est) ubi inter alia sic eam jejunare de-

[l] Rom. cap. 12. [m] Psal. 1.
[n] Vid. supra ann. 390. in fine appendicis testimoniorum Hieronymi.
[o] August. epist. 188. [p] Epist. 97. ad Demetriadem.

bere monet; "ut nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis, solito quid minus" faceret. Addit tamen ibidem, quod fortasse ad superioris loci contra Pelagianos illustrationem faciet: "Novi ego in utroque sexu, per nimiam abstinentiam, cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam; præcipueque in his, qui in humectis et frigidis habitavere cellulis: ita ut nescirent quid agerent, quove se verterent, quid loqui, quid tacere deberent. Certe si rudes secularium literarum, de tractatibus hominum disertorum quippiam legerint; verbositatem solam discunt, absque notitia Scripturarum; et juxta vetus elogium, cum loqui nesciant, tacere non possunt. (Nisi de fœminis docentibus Scripturas loquatur Hieronymus, libro primo contra Pelagianos; textus ab eo citatus ex 1 Timothei cap. II. ad rem non facit,) "Docentque Scripturas, quas non intelligunt: et cum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. Bonum est igitur obedire majoribus, parere perfectis; et post regulas Scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere: nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. De talibus fœminis et apostolus loquitur[r]: *Quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*" Hactenus Hieronymus. Augustinus et Alipius, in epistola ad Julianum, virus illud Pelagianæ doctrinæ admistum patefacit; "Deum, præter quod nobis revelat scientiam, nihil ultra nos adjuvare, ut ea quæ facienda discendo novimus, etiam diligendo faciamus." Hoc pestiferum dogma latius explicat Augustinus[s]; Deum scilicet "per legem suam, per Scripturas suas, operari ut velimus, quas vel legimus vel audimus; sed eis consentire vel non consentire ita nostrum esse, ut si velimus fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Hæc est illa (inquit ibi Augustinus) Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobata, et ab ipso etiam Pelagio timente damnari in orientalium episcoporum judico damnata, sententia: qua dicunt gratiam Dei ad sin-

[r] 2 Tim. cap. 3.

[s] Epist. 217. ad Vitalem, op. tom. 2. pag. 799.

gulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina." Hinc commotus Hieronymus, libro primo adversus Pelagianos ita scripsit: "Dicis, sine peccato esse non posse, nisi qui scientiam legis habuerit: per quod magnam partem Christianorum excludis a justitia; et qui prædicator es impeccantiæ, omnes prope peccatores esse pronuntias. Quotus enim quisque Christianorum habet legis scientiam; quam in multis doctoribus Ecclesiæ aut raro aut difficulter invenias." Verum quid de hujusmodi doctoribus, quibus Romana Ecclesia referta est, sentiat ipse Hieronymus, ex Commentariis ejus in primum caput epistolæ ad Titum intelligere licet: "Hic locus," inquit, "adversus eos facit, qui inertiæ se et otio et somno dantes, (pontificiorum ad exemplum) putant peccatum esse, si Scripturas legerint; et eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos inutilesque contemnunt; non animadvertentes apostolum, post catalogum conversationis episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse." Denique ex testimoniis supra ex Hieronymo (ad annum CCCXC.) prolatis apparet, illum non minus a populo Christiano Scripturarum studium requirere quam Pelagium (aut certe Pelagianum authorem annotationum in Paulinas epistolas, quæ D. Hieronymo olim adscriptæ sunt) qui in illa apostoli verba Coloss. cap. III. "Verbum Christi habitet in vobis abundanter;" ita annotat: "Hic ostenditur verbum Christi non sufficienter sed abundanter etiam laicos habere debere, et docere se invicem vel monere." Videant potius pontificii, annon ipsi in Pelagianorum castra concedant, qui exaggerare solent, ut olim Julianus, hæreticus Pelagianus (quod ex libro illius tertio contra Augustinum scripto repetit ipse Augustinus libro quinto contra Julianum, capite quinto) quam sit difficilis, paucisque conveniens eruditis, sanctarum cognitio literarum. Verba ejus paulo explicatius repræsentat Beda, libro primo expositionis in cantica canticorum non procul ab initio: "Julianus Pelagianus," inquit, "in libro De amore docet clausa legis sacramenta solos intueri posse eos, quos oculatos et eruditio reddidisset et pietas: oblitus gratiæ Dei, quæ etiam illiteratis et idiotis Scripturarum arcana revelavit."

Celsus etiam, Epicureus philosophus, Christianorum acerrimus hostis in Romanensibus nostris jam revixit; adversus quem ita pugnat Origenes: " Ideo[t] prophetiarum auctores scriptis eas tradiderunt asservandas posteris, ut lectores admirarentur tanquam divina oracula, et proficerent non tantum ex admonitionibus reprehensionibusque, verum etiam ex prædictionibus; et ex earum eventu agnoscentes divinum spiritum fatidicum, juxta pietatis doctrinam se exercerent obediendo legi ac prophetis. Certe ipsi prophetæ, quicquid erat opus mox ab auditoribus intelligi, et quicquid ad corrigendos mores faciebat, absque ullis involucris proposuerunt eis ita ut Deus voluit. Quicquid autem arcanum erat, et dispiciendum amplius, ut vulgari captu sublimius, id figuris obscurioribus convelaverunt ænigmatis, allegoriis, parœmiis ac parabolis; ut non ab ignavis inveniretur et segnibus, sed a virtutis ac veritatis studiosis perscrutatoribus; et inventum juxta divinam doctrinam in usum proprium verteretur. At præclarus hic Celsus, velut iræ impotens, quod propheticas voces intelligere non valeat, convitiis eas impetit, dicens ostentari jactarique obscura quædam ac fanatica, eoque intellecta sapienti nemini, sed stultis et præstigiatoribus occasionem usurpandi ea in quamlibet sententiam. Mihi[u] videtur versute dixisse, volens quantum in se esset, arcere lectores a diligentius discutiendis et examinandis prophetarum sensibus." Hactenus Origenes contra Celsum, libro septimo, non minus (si non multo etiam magis) pontificios quam illum feriens.

Julianus apostata, cum ex piis et religiosis parentibus esset ortus; " Ab[w] ineunte ætate, ut ritus Ecclesiæ pos-

[t] Διὸ καὶ οἱ κατ' αὐτοὺς ἀπογραψάμενοι τὰς φροφητείας αὐτῶν ἐφύλαξαν, ἵνα καὶ οἱ μεταγενέστεροι ἀναγινώσκοντες θαυμάζωσιν ὡς λόγους Θεοῦ, καὶ ὠφελούμενοι ——— τὴν κατὰ λόγον εὐσέβειαν ἀσκοῦντες διατελῶσι, πειθόμενοι τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις. οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦσαν αὐτόθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούουσι χρήσιμα, καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἐθῶν ἐπανορθώσει, χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως, κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ, εἰρήκασιν. ὅσα δὲ μυστικώτερα ἦν καὶ ἐποπτικώτερα, &c.

[u] Καὶ πανούργως μοι ἔδοξε ταῦτ' εἰρηκέναι, κωλύειν, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, βουλόμενος τοὺς ἐντυγχάνοντας ταῖς προφητείαις βασανίζειν καὶ ἐξετάζειν αὐτῶν τὸν νοῦν.

[w] Ἐκ νέου ἐμυήθη κατὰ τὸν θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰς ἱερὰς γραφὰς ἐπαιδεύθη, &c.

tulat, initiatus, sacras literas didicit, et in iisdem ab episcopis et aliis viris ecclesiasticis educatus fuit;" ut est apud Sozomenum[x]. Ita S. Pigmenium presbyterum illum a pueritia sacris literis erudivisse in martyrologiis Bedæ[y], Usuardi, Adonis, et Galesinii legimus. Postmodum vero Christianæ fidei desertor hoc objecit Christianis, quod nobis hodie pontificii: "Ex omnibus vestris elegistis pueros, et ut in Scripturis exercerentur, operam dedistis, etiamsi videantur magis ad servilitatem nati." Contra quem Cyrillus[z], (idemque pro nobis contra Romanenses) "Pueri etiam," inquit, "in sacris enutriti literis, statim fiunt religiosissimi, etiamsi minus eloquentes. Dicit illos minime differre a servis, quia non sunt tam diserti. Fortassis ob hoc solum censet admirationem contingere, contempta omni alia virtute, propter quam Deo quis familiaris fit, et ad summam pervenit nobilitatem." Hactenus Cyrillus. Idem Julianus in libro, quem inscripsit Cynismum, dum docere instituit, quatenus fabulæ sacræ sint effingendæ, ait, "Veritatem in ejusmodi rebus occultandam esse," hisque utitur verbis: "*Φιλεῖ γὰρ ἡ φύσις κρύπτεσθαι, καὶ τὸ κεκρυμμένον τῆς τῶν θεῶν οὐσίας οὐκ ἀνέχεται γυμνοῖς εἰς ἀκαθάρτους ἀκοὰς ῥίπτεσθαι ῥήμασι.*" Natura avet in abstruso latere; occultaque Deorum essentia non patitur se planis et apertis verbis impuris hominum auribus inculcari." "Videtur imperator," inquit Socrates[a], ubi locus ille Juliani citatus est, "eam de sacris divinisque Scripturis habere opinionem; quod illarum sermones mystici sint, quodque arcanam quandam intelligentiam complectantur: sed ægre propterea fert, quod non omnes eandem de illis opinionem concipiunt; inque eos Christianos insultat, qui simpliciter earum oracula accipiunt. At[b] vero neque vulgi simplicitatem tantopere insectari debuisset, neque illius (scilicet vulgi) gratia in sacras literas tanta insolentia invehi; neque propterea eas

[x] Hist. eccles. lib. 5. cap. 2.

[y] Ad 4. Cal. April.

[z] Lib. 7.

[a] Lib. 3. Histor. eccles. cap. 19. vel 23. ut in Græco est.

[b] —— *Οὐκ ἔδει δὲ τοσούτον καταῤῥαμεῖν τῆς ἁπλότητος τῶν πολλῶν, οὐδὲ τυφωθῆναι δι' ἐκείνους κατὰ τῶν ἱερῶν γραμμάτων*, &c.

odisse, atque adeo sensus sententiasque præclaras in illis comprehensas detestari; quod non omnes eas pro ejus arbitrio intelligant." Hæc contra Julianum Socrates. Sane Melchior Canus[c], et eum secutus Jacobus Ledesima[d], religionis arcana occultanda esse confirmant præclaro hoc ex Porphyrio (sic namque Juliani sententiam uterque Porphyrio errore ascribit, satis profecto idoneo ejusmodi religionis magistro) producto testimonio: "Amat natura celari; nec divina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas."

Pythagoræ quoque et sectatoris ejus Lysidis authoritate sententiam suam confirmant Canus et Ledesima: quasi digitum intendentes ad fontes, unde interdictum illud, ne laici Scripturas attingerent, emanavit. De Pythagoricis ita scribit Jamblichus[e]: "Quæ præcipua imprimis et continentissima (*συνεκτικώτατα*) doctrinarum in ea secta sunt firmamenta, inter se arcana omnes semper servabant cum exacta *ἐχεμυθίᾳ*, seu loquendi erga externos eosque qui ab ipsorum vitæ instituto alieni essent, continentia; quæ *ἀνέκφορα* enunciari fas non est, sine ullo scripto posteris successoribusque in memoria conservantes; quæ simul ceu Deorum mysteria tradebant. Quamobrem nihil eorum, quæ alicujus momenti essent, egrediebatur. Jam quæ longo temporis spatio tum docebantur, tum discendo percipiebantur, intra privatos tantum parietes cognoscebantur. Cum externis vero, et (ut sic dicam) profanis si quando usus ferret congrediendum esse, nequaquam sua sacra enunciabant, sed per symbola et arcanas tesseras obscure latenterque sibi mutuo sensa mentis velut ænigmatibus significabant." Porro extat[f] Lysidis Pythagorici epistola, qua Hipparchum objurgat, quod philosophiæ mysteria cum prophanis et indoctis communicasset: "Λέγοντί[g] δὲ," inquit Lysis, "*πολλοί σε καὶ δαμοσίᾳ φιλοσοφέν: ὅπερ ἀπαξίωσε Πυθαγόρας, ὅς γε τᾷ Δαμοῖ αὐτοῦ*

[c] Lib. 3. cap. 3.
[d] Cap. 22.
[e] De vita Pythagoræ, cap. 32.
[f] In appendice Diog. Laertii.
[g] Vid. Diog. Laertium ab Henrico Stephano editum pag. 594. et 875. et Jamblichum de vita Pythagoræ, cap. 17.

θυγατρὶ τὰ ὑπομνήματα παρακαταθέμενος, ἐπέσκαψε μηδενὶ τῶν ἐκτὸς τᾶς οἰκίας παραδίδομεν. ἃ δὲ δυναμένα πολλῶν χρημάτων ἀποδόσθαι τὼς λόγως, οὐκ ἐβουλήθη, πενίαν δὲ καὶ τὰς τοῦ πατρὸς ἐπισκαψίας ἐνόμιζε χρυσῷ τιμιοτέρας ἔμμεν. φαντὶ δὲ ὅτι καὶ Δαμῶ θνάσκοντι Βισταλίᾳ τᾷ ἑαυτᾶς θυγατρὶ τὰν αὐτὰν ἐπιστολὰν ἀπέστειλεν. ἄμμες δὲ ἄνδρες ἐόντες οὐ γνησίως αὐτῷ ποτιφερόμεθα, ἀλλὰ παραβάται τᾶν ὁμολογιᾶν γιγνόμεθα. Multi vero dicunt, publice te etiam philosophari: id quod facere Pythagoras aversatus est: qui cum Damoni filiæ commentaria sua commendaret, jussit ne cui extra domum ea traderet. Illa vero, cum multis pecuniis vendere hujuscemodi libros posset, noluit: sed inopiam patrisque mandata auro pretiosiora censuit. Aiunt autem eandem morituram Bistuliæ suæ filiæ hoc idem præceptum dedisse. At nos cum sumus viri, non recte nos erga illum gerimus; sed conventorum sumus transgressores." Et alibi in eadem epistola. "Ὅσιον[h] κἀμὲ μνᾶσθαι," inquit Lysis, "τῶν τήνου θείων καὶ σεμνῶν παραγγελμάτων, μηδὲ κοινὰ ποιεῖσθαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς μηδ' ὔναρ τὰς ψυχὰς κεκαθαρμένοις. οὐ γὰρ θέμις ὀρέγειν τοῖς ἁπαντῶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων πορισθέντα, οὐδὲ γὰρ βεβάλοις τὰ ταῖν Ἐλευσινίαιν θειαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι. κατ' ἰσότητα δὲ ἄδικοι καὶ ἀσεβέες ἀμφότεροι οἱ ταῦτα πράξαντες. Pium (vel possibile) est," inquit, "me quoque divinorum et gravissimorum ejus præceptorum esse memorem: neque sapientiæ bona iis facere communia, qui ne per somnium quidem animos habent a sordibus repurgatos. Siquidem fas non est quibusvis offerre, quæ tantis laboribus comparata sunt: non magis quam duarum Eleusiniarum Dearum (Cereris et Proserpinæ) mysteria profanis exponere. Similiter namque injusti ac impii sunt utrique, qui talia designant." Hactenus Lysis. Dicebant Pythagorici alii "μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητά. non esse omnibus pandenda omnia:" ut ex Aristoxeno in decimo παιδευτικῶν νόμων refert Laertius[i]; quod Casaubonus, in notis, ex Proclo de iis maxime exponit, quæ ad Deos pertinent. Huc illud referatur ex Cicerone[k]: "Nec tu me celas, ut

[h] Vid. Jamblichum, loc. cit.
[i] Lib. 8. pag. 577.
[k] De natura Deorum, lib. 1.

Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tanquam Heraclitus." Collationis hujus adoposin ex Thoma Moresino[l] accipe: "Sic papa custos unicus, ut ait, præceptorum et scriniorum Dei, et interpres, qui omnia jura in pectoris scrinio habeat; et in quo est omnis sufficientia, licet ignaro et insufficiente, extra familiam et fani sui limites, id est, rasuræ stigmata, tam legem, quam lectionem et interpretationem legis divinæ egredi non permittit; anathemate laicos feriens, qui conentur Biblia aut legere aut penes se habere, (in his etiam onge durior Pythagoricis) satis esse dicens, si laici crederent ut ficta mater Ecclesia, etsi penitus ignorent, quid Ecclesia sentiat."

Ad Eleusinia sacra quod attinet, quibus Christiana Ecclesia, si Canum et Ledesimam audiat, similia est habitura, ab Aristophane in Nebulis ἄῤῥητα ἱερὰ, id est, "non dicenda sacra" appellantur. Hinc si quando convenissent inter se aliqui secreto de re quapiam arcana tractantes, parœmiam hanc usurpari solitam refert Duris, apud Zenodotum in Proverbiorum collectione, Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια, supple καθ' ἑαυτους, hoc est, "Attici Eleusinia inter sese." Pausanias in Atticis de rebus Eleusiniis agens: "Τὰ δ' ἐντὸς τοῦ τείχους (inquit) τοῦ ἱεροῦ, τότε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν ὅπως ὧν θέας εἴργονται, δῆλα δήπου μηδὲ πυθέσθαι μετεῖναι σφίσιν: hoc est, "At quæ intra sacrum parietem servantur, scribere somnio prohibemur. Iis enim, qui initiati non fuerint, non tantum eorum aspectu interdictum est; verum etiam ne percontari quidem aut audire fas quicquam est." Hinc et illud Catulli;

> Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
> Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Et Juvenalis:

> Talia secreta coluerunt orgia teda
> Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotyton[m].

Unde Horatius in Epodis Caniniam sagam sibi mini-

[l] Lib. de depravatæ religionis origine et incremento.
[m] Proserpinam. Juv. Sat. 2. ver. 91.

tantem inducit, quod sacra Cotyttia ipsi commissa videns devulgaverit:

> Inultus ut tu riseris Cotyttia
> Vulgata, sacrum liberi Cupidinis.

Alcibiades, ut tradit Plutarchus, accusatus fuit, quod sacra Cereris enunciasset. Unde Clemens Alexandrinus in Protreptico "τί[n] δ' εἴ σοι καταλέγοιμι τὰ μυστήρια; οὐκ ἐξορχήσομαι μὲν, ὥσπερ Ἀλκιβιάδην λέγουσιν, ἀπογυμνώσω δὲ εὖ μάλα ἀνὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον, τὴν γοητείαν τὴν ἐγκεκρυμμένην αὐτοῖς, &c. Quid si tibi recenseam mysteria? Non propalabo quidem, ut aiunt olim Alcibiadem; sed per verbum veritatis, præstigias, quæ in eis latent, recte aperiam." Et post, cum ex Orpheo τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια repetisset, et Eleusiniorum sacrorum symbola commemorasset; ita concludit: "Ἀξιά μεν οὖν νυκτὸς τὰ τελέσματα καὶ πυρὸς καὶ τοῦ μεγαλήτορος, μᾶλλον δὲ ματαιόφρονος τῶν Ἐρεχθειδῶν δήμου. Nocte certe ac tenebris ista mysteria digna sunt, et magnanimo illo, immo vero levissimo Erechthidarum populo." Inter ethnicorum idololatrarum superstitiones, Sapient. cap. XIV. ver. 23. κρύφια μυστήρια, id est, "occulta mysteria" (obscura sacrificia reddit vetus interpres) recensentur. De mysteriis Eleusiniis plura vide in Commentariis Ludovici Vivis ad Augustinum De Civitate Dei[o], et Barnaban Brissonum libro primo De formulis, Casaubonum contra Baronium[p], et Diogenem Laertium[q]. Illa tantum epilogi loco attexere libet, quæ Macrobius habet, ut antea Lysis, in Somnio Scipionis, libro primo, capite secundo, quare philosophi fabulis uti soleant edisserens: "Quia," inquit, "sciunt inimicam esse naturæ apertam nudamque expositionem sui: quæ sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit; ita a prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel hæc adeptis nuda rerum talium se natura præbeat: sed summatibus tantum viris sapientia inter-

[n] Clem. Alex. op. pag. 11.
[o] Lib. 7. cap. 20.
[p] Pag. 542, 550. 555. fin.
[q] Lib. 2. pag. 154. in Aristippo.

prete veri arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem figuris defendentibus a vilitate secretum. Numenio denique inter philosophos occultorum curiosiori offensam numinum, quod Eleusinia sacra interpretando vulgaverit, somnia prodiderunt visas sibi ipsas Eleusinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere prostantes, admirantique et causas non convenientis turpitudinis consulenti respondisse iratas, ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas et passim adeuntibus prostitutas." Hactenus Macrobius.

Julius Firmicus, non ille Christianus, qui de errore profanarum religionum scripsit, sed alter astrologus, in totius operis sui peroratione Mavortium Lollianum proconsulem sic alloquitur: " Tu[r] vero præcedenti admonitione conventus, ac religiosa jusjurandi auctoritate commonitus, hos libros puro animo puraque mente custodi; ne imperitis et sacrilegis auribus scientia istius operis intimetur. Celari enim et abscondi pluribus tegumentis natura divinitatis ab initio voluit; ne omnibus facilis esset accessu, neve cunctis patefacta majestatis suæ origine panderetur. Hoc etiam nos in his libris facere conveniet, ut scilicet eorum lectio religiosis tantum pateat, profanis autem et sacrilegis denegetur; ne veterum occultanda commenta nefariis quodammodo editionibus polluamus." Hæc ille prorsus ut Julianus.

Porphyrio, in epistola ad Anebonem Ægyptium sacerdotem, quærente, " cur sacerdotes utantur nominibus quibusdam nihil significantibus;" Jamblichus[s] respondet " Omnia[t] ejusmodi nomina significare aliquid apud Deos, quamvis in quibusdam significatio nobis sit ignota," &c. Cum autem quæreretur, " curnam inter nomina divinorum barbara cæteris anteponeret?" causam assignat Jamblichus, " quia[u] sacrarum gentium, velut Ægyptiorum Assyriorumque, totum Dii sermonem approbaverunt, tan-

[r] Lib. 8. cap. 33.

[s] De myster. Ægypt. sect. 7. cap. 4.

[t] Ἡμῖν μὲν ἄγνωστα, ——— τοῖς μέντοι θεοῖς πάντα σημαντικά ἐστιν οὐ κατὰ ῥητὸν τρόπον.

[u] Διὰ τί γὰρ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν ὥσπερ Αἰγυπτίων τε καὶ Ἀσσυρίων οἱ θεοὶ τὴν ὅλην διάλεκτον ἱεροπρεπῆ κατέδειξαν.

quam sacris maxime congruentem, quia antiquior primusque extitit modus iste loquendi: quia denique qui prima nomina divinitus acceperunt, ita nobis servanda perpetuo tradiderunt; nosque ita ipsam traditionis regulam rite deinceps conservare debemus." Excipiente vero Porphyrio, " illum[x] qui vocem audit nominum divinorum, ad significata respicere; ideoque sufficere notionem ipsam eandem ubique manentem, qualiscunque sit dictio;" respondet Jamblichus hunc in modum: " Non est tale, quale tu putas: si[y] enim nomina ex hominum pacto conventuque posita essent, nihil interesset alia pro aliis commutare. Sin autem naturæ rerum accommodata fuerint; quæ huic maxime congruunt, hæc et diis maxime sunt amica. Ex his perspicue patet sacrarum gentium vocem rationaliter cæteris esse præpositam: neque enim prorsus eandem mentem servant nomina in aliam linguam interpretata: sed sunt gentibus singulis propria quædam, quæ gentibus aliis per vocem significari non possint. Accedit ad hæc, quod si significationum proprietates per aliam linguam interpretari possumus; non tamen eandem conservant permutata potentiam. Habent[z] insuper nomina barbara multam emphasin, id est, insinuationis demonstrationisque efficaciam, habent et concisam brevitatem; minimum vero ambiguitatis, et varietatis, multitudinisque verborum: propter hæc omnia superis maxime congruunt. Depone igitur suspiciones a veritate cadentes; quibus suspicaris Ægyptiam ibi conferre linguam duntaxat, ubi Ægyptius est, vel usus Ægyptia lingua, qui tunc invocatur. Potius autem existimato, quoniam primi omnium Ægyptii præsentiam participationemque Deorum sortiti

[x] Cap. 5.

[y] Εἰ μὲν γὰρ ἦν κατὰ συνθήκην κείμενα τὰ ὀνόματα, οὐδὲν διέφερε τὰ ἕτερα τῶν ἑτέρων μεταλαμβάνειν. εἰ δὲ τῇ φύσει συνήρτηται τῶν ὄντων, τὰ μᾶλλον αὐτῇ προσεικότα καὶ τοῖς θεοῖς ἔσται δήπου προσφιλέστερα. ἐκ δὴ τοῦδε καταφαίνεται, ὡς εὐλόγως καὶ ἡ τῶν ἱερῶν ἐθνῶν προκέκριται φωνὴ πρὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων. οὐδὲ γὰρ πάντως τὴν αὐτὴν διασώζει διάνοιαν μεθερμηνευόμενα τὰ ὀνόματα, &c.

[z] Ἔχει δὲ καὶ τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, &c.

sunt; ideo Deos invocantem potissimum approbare, quando Ægyptio ritu vocantur. Neque vero dicendum est barbara hæc obscuraque divinorum nomina esse quædam præstigiatorum fascinatorumque machinamenta. Quo enim pacto quæ maxime conjuncta sunt aliis, nosque etiam conjungunt, et quasi æquales cum superis vices habent, phantastica figmenta erunt; sine[a] quibus nullum in sacris opus efficitur! &c. Quemadmodum veritatem consecuti sunt primi, qui leges nobis de religionis sanctimonia tradiderunt, sic perseveramus in eis: siquid enim aliud in sacris legibus atque ritibus Deo placet, firmitas ipsa maxime Deo placet, et præcipue congruit. Oportet igitur ritus adorationis antiquos tanquam sacros conservare semper intactos; neque demere quicquam, neque aliunde quid addere. Ferme namque et hac causa nuper extitit, ut omnia et numina et vota debilitata jam sint; propterea quod propter ipsam prævaricationem et innovandi cupiditatem permutata sunt semper, et permutari non desinunt. Græci namque natura rerum novarum studiosi sunt, ac præcipites usquequaque feruntur, instar navis saburra carentis, nullam habentes stabilitatem; novaque inventionis elocutionem transformare solent. Barbari[b] vero sicut moribus graves firmique sunt, sic et in eisdem sermonibus firmiter perseverant: ob quam sane stabilitatem et ipsi Diis sunt amici, et orationes offerunt illis acceptas; quas nulli ulla unquam ratione fas est permutare." Hactenus Jamblichus, ejusmodi proferens argumenta, qualia pro Latina sua liturgia adversus nos usurpat Jacobus Ledesima. Nempe "Romanenses sacerdotes Ægyptios secuti suis mysteriis extraneas adhibent voces, gravi imposita pœna, si secus quis fecerit, aut enodare alio idiomate mysteria attendat Missæ: ut quæ enucleata Diis grata non sint futura; sed quæ vilescere apud

[a] *Ὧν χωρὶς οὐδὲν ἱερατικὸν ἔργον γίνεται.*

[b] *Βάρβαροί δε μόνιμοι τοῖς ἤθεσιν ὄντες, καὶ τοῖς λόγοις βεβαίως τοῖς αὐτοῖς ἐμμένουσι, διόπερ αὐτοί τε εἰσὶ προσφιλεῖς τοῖς θεοῖς, καὶ τοὺς λόγους αὐτοῖς προσφέρουσι κεχαρισμένους. διαμείβειν δ' αὐτοὺς κατ' οὐδένα τρόπον οὐδενὶ ἀνθρώπων θεμιτόν ἐστιν.*

plebem sint incœptura, continuo detectis involucris, et vanitatis tacitæ latebra[c]."

Ethnicus sacerdos sacrificaturus, ad orientem versus, meditato et solenni precationis carmine, verbis priscis ex annalium vetustate erutis, numina et Deos precatus, vota effundebat; quam precationem plerunque tergeminabat[d]. Hinc duos ritus mutuati sunt pontificii. I. Priscum idioma mutare cum intelligibili apud eos non licet. Latinum enim non intellectum cum vulgari quod intelligitur, commutare, a temporibus Caroli Magni hucusque piaculum semper fuit habitum. II. Precum illa reiteratio et *βαττολογία*, (de cujus origine supra ad annum MLXXX. dictum est) retenta est: "eoque evasit res," inquit Thomas Moresinus, "ut dicerent, quicunque dixerit tot Pater noster, cum totidem Ave, et uno vel pluribus Credo, coram hujus vel illius dei imagine, singulis diebus statis vel intercisis; habebit indulgentiarum millia, vel centena millia annorum, &c. Sed cum non quam multæ, sed quanta cum fide preces fiant, *καρδιογνώστης* ille spectare soleat; omnibus in universum in omni vita cum Christo semper orandum erit, ita quidem ut preces ponderentur, non numerentur. Athenodorusque philosophus multum eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent." Ethnicorum praxin Romanæ consentaneam fuisse agnoscit Salmeron. "Omnis[e]," inquit, "religio externa, etiam in idololatria, minime propria et vulgari lingua utebatur in sacris, sed aliena et externa. Sic Babylonii, Romani, Græci. Igitur nostri Germani non debent exigere ab Ecclesia jus sacra celebrandi in lingua vulgari."

Denique ut recentiorum hæreticorum cum ecclesia Romana concordiam demonstrem: fuit illa blasphema insani Swenckfeldii vox; "Scripturam[f] mortuam esse literam, necnon incertam[g] et flexibilem doctrinam, quæ se in varios sensus trahi pateretur." Unde illa hæretica fanaticorum

[c] Thos. Moresinus.

[d] Alexander ab Alexandro, lib. 4. Genial. Dier. cap. 17. et Lilius Giraldus in histor. Deorum, Syntagm. 17.

[e] In 1 Cor. cap. 16.

[f] Lib. de sacra Scriptura.

[g] Idem. lib. de Evangelio.

hominum nata est conclusio; " Scripturas[h], quarum tot jam, non diversas modo, verum et contrarias, interpretationes adferri videmus, facessere jubebimus. Non oportet legis aut Scripturæ esse peritum, sed a Deo doctum," &c. Quid vero pontificii? Ecclesiam Dei clamant esse vivum pectus Christi, Scripturam autem quasi mortuum atramentum; ideoque majorem esse fidem habendam viventi Ecclesiæ, quam per se velut mortuis codicibus; potius consultis, mandatis, institutis, præceptis atque exemplis, quam literarum monumentis, quam scriptionibus, quam chartulis, quam macrocollis, quam membranulis standum esse. Sic Ludovicus Canonicus Lateranensis in oratione ad concilium Tridentinum, Dilingæ anno MDLXIII. impressa. Scripturas[i] esse velut nasum cereum; qui se horsum, illorsum, et in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facile permittit; et tanquam plumbeam quandam Lesbiæ ædificationis regulam, quam non sit difficile accommodare ad quidvis volueris. Atque hinc populum Christianum a Scripturarum cognitione, quas ignotæ linguæ velamine abscondunt, abducunt; fidemque implicitam laicis sufficere persuadent. Addunt[k], Evangelicam legem, testante Ezechiele propheta, non scriptam, sed inditam esse cordibus, Spiritu Sancto interius docente adeoque Ecclesiæ suæ prælatis, imprimis Romano pontifici (qui omnia jura in pectoris sui scrinio conclusa habet) licet indoctis et sacrarum literarum ignaris, propter cathedræ dignitatem Spiritus Sancti afflatum, uti Swenkfeldiani, velut hæreditarium faciunt.

[h] Apud Hosium de expresso Dei verbo, et lib. 1. contra Brentii Prolegom. pag. 438.

[i] Pighius Hierarch. lib. 3. cap. 4. censur. Coloniens.

[k] Petrus Sotus contra Brentium, et Hosius, lib. 3. contra Prolegom. Brentii, pag. 559, 560. Vid. Kemnitii Examen, ex Andradio et Lindano.

CAP. X.

Adversariorum testimonia.

Georgius Cassander in defensione libelli contra Calvinum: "Optandum videtur, ut juxta apostolicum mandatum, et priscum Ecclesiæ morem in lingua vulgari preces peragerentur." Priscum autem esse hunc Ecclesiæ morem pluribus testimoniis confirmat idem in Liturgicis suis, capite de lingua qua lectiones et preces in divinis officiis et celebratione mysteriorum concipiuntur.

Aquinas, Comment. in 1 Cor. cap. XIV. "Quantum ad fructum devotionis, privatur is, qui non in speciali intelligit ea quæ orat." Rhemenses tamen in 1 Cor. cap. XIV. preces ignotas ad ædificationem non minus, ad devotionem sæpe magis valere, quam cognitas, asserunt. Additque Costerus Jesuita, "Ad consolationem plurimum adjuvare."

Cajetanus, Comment. in 1 Cor. cap. XIV. "Melius est orare in mente distincte intelligente ea, quæ orat, quam confuse."

Johannes Cuspinianus in Austria sua in vita sexti Marchionis: Hodie "psallitur in cœnobiis; psallitur et cantatur sine intellectu, sine eruditione, sine (quod pejus est) mente."

Lindanus in Panoplia: "Quis[a] hujus ætatis musicam cum illa prisca componat? Quæ nunc cantantur omnia, non tam ad populi intelligentiam erudiendam; quod pris-

[a] Lib. 4. cap. 78.

cos ubique spectasse indubitatum est." Unde Erasmus[b]: "Possit[b] illud modulatæ musicæ genus citra pietatis jacturam omitti, si placet: curandum est, ut illa musica sit templo Dei necessaria," &c.

Agrippa de vanitate scientiæ: "Hodie[c] cum Missæ ipsius canone obscœnæ cantiunculæ pares vices habent." De his quoque Lindanus conqueritur Panoplia[d].

Qualis sit ignorantia in idiotis pontificiis, vide Rhemenses in Lucæ cap. XI. et XII. At, ut Bernardus de præcepto et disp. cap. 17, et 18. "Quomodo est vera simplicitas, quam simplex ignorat veritas?" Vide Claudium Espensæum in 2 Tim. cap. III. contra Carbonarii fidem, &c. (et de Scripturis vernaculis) Xaverius Jesuita, lib. 1. epist. "In quibusdam Neophytorum vicis Christiani indigenæ quidam sunt destituti sacerdotibus; qui nihil aliud norunt, nisi se esse Christianos."

Cæremonias veteris legis non probare usum peregrinæ linguæ in sacris, vide Erasmum, tomi noni, pag. 891. Ibidem, pag. 784. respondet ad argumentum de margaritis coram porcis non projiciendis. Confer Innocentii sententiam supra, ad annum MCXCIX.

A pontificiis Germanicæ translationes variæ nostro sæculo prodierunt: utriusque Testamenti, interprete Dietembergero; veteris, interprete Johanne Eckio; novi, interprete Hieronymo Emsero, teste Possevino in tractatu de novis translationibus, col. 939. De his vide Sixtum Senensem.

P. Gregorius Tholosanus de Republica pag. 751, 752, &c.

Andreas Masius in Josuam, pag. 24, 25. (De principibus) 158, 159. ubi lupum auribus tenet; sed pro nobis tandem concludit.

Sutor apud Erasmum, tomi noni pag. 783.

Arias Montanus in epistola de variis lectionibus.

[b] De Amab. Concord. Eccl. Vid. eund. in 1 Cor. cap. 14. De origine ejus vid. Bellarm. De bonis operibus, cap. 17.

[c] Cap. 18.

[d] Lib. 4. cap. 78. Vid. Espensæum comment. in 1 Tim. digress. 1. pag. 225.

Caninius nostram sententiam tuetur, pag. 37. 39.

Coccius, tomi secundi pag. 922. ex Scoto, et 923. ex Thoma Argentinensi.

Hardingus, articula 3. sectione 1. 28. 31. pag. 456.

Cornelius Agrippa de vanitate scientiæ capite centesimo, Luthero infensus, capite sexto.

JACOBI USSERII ARMACHANI

DISSERTATIO

DE

PSEUDO-DIONYSII SCRIPTIS.

DISSERTATIO

DE

SCRIPTIS

DIONYSIO AREOPAGITÆ

SUPPOSITIS.

Dionysii nomine circumferuntur[a] libri quidam de hierarchia cœlesti, et ecclesiastica, de divinis nominibus, de mystica theologia, atque Epistolæ undecim: quæ quidem opera Dionysio Areopagitæ Pauli discipulo a nonnullis magni nominis hominibus attribuuntur; et nominatim a Michaele Syngelo in Dionysii Encomio, Suida in Lexico, Adone, Gregorio Turonensi, Dionysio Carthusiano, Ambrosio Camaldulensi, Marsilio Ficino, Pachimere, Joanne Novio in Apologia, &c. Non defuerunt contra viri doctissimi, qui certissimas protulerunt demonstrationes, quibus non esse hunc verum Dionysium appareat. Eas nos ordine hic subjiciemus, præmissis quatuor illis argumentis olim contra Dionysium adhibitis; quæ ex

[a] Vide Illyricum centuria prima, lib. 2. pag. 625. mendac. papisticorum, pag. 38. et De missa contra Fabrum Augustan. Whitakerum de Scriptura, quæst. 6. cap. 12. pag. 432. Humfredum contra rationem quintam, pag. 514. Rainoldum collat. cum Hart. cap. 8. divis. 2. pag. 417. Mornæum De missa, lib. 1. cap. 2. Hospinianum De origine monachatus, pag. 111. Martyrem loc. commun. de Missa n. 9. 892. p. et 80, 81. Lubbertum De principiis Christianorum dogmatum, lib. 7. cap. 10. pag. 665. Scultetum Medullæ patrum, lib. 11. cap. 9. pag. 383.

Theodoro presbytero in bibliotheca sua recenset Photius Constantinopolitanus patriarcha.

I. Εἰ ἦν γνησία, πῶς οὐκ ἐμνήσθησαν τῶν ἐν αὐτῇ ῥητῶν τε, καὶ χρήσεών τινες τῶν μεταγενεστέρων πατέρων; Nullus admodum antiquus author horum librorum meminit: quod satis arguit libros istos non ejus antiquitatis fuisse, ac seculi, cujus Dionysius Areopagita fuit. Multa in illis occurrunt, quæ contra veteres hæreticos faciant, præsertim Arianos; quæ certe patres Nicæni non omisissent, si tales libri extitissent, et illorum author fidem aliquam habuisset. Atque inde Constantinum philosophum, qui Romam sub Adriano juniori papa venit, dicere solitum refert Anastasius, in epistola ad Carolum: quod si sanctos priores, qui hæreticos vix, et quodammodo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere, cum acuto illos gladio proculdubio trucidassent. At contra, excipit Duræus, cum aliis nonnullis papatus propugnatoribus; Dionysium citatum esse ab Origene in Johannem homilia prima, (quæ secunda est inter homilias in varios locos novi Testamenti) et Gregorio Nazianzeno, oratione trigesima octava εἰς τὰ γενέθλια. Origenem vero Erasmus diserte negat ex hoc Dionysio aliquid citare. Sic enim scribit in annotationibus in Actorum cap. XVII. "Deinde mirum, si tam priscus author fuit, et tam multa scripsit, a nemine veterum seu Græcorum, seu Latinorum fuisse citatum; non ab Origene, non a Chrysostomo; ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit." Et homiliam istam Origenis non esse evidenter comprobat Sixtus Senensis, tum ex Manichæorum, tum ex Arianorum nominibus in ea commemoratis, quæ multo post Origenem exorta sunt. Et ex prologo Maximi apparet, a veteribus Dionysio huic objectum esse, quod illius Eusebius et Origenes non meminere. Nazianzenus authorem quendam laudat, quem minime nominat: Budæi solummodo conjectura est, in commentariis linguæ Græcæ, Dionysium intelligi; eaque non ita probabilis. Nicetas[b], in commentario in Gregorium Nazianzenum, Athanasium intelligendum monet: idque multo

[b] Vid. pag. 880. et 1123.

rectius, ut apparet ex oratione Nazianzeni in laudem Athanasii, collata cum iis, quæ idem Athanasius scripsit in tractatu de communi essentia Patris, Filii, et Spiritus Sancti et de humana natura suscepta. Nazianzeni verba ex oratione in nativitatem Christi sunt hujusmodi: Οὕτω[c] *μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς σεραφὶμ συγκαλύπτεται, καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς, εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα, καὶ θεότητα. ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε, καὶ ὑψηλότατα*: quæ ita paraphrastice exponit Nicetas; "Sic[d]," inquit, "se habet sancta Trinitas; (quam ego Sancta Sanctorum voco, ut omnem sanctitatem in se complectentem;) quæ quidem et a seraphim contegitur, ac tribus sanctitatibus, atque una dominatione celebratur. Nam juxta magnum Athanasium, eximia hæc animalia eo quod ter dictionem hanc SANCTUS proferunt, tres personas absolute ostendunt; rursus eo quod semel duntaxat nomen hoc DOMINUS clamant, essentiam unam declarant." Hæc ille. Citatur etiam Dionysius in quæstionibus ad Antiochum, quæ Athanasii nomine circumferuntur: sed eas Athanasii non esse, vel inde manifestum est, quod ab earum authore ipse Athanasius citetur; (quæstione 33.) et ab eo etiam diversa sententia proferatur. Quin et eas Sixtus Senensis quarto Bibliothecæ sanctæ, eo etiam argumento Athanasii non esse concludit, quod in quæstione quarta Mystica theologia Dionysii allegatur, quam Athanasii seculo ignotam opinatur. Videmus igitur Duræi exceptiones nullius esse momenti: quod ipsi papistæ non obscure etiam significant, cum alias rationes, quibus vim hujus argumenti eludant, subinde excogitant. Objiciunt enim Ambrosius Camaldulensis, &c. nec Origenem, nec Ambrosium memorasse; quia nec iste Ambrosius, nec Origenes, nec Eusebius omnium ecclesiasticorum libros viderit, ac noverit: nec Hieronymus, nec Augustinus, nec Ambrosius allegant propter difficultatem, et quia fuerunt absconditi ab hæreticis. Ita hæc simplex responsio est ingenua confessio, et concors nobiscum consensio; causas etiam reddens cur

[c] Naz. op. tom. 1. pag. 617. [d] Ibid. pag. 992.

non legerint. Bellarminus etiam (De monachis, libro secundo, capite quinto) non modo nullum temporibus apostolicis vicinum authorem proferre, aut nominare potuit, qui horum librorum meminit; sed ingenue etiam fatetur Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, Hieronymo, aliisque Gregorio Romano antiquioribus patribus incognitos fuisse, quantum ex eorum operibus colligi potest. Quod etiam confirmat Anastasius Bibliothecarius in epistola ad Carolum regem: "Notandum est," inquit, "quod licet tantæ gloriæ, tantæ scientiæ, sive antiquitatis iste S. Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse, nisi fallor, quæcunque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani pontifices, Gregorius, Martinus, et Agatho dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerint. Unde ego veram esse Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus a prioribus hæreticis occultatos, donec longo post tempore ex opusculis ejus solus codex, qui nunc habetur, est Romæ repertus; cæterisque non inventis, in Græciam asportatus." Hæc Anastasius. Hinc igitur manifestum est verum quod asserit P. Martyr[e], Gregorium Romanum (qui sexcentis post Christum elapsis annis pontificis R. locum et nomen in Ecclesia obtinuit) primum omnium scriptorum Dionysii mentionem fecisse; et evincit, eos antiquissimis temporibus inauditos fuisse, nec esse Areopagitæ γνησίους. Quod autem Bellarminus[f] ut necessarium nobis objicit, ab hæreticis suppressos fuisse, conjectura tantum est, et quidem levis admodum; quandoquidem nullo modo sit verisimile ab ipsius Dionysii ad Gregorii usque tempora latere aut supprimi potuisse, cum episcopi scripta sua apud ecclesias reponere soliti essent: neque credibile est hæreticos potuisse omnia exemplaria ad se undiquaque corradere. Cujus rei nemini unquam quidem Gregorius aut Agatho suspicionem dederunt. Vel si corrasissent, eo quod ejusmodi essent genuina Dionysii scripta, quibus ipsorum hæreses oppugnarentur (neque enim alia excogitari potest causa) videtur certe aut in æternum suppressuros, aut

[e] Pag. 892. in loco de Missa.

[f] Bell. De monachis, pag. 142.

saltem egregie interpolatos fuisse emissuros. Cur enim Dionysio Areopagitæ, inter hæreticos (forte Severianos) solummodo latitanti, non obtingeret, quod Dionysio Corinthio (publice prostanti) usu venit; sicut ipse conqueritur: "Fratribus[g] ut scriberem rogantibus, scripsi epistolas; sed illas ministri Diaboli zizaniis, alia eximentes, alia vero adjicientes, repleverunt; quibus Væ in extremum judicium est repositum." Sane si ita se res haberet, ac papistæ nobis conantur persuadere; non immerito potuisset opinari Erasmus, cum eruditissimis Græcis, qui Vallæ fuerunt temporibus, ex Apollinaris hæretici officina ista prodiisse. Nec defuerunt etiam antiquitus, qui hæresis libros hosce insimulabant; ut apparet ex Maximi[h] prologo in Dionysium circa medium. Quid quod ipse Gregorius[i] (cujus authoritas fundamentum Bellarmini est, quo Dionysium hunc apostolicum esse evincat) non indicat fuisse illum Dionysium Areopagitam? ut Valla, et Erasmus monuerunt. Citatur[k] quidem a Gregorio in homilia de centum ovibus[l], sed ita, ut cardinalis Cajetanus in Actorum cap. XVII. eo argumento moveatur de libris Dionysii dubitare; quod Gregorius[m] non audeat asserere authorem horum librorum fuisse Dionysium Areopagitam: sed dicat; "Fertur Dionysius Areopagita, (antiquus, videlicet, et venerabilis pater,) dicere; quod ex minorum angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur," &c. At vero, si credidisset Gregorius, Hierarchiam illam, quæ nuper ex tenebris emerserat, a Dionysio Pauli discipulo fuisse editam; illam proculdubio per omnia sequeretur. At illud non facit; sed ipsos quidem angelorum ordines aliter describit, quam iste Dionysius. Posteriorum vero scriptorum, qui a papistis objiciuntur, authoritas non est tanta,

[g] Apud Euseb. lib. 4. cap. 23.

[h] Potius Johannis Scythopolitani, vide sententias illas in Anastasii ὁδηγῷ, pag. 241. 339. 341.

[i] Nullus ante Gregorium Magnum librorum Dionysii meminit.

[k] Vide Junium contra Bellarm. De monachis, cap. 5. 18. 21. pag. 223, 224.

[l] Hom. 34. in evangelia.

[m] In homilia 33. de decem drachmis.

ut rationibus contra prolatis par esse possit. Cujusmodi sunt[m] synodus VI. (III. scilicet Constantinopolitana, post DCLXXX. a Christo nato annos habita:) VII. capite secundo, (profana, videlicet, illa synodus Nicæna II. quæ DCCC. fere post Christum annos ad imaginum cultum stabiliendum coacta est) et VIII. (videlicet, Constantinopolitana IV. habita DCCCLXX. post Christum annos;) Martinus I. in concilio Romano. Agatho in epistola ad sextam synodum, capite secundo, ad Constantinum IV. imperatorem et Tiberium Augustum. Sophronius patriarcha Hierosolymæ ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, Acto undecimo sextæ synodi. Nicolaus papa I. in epistola ad Michalem imperatorem; Maximus, qui annotationes scripsit in Dionysium (in quibus etiam Dionysii Alexandrini archiepiscopi in eundem scholia[n] citat;) Damascenus de orthodoxa fide[o]; Nicephorus[p], Euthymius in Panoplia[q], Anastasius Bibliothecarius in epistola ad Carolum Calvum; Hilduinus in epistola ad Ludovicum Pium, &c. Alanus etiam Copus dialogo secundo. Dionysii omnes libros esse germanos probat, testimonio Theophylacti[r], in Lucæ cap. XII. ver. 53. scilicet, ut Lucas probat in Actis apostolicis, qui de libris nihil dixit: tantummodo enim loquitur de Dionysii mentis illustratione per Pauli prædicationem, et de conversione a dialecticiæ tendiculis, et gentilium erroribus.

II. Alterum argumentum a Theodoro adductum etiam in prologo Johannis Sycopolitæ (qui alias Maximo tribui-

[m] In Liberati Breviario, cap. 10. vol. 2. concil. Venet. edit. pag. 789. citatur Dionysius Areopagita Corinthiorum episcopus; sed illud Areopagita redundat.

[n] Videlicet τοῦ μεγάλου Διονυσίου τοῦ Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου, τοῦ ἀπὸ ῥητόρων. Scholia in B. Dionysium sibi cognominem. Sed (ut Scultetus recte observat) dubium quis, et cujus ætatis Dionysius iste scholiastes fuerit. De veteri sane illo nihil tale commemorat Eusebius, aut Hieronymus: (quorum temporibus Dionysii Areopagitæ nihil extitisse certum est.) Et de illo etiam nota est Basilii Magni censura in epist. 41. ad Maximum philosoph. pag. 802. "Nos istius viri omnia non amplectimur. Sunt quæ prorsus damnamus; Habent enim quædam semina impietatis." Eadem ipsa verba habet Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ pag. 340. ex cujus fide hoc citatum a Maximo, ait Fr. Turrianus, et eum secutus Baronius.

[o] Lib. 1. cap. 12. et lib. 2. cap. 18.

[p] Lib. 2. cap. 2.

[q] Parte 1. tit. 2. serm. 57.

[r] Op. tom. 1. pag. 381.

tur) superiori affine est; *ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀναγραφὴν ποιησάμενος τῶν συγγεγραμμένων τοῖς μακαρίοις πατράσιν ἡμῶν βιβλίων, οὐδεμίαν ταύτης μνήμην ἐποιήσατο.* Eusebius scriptores antiquos diligenter persequitur, et quos libros aut epistolas singuli ediderint, nominatim indicat; Dionysius etiam Corinthiorum episcopus (qui sub Commodo circa annum Domini CLXXXV. vixit) de Dionysio Areopagita scribens, quomodo a Paulo primum ad fidem conversus, deinde Atheniensium episcopus factus est, declaravit: neuter tamen horum librorum meminit. Hieronymus etiam et Sophronius in Scriptorum ecclesiasticorum catalogo, et Gennadius de viris illustribus, scriptorum præcipuorum, qui per quingentos a Christo annos in Ecclesia claruerunt, catalogum pertexentes, Dionysii Areopagitæ non meminerunt. At quis putet eos, qui veterum libros ita studiose collegerunt, ut ne epistolam quidem ab eximio aliquo, et pio viro scriptam præterierint, libros a Pauli discipulo, de rebus tam mirificis conscriptos, fuisse omissuros? Hoc argumentum non Vallam et Erasmum solum, sed etiam cardinalem Cajetanum movit, ut de libris hisce dubitarent: quod vix credibile putarent, Eusebium, et Hieronymum, cum de libris Dionysii episcopi Corinthiorum multam mentionem faciant, tacituros fuisse de Dionysio Pauli discipulo, si tantum voluminum numerum reliquisset. At Bellarminus[s] nobis persuadere vult, argumentum hoc sibi maxime favere. Nam cum Hieronymus, et seculi superioris patres non citent hæc opera; "Signum est," inquit, "authorem hunc non extitisse ipsorum tempore (sane!) Ex Gregorio autem constat eum non esse illis posteriorem; ideoque sequitur necessario esse longe antiquiorem." Quinam vero hoc ex Gregorio colligitur? "Gregorius scilicet Dionysium citans, vocat antiquum et venerabilem patrem: non autem vocaret antiquum hominem, suo seculo proximum." Mirum Jesuitæ acumen! At ostendat, 1. Necesse esse, nullos esse antiquos et venerabiles patres appellandos, nisi qui ante annos ducentos vixerint; tot enim anni inter Hieronymum et Gregorium magnum intercesserunt. 2. Gre-

[s] De Monachis, lib. 2. cap. 5.

gorium appellasse authorem librorum, qui ex hæreticorum latibulis (ut vult Bellarminus) nuper lucem aspexerant, antiquum, et venerabilem patrem; aliter quam ex eorum hypothesi, qui illum, veluti Dionysium Areopagitam Pauli discipulum, Ecclesiæ obtruserunt. Sed ea de re satis in superioris argumenti tractatione dictum est.

III. *Πῶς τῶν κατὰ προκοπὴν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διὰ μακροῦ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων, ἡ βίβλος αὕτη λεπτομερῆ τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται; ὁ μὲν γὰρ μέγας Διονύσιος σύγχρονος ἦν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν πράξεων, τοῖς ἀποστόλοις: ἃ δὲ ἡ βίβλος περιέχει, τὰ πλεῖστα τῶν κατὰ προκοπὴν, καὶ ἐς ὕστερον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντων παραδόσεων ἐστὶν ἀναγραφή. ἀπίθανον οὖν, φησὶ, μᾶλλον δὲ κακόπλαστον, τὰ μετὰ πολὺν χρόνον τῆς τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα, Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι.* In libris hisce de multis agitur, quæ in prima illa apostolorum ætate, et aliquandiu post nondum fuerunt in usu; sed aliquot demum seculis post instituta, atque recepta. In libro de ecclesiastica hierarchia multa scribit de templis, de altaribus, de locis sacris, de choro, de catechumenis extra fores templi statuendis. Atqui temporibus apostolorum, quibus vixit Dionysius, et centum annis postea, non habuerunt Christiani tam solennia templorum ædificia; sed initio in domibus conveniebant ea simplicitate, quam Lucas testatur adhibitam Actorum cap. I. ver. 13. et cap. XII. ver. 12. et cap. XX. ver. 8. Coacti enim sunt in locis abditis atque occultis convenire propter tyrannos, atque ibi preces et conciones habere. Dionysius autem ille suppositicius in epistola ad Demophilum, ostendit suo tempore solennia fuisse templa, Judaico similia, quæ haberent *ἅγια ἁγίων*, et adyta ea sanctificatione a reliquo templo distincta, ut in illa ne monachis quidem (nedum laicis) liceret ingredi. Deinde in ecclesiastica hierarchia plurimorum meminit ordinum, ut pontificum, præsulum, sacerdotum, monachorum, &c. quorum nomina temporibus apostolicis ignota erant. Monachos, ut medium quendam ordinem inter clericos et laicos facit, ut multis ceremoniis consecratos meminit; cum ne monachi quidem ulli usque Constantini Magni fere tempora, spatio

trecentorum prope annorum a Christi natali in rerum natura prorsus fuerint. Et quidem papistæ dant (quod etiam Hieronymus in epistola Pauli, et epistola ad Eustochium; et Ruffinus[t] confirmant) Paulum et Antonium fuisse primos monachorum parentes; qui post Dionysium Areopagitam seculis aliquot floruerunt. Tonsuram vero eorum, cujus Dionysius iste meminit, probari non potest, vix sexcentis post Christum annis introductam fuisse; nisi quod generaliter patres monuerint eos, qui ad clerum pertinebant, ne vanos illos homines imitarentur, qui capillis longis gloriabantur. Ut hinc evidentissime appareat, paulo ante Gregorium primum hos libros Dionysii nomine fuisse editos. Præterea susceptorum in baptismo meminit; quorum ne minimum quidem vestigium, multis post Dionysium lustris, ex ullo veterum scriptorum seu Græcorum, seu Latinorum ostendi potest; licet evidentissime ceremonias omnes in baptismo usitatas describant. Denique multas ceremonias novas, Paulino seculo incognitas, et inanissimas speculationes ingerit: "Mihi, autem," inquit Erasmus, "non videtur priscis illis temporibus tantum fuisse Christianarum ceremoniarum, quantum ille describit, numerum."

IV. Πῶς[u] *μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος; Ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις. Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα· ὃς καὶ πρὸ βραχὺ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολὴν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει.* In libro de divinis nominibus, capite quarto, citat ex Ignatii epistola ad Romanos, suavissimam illam sententiam, *Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται.* Jam vero Ignatius hanc epistolam misit ad Romanos, cum in itinere esset Romam profecturus ad

[t] Lib. 1. histor. cap. 8.

[u] "Anno Dom. 532. inter Catholicos et Severianos jussu imperatoris habita est collatio. In ea cum hæretici Dionysii Areopag. scripta inter alia commemorassent; Catholici de falsitate authoris excipiunt: quod illa neque Cyrillus, neque Athanasius agnoverit." Petavius in chronolog. lib. 13. fin. pag. 811. Vide egregium locum apud Baronium, an. 532. 537, 538, 539. et tom. 2. conciliorum, pag. 599. edit. postremæ Binii, et nota ex Apolinaristarum officina ista primum prodiisse, et a Severianis primum allegata, a Catholicis rejecta fuisse.

certam mortem, imperante Trajano, (ut Eusebius in Chronico testis est, et in Historia ecclesiastica[x], et Hieronymus in Catalogo) circa annum illius nonum, ut refert Michael Syngelus in Dionysii encomio. At Dionysius Areopagita occisus est sub Domitiano, priusquam Trajanus ad imperium perveniret; ut testantur Methodius in martyrio Dionysii Areopagitæ, Symeon Metaphrastes in illius vita: Hilduinus in Vita ejusdem, Nicephorus[y], historia Lombardica, et Johannes Trithemius. Quomodo vero potuit ex Ignatio citare, quod Ignatius tum nondum scripserat? Michael Syngelus in Dionysii encomio, et eum secutus Suidas, sub Trajano etiam Dionysium passum volunt: sed cum profiteatur Syngelus se colligere hoc ex citatione sententiæ Ignatianæ; nihil hac in re, contra historiæ consensum valebit illius authoritas. At vero necesse est, ut liber hic de divinis nominibus scriptus fuerit ante Trajani tempora; si, ut fingitur[z], ad Timotheum episcopum Ephesi scriptus fuerit: Timotheum enim sub Domitiano martyrium perpessum refert Cedrenus. Et quo tempore Ignatius scripsit, mortuum esse Timotheum, apparet ex ejusdem Ignatii epistola ad Ephesios; ubi Onesimus ipsorum episcopus memoratur, qui Timotheo successit. Aut igitur Dionysius noster Ignatii sententiam illam non citavit, (quam in libro illius hodie legimus) aut ad Timotheum jam vita functum librum suum conscripsit. Atque hoc etiam antiquitus objectum esse, ut librum hunc Dionysii non esse probaretur, testatur Maximus in scholiis ad hunc locum: Καὶ ἐκ τούτου, inquit, τίνες οἴονται διαβάλλειν εὐναίρως τὸ παρὸν σύνταγμα, ὡς μὴ ὂν τοῦ Θείου Διονυσίου· ἐπειδὴ Ἰγνάτιον λέγουσι μεταγενέστερον αὐτοῦ εἶναι, &c. Nec ipse Maximus aliter hunc nodum potuit solvere, quam ut diceret, vel citationem illam a studioso aliquo in margine annotatam, irrepsisse in textum; vel usitatum hoc fuisse Ignatio apothegma, et sæpius ab eo scriptum; cujus rei argumentum, admodum frigidum, affert, quod Dionysius

[x] Lib. 3. cap. 36.

[y] Lib. 2. Ecclesiast. hist.

[z] Jo. Cyparissiot. decad. 2. cap. 2. Dionysius in epist. ad Titum, &c. Alter vero Dionysius hæc edisserens ait, " eos qui apertam theologiam, et velis nudam audierunt, typos cogitatione sua formare, qui ad intelligentiam auditores adjuvent.

non dicat, Γράφει δὲ τισὶ, scilicet Romanis, sed simpliciter, Γράφει δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος[a]. Sunt et alia certissima argumenta hinc petita, ab Illyrico prolata, quæ evidenter evincunt Dionysium istum suppositititium esse. Citat in sua Hierarchia Johannis evangelium, et apocalypsim; idque ita, tanquan si ea scripta jamdiu fuissent pars sacræ Scripturæ; at contra, si credimus historicis, utrumque Johannes paulo ante mortem suam scripsit; defuncto jam Dionysio ante quatuordecim annos, aut circiter. Inter epistolas istius Dionysii est una ad Polycarpum scripta; quæ eum ita alloquitur tanquam jam doctorem, et episcopum, et ἱεράρχην salutat. Jam testantur scriptores Dionysium esse passum in Galliis, anno Domini XCVI. et Polycarpum CLXVIII. vel CLXVI. suæ vero ætatis 86. Unde liquido apparet, Polycarpum tempore passionis Dionysii adhuc impuberem fuisse.

V. Dionysius ad Timotheum scribens de divinis nominibus, capite tertio, affirmat, se cum Timotheo et multis fratribus Mariæ virginis demortuum corpus conspexisse: unde etiam hoc a Nicephoro[b] citatur, et Damasceno de dormitione Deiparæ. Si hoc audivisset, et credidisset Epiphanius, in hæresi Antidicomarianitarum, non dixisset ignorare se, mortuane esset Maria, an non. Et commentitiam omnino fabulam esse, temporis ratio demonstrat[c]. Jesuitæ Rhemenses id chronologica tabula in Acta apostolorum fatentur, anno Christi LI. Dionysium a Paulo conversum fuisse. Ita decimo septimo anno post Christi ascensum, Dionysius adhuc senator Atheniensis fuerit. Quod etiam ex tempore, quo Paulus ascendit cum Barnaba ad Hierosolymitanam synodum (Actorum cap. XV. ver. 4. Gal. cap. II. ver. 1.) collato cum itineribus, quæ postea suscepisse dicitur per Derben, Lystram, Phrygiam, Galatiam, My-

[a] Vide Papir. Masson. in Annal. Franc. pag. 70, 71. infra a nobis exscript. pag. 167, 168. et Vedelium in notis ad Ignatii epistolas pag. 126. ad. 130. quæque apud eosdem pro hypothesi; et Franciscum Combesis notis in Andream Hierosolym. pag. 359, 360.

[b] Lib. 2. Histor. eccles. cap. 22.

[c] Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 29. citat Alexandrini Dionysii secundam ad sibi cognominem epistolam.

siam, Macedoniam, priusquam Athenas veniens Dionysium convertit (Actorum cap. XVI. ver. 1. et cap. XVII. ver. 34.) apparet; et a Laurentio Codomano[d] amplius confirmatur. Inquiramus jam quo tempore mortua est Maria. Melito de transitu Mariæ, assumptam illam asserit anno altero post Christi ascensionem; quem idcirco Beda reprehendit. Nihilominus Elizabethæ moniali hoc ab ipsa Maria revelatur: ut scribit Antoninus[e], et Vincentius[f], et a calculo illo parum recedit Marianus Scotus in chronico. Nicephorus[g] Mariam scribit, cum Christum peperit, quindecim annorum fuisse: annos autem quinquaginta novem vixisse; quod etiam Euodii testimonium confirmat. Ita anno Christi quadragesimo quarto fuerit mortua. Eusebius in Chronico refert, nonnullos habere, revelatum sibi fuisse, Mariam assumptam anno Christi quadragesimo octavo. Atque ita defendunt papistæ (ut legimus in Novo Sacerdotali[h],) Mariam concepisse decimo quarto anno ætatis suæ, perperisse decimo quinto, mortuam esse sexagesimo tertio. Et Rhemenses (annotationibus in Actorum cap. I. ver. 14.) assumptam virginem fuisse narrant quadragesimo octavo anno Christi, decimo quinto anno post illius ascensionem. Vel Rhemensibus igitur testibus, qui omnium longissime Mariæ vitam extendunt, Maria ante mortua est, quam Dionysius ad fidem Christianam a Paulo conversus fuit; ideoque cum fratribus Mariæ ex hac vita decedenti non adfuit. Quo magis miranda est eorum tum inscitia, tum impudentia, qui non solum assumptionem corporis Mariæ adstruere conantur ex Dionysii Areopagitæ epistola ad Timotheum, quæ nulla habetur; (legerunt scilicet hac de re Dionysium scripsisse ad Timotheum, atque inde novam epistolam commenti sunt; cum in libro de divinis nominibus ad Timotheum scripto illud tantum reperiatur.) Sed etiam de suo illi affingunt, duodecim apostolos a se invicem in varias mundi partes distractos miraculose convenisse, præter

[d] Lib. 4. Chronolog. cap. 31.
[e] Hist. part. 1. tit. 6. cap. 3.
[f] Speculi hist. lib. 7. cap. 80.
[g] Lib. 2. Hist. eccles. cap. 3.
[h] Part. 1. pag. 156.

Thomam, qui triduo demum post virginis mortem affuit, &c. De hac fabella ne verbum quidem in Dionysio reperitur. Nominatim quidem narrat Jacobum fratrem Domini, et Petrum adfuisse; quod nequaquam verisimile est de duobus apostolis tantum notaturum fuisse, si omnes adfuissent. Nec ullo modo defendi potest Jacobum fratrem Domini Mariæ sepulturam celebrasse; siquidem anno tertio, vel, ut alii volunt, decimo post Christi ascensionem, regnante Claudio, interfectus est; quod et Genebrardus ait in chronologia sua, et Eusebius in Chronico.

VI. Solent apostoli, et prophetæ plurimum inculcare suam immediatam vocationem, ut suam doctrinam apud auditores confirment. Optimo ergo jure, necessitateque id ipsa postulante, Deoque præcipiente, apostolorum discipuli ipsorum authoritatem in docendo citare debebant, ac testari, se hæc aut illa coram a selecto Christi organo Paulo audisse, eoque auditores debere illis plena fide assentiri. At Dionysius Pauli præceptoris, et aliorum apostolorum aut nunquam, aut raro meminit; alios interim doctores multos, et Hierotheum præceptorem subinde inducit. Alicubi ait; "Eucharistia est juxta inclytum præceptorem nostrum τελετῶν τελετὴ· non Paulum, sed Hierotheum præceptorem intelligens, ut annotat scholiastes. Mox de chrismate: "Atque ideo præceptores nostri istud quasi æquale sacro synaxeos mysterio conjunxere." Post de monachis: "Sancti nostri patres," inter quos sane Paulus non fuit, "divinis eos appellarunt nominibus, partim Therapeutas, partim monachos." Nec, si Dionysius iste discendi cupidus fuit, necesse habuit sese in disciplinam Hierotheo, homini obscuro, in Ecclesia plane ignoto, decedere; cum per integrum biennium Paulum quasi domi habere potuerit. Ille enim mox post Areopagitæ conversionem, Corinthi diu, et Ephesi diutius docuit; quæ loca facile Athenis adiri possunt. Quis vero, quando, ubi fuit gentium iste Hierotheus?

VII. Ecclesiasticæ hierarchiæ capite septimo, de infantum baptismo verba faciens; "hac de re," inquit, "ea dicimus, quæ divini nostri præceptores πρὸς τῆς ἀρ-

χαίας μνησθέντες παραδόσεως (veteri edocti traditione) ad nos pertulerunt." Quibus verbis homo incautus, se apostolorum discipulum minime fuisse prodidit: quippe quum, non veteri traditione, sed ab ipso Christo apostoli doctrinam baptismi acceperint. Neque enim si eodem cum apostolis tempore vixit Dionysius, eorum traditionem antiquam appellare potuit: et si potuisset, illud quidem dicere non potuit, apostolos edoctos fuisse veteri traditione apostolorum. Et cum, et hic et in Hierarchiæ initio, suos præceptores, plurali numero, istam doctrinam ab apostolis accepisse dicit; satis ostendit, per plures sibi invicem succedentes præceptores, eam doctrinam ab apostolis ad se pervenisse. Si fuit Pauli discipulus, qui ante eum scriberent libros, habere multos majores non potuit; imo si Bessarioni[1] credimus, Dionysius hic neminem ante se habuit divinarum rerum scriptorem, præter apostolum Paulum, et Hierotheum Athenarum pontificem. Unde ergo Dionysio nostro tot scriptores, duces, doctores, pontifices, præceptores, patres? Eritne cuiquam credibile, ista tam multa sine verbo, traditione quadam evulgasse? aut istos eum tanquam ignobiles, et anonymos producere noluisse?

VIII. In Hierarchia ecclesiastica, Timotheum vocat filium, quod idem est, usu Scripturæ et Ecclesiæ, ac discipulus, eumque docet multa mysteria; cum tamen fuerit Timotheus in evangelio frater major, a Paulo ad fidem ante Areopagitam conversus, Pauloque adhuc vivo celebris doctor, ac episcopus; denique Dionysio authoritate, gravitate, eruditione, omnique dignitate par, si non superior. Timotheus diutissime, et familiarissime cum Paulo apostolo vixit, ab eoque plene eruditus est: familiaris etiam fuisse scribitur Johanni apostolo, qui diutius Dionysio vixit, et plerunque Ephesi, et Asia Minori fuit, ubi et Timotheus egit. Quomodo ergo iste Dionysius ausus fuisset docere Timotheum, tantos præceptores habentem; ut ille potius hunc Dionysium docere potuerit, quam ab eo doceri: et non potius millies repetendo petiisset, ut

[1] Lib. 2. cap. 3. defensionis Platonis.

sibi Timotheus vel de hac re, vel de alia suam, aut Pauli, Johannisve sententiam præscriberet?

IX. Dictio, et forma orationis non est simplex, et sincera; sed arguta nimis, et inflata, obscura, affectata, et parum apostolica. Et ille tumidus, horridus, obscurus, improprius, et intricatus stylus nequaquam tempore apostolorum Athenis fuit usitatus; sed trecentis demum postea annis in Græcia, et etiam Romæ cœpit esse in usu. Epistola ad lectorem in Dionysii Carthusiani Commentariis super Dionysium Areopagitam dicit, hunc Dionysium, quisquis fuit, esse asperiorem, multis mendis antea scatuisse, vix intelligibilem, nonnullis etiam theologis facessere negotium. Ignorasse illum linguam Hebraicam liquet ex his verbis, in Ecclesiastica hierarchia, de interpretatione Seraphim; "Si, ut aiunt, qui Hebraicam linguam callent," &c.

X. Nec illa Pauli discipulo conveniunt, dubitare de sua doctrina, et ignorare utrum a vero recesserit. "Si hæc," inquit in epilogo de divinis nominibus, "vel minus recte, aut minus sufficienter se habent, et ab ipsa veritate vel omnino vel ex parte deficimus: erit profecto humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem." In primo etiam capite Ecclesiasticæ hierarchiæ præcipit Timotheo, ut non omnibus revelet sua scripta. Non sunt igitur apostolica.

XI. Nullum ex apostolis, aut eorum discipulis videmus tam de industria tulisse[k] in tradendis ecclesiæ doctrinæ subtilibus, imo intricatis, ac præter authorem ipsum, vix alii cuiquam explicabilibus speculationibus, et argutiis. At nihil minus certe convenit isti ætati, cui Dionysius tribuitur; ut in qua homines rudes rerum, de Christo, de regno Dei, de justitia, et salute æterna, singulari simplicitate, et perspicuitate, non subtilitatum involucris, doceri necesse fuit. Quod quidem judicium, ut minime dubium, aut fallax, etiam de reliquis libris apocryphis Ecclesia perpetuo pronunciavit: quod videlicet stylus eorum et

[k] Forte *lusisse*.

dicendi forma ab elocutione apostolica procul absit. Scribendi vero genus, quo Dionysius iste utitur, præsertim de divinis nominibus, et Hierarchia cœlesti, inanis philosophiæ potius doctrinam continet, quam Christianismi puram doctrinam, ac ædificatione prorsus caret. In mystica etiam theologia Platonizat plus quam Christianizat. "Effundit ænigmata, (ait de illo Marsilius Ficinus) concinit dithyrambos."

XII. In libris de cœlesti hierarchia divinam sane rem tractat, ipsum ordinem cœlestis reipublicæ; argumentum et difficultatis, et audaciæ plenissimum. Paulus apostolus (qui in tertium cœlum raptus est) 2 Cor. cap. XII. ver. 4. ista, et hujusmodi reliqua omnino ἄῤῥητα esse dicit; præterea, ait nefas esse homini ea loqui. Unde ergo aut ausus est Dionysius ista enunciare, si sciret; aut scire potuit? Unde tandem tam mirificam scientiam adeptus est? Num ex revelatione? Unde constat? Cur non apostolis ista potius revelata sunt; si modo nostra interesset ea scire? Si non interfuit; cur hæc mysteria Dionysius evulgavit? Paulo scilicet sapientior fuit: ita ut de hujusmodi hominibus Nazianzenus pronunciat; "Quin[1] et Paulo," inquit, "præstabiliorem esse te demus; ut angelorum vel archangelorum ordinem cognitionemque teneas." Irenæus, libri secundi capite quinquagesimo quarto, præclaram sententiam habet contra istos hierarchiarum scriptores; "Nihil sanum dicunt," inquit, "delirant; non oportet iis credere, et Mosen ac prophetas relinquere. Dicant nobis, quæ sit invisibilium natura; enarrent numerum angelorum, et ordinem archangelorum; demonstrent thronorum sacramenta; et doceant diversitates dominationum, principatuum, potestatum, atque virtutum: sed non habent dicere." Augustinus etiam in Enchiridio ad Laurentium, capite quinquagesimo octavo, affirmat se nescire ordines angelorum, et eorum differentias, qui throni, quæ dominationes, qui principatus, quæ virtutes: "Dicant," inquit, "qui possunt; si modo probare possunt, quod dicunt." At hæc omnia, et alia etiam multa Dionysius superstitiose, et curiose de angelis ex-

[1] Orat. 34. quæ secunda est de Theolog.

plicat: sed nihil probat, nec rationem, nec authoritatem affert. In antiqua vero Ecclesia vidimus tale argumentum fuisse arcanum, et ignotum, et inauditum, necdum a quoquam pertractatum. Præterea Gregorius Magnus aliter angelorum ordines describit, quam iste Dionysius; similiter Bernardus etiam, ut Eckius[m] fatetur. At si tanta fides hujus Dionysii, tantaque authoritas hujus libri, illi nunquam aliter de rebus hisce scripsissent, cum in eo inventarium quoddam haberent totius cœli supellectilis, et angelicorum subselliorum.

XIII. In septima epistola, quæ est ad Polycarpum, scribit se fuisse in Ægypto; cum esset celebris illa solis eclipsis per totum orbem terrarum, eo tempore, quo Dominus noster Jesus Christus mortem in cruce obiit. At Origenes[n] ait, tenebras illas, quarum mentio fit Matthæi cap. XXVII. ver. 45. in Judaica tantum[o] terra fuisse. Origenes igitur aut libros Dionysii non vidit; aut non tantum illis detulit, quantum papistæ tribui volunt. Quin et Laurentius Valla in Actorum cap. XVII. deridet eorum ineptiam, qui, quasi non fuerit in vicinis civitatibus illa eclipsis, quam volunt fuisse Athenis, faciunt Dionysium de ea scribentem literas ad alium. Maximus in Scholiis[p] ait Julium Africanum, et Eusebium in Chronographiis suis meminisse hujus eclipseos: quorum alter (Eusebius) cum testem advocet ejus rei Phlegontem: alter (Africanus) apud Georgium Syncellum in Græcis Eusebianis Scaligeri[q], neuter tamen Dionysium commemorat; qui testis tamen omnium maxime opportunus fuisset, utpote *αὐτόπτης*, si tum uspiam extitisset.

XIV. In libro de divinis nominibus citat Clementem philosophum, dicentem, quod "exemplariaria rerum principalia, aut ideæ, seu causæ formales sint relativæ."

[m] In homil. 4. de Fest. Michaelis.

[n] Tractat. 35. in Matthæum.

[o] Julius Africanus, ejus *σύγχρονος*, et familiaris, toto mundo factas putavit istas tenebras. In Georgii Cedreni chronico, pag. 155. et Græcis collectaneis Eusebianis Scaligeri, pag. 63.

[p] Pag. 319. [q] Pag. 63.

Pachymeres ait, interpretes quosdam Clementem Romanum hic intellexisse. At nullus fuit alius Clemens philosophus, quam Alexandrinus, qui ducentis post Christum annis vixit. Videmus omnino quod locus ille citatus in fine octavi libri Stromatum est; ubi Clemens dicit, causam, præsertim formalem, esse relativam[r].

XV. Hincmarus Rhemensis episcopus, et Johannes Scotus in epistolis ad Carolum, affirmant Dionysium, qui in Galliam missus est ad prædicandum evangelium, fuisse Dionysium Areopagitam. Nec forte ratio ex computo temporis contradicit, "sicut aliqui objicere voluerunt;" inquit author Lombardicæ historiæ. At Galli, inter quos apostolatu suo functus dicitur, ita negligenter apostoli sui scripta conservarunt, ut ad annum usque Domini DCCCXXV. iisdem caruerint. Anno[s] enim decimo Ludovici Pii, Galliarum regis, Caroli magni filius, inter cætera munera, delati sunt ei a legatis Michaelis imperatoris Constantinopolitani libri Dionysii de cœlesti hierarchia; qui ut summo gaudio sunt excepti, ita homines cæci, surdi, infirmi, plus minus novendecim, ea nocte in illa ecclesia sunt curati; ut Jacobus de Voragine in legenda aurea, et Antoninus[t] authores sunt. Ea[u] vero tum temporis fuit Gallorum inscitia, ut ne verba quidem Dionysii possent intelligere, priusquam Johannes Scotus, qui ex Hibernia in Gallias concesserat, in Latinam linguam traduxisset. Eundem Scotum, quemadmodum et Anastasium Bibliothecarium, Johannem Saracenum, et alios, argumentis, quæ nonnulli contra Dionysii libros produxerant, satisfecisse, refert Sixtus Senensis libro secundi bibliothecæ sanctæ: qui licet eo loco libros Dionysii tanquam veros ac proprios illius fœtus agnoscat; tamen libro quarto (ut antea diximus) quæstiones

[r] Vide Matthæi Galeni Areopagitica, fol. 12. 52, 53, 54. et 91. b.

[s] Vide Sigebert. Chronogr. ann. 824. et Baron. ann. 824. sec. 30. (cum nostris collectaneis de Johanne Scoto in fine lib. de B. Patriar.) et tom. 5. Surii, pag. 637.

[t] Part. 2. tit. 16. cap. 2.

[u] Inter alios libros a Paulo papa circa ann. 767. ad regem Pipinum missos fuisse Dionysii Areop. libros Græce scriptos constat ex 25. Pauli epistola (a Gretsero edita) cujus initium; "A Deo institutæ præcellentiæ."

veteri et novo Testamento Athanasii non esse eo argumento confirmat; quod in illis theologia mystica Dionysii allegetur, Athanasii seculo, ut arbitratur, ignota. Ex his omnibus duo ista colligimus: 1. Novis, et vix credendis miraculis, atque mendaciis huic Dionysio autoritatem pontificios conciliare. 2. Nonnullos et ante nostra tempora fuisse, qui de libris Dionysii dubitarent: id quod ex quatuor illis primis objectionibus, quas ex Theodori presbyteri disputationibus adduximus, evidenter apparet: de quibus quid Photius[x] senserit, non obscure illa sua censura significavit: *Ταύτας τέσσαρας ἀπορίας διαλύσαι ἐπαγωνισάμενος, βεβαιοῖ (τόγε ἐπ' αὐτῷ) γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλοῦ Διονυσίου τὴν βίβλον.* Maximus etiam, vel potius Johannes Sycopolita, in prologo testatur fuisse, qui negarent libros hos fuisse Dionysii Areopagitæ; *ἀλλά τινος τῶν μεταγενεστέρων.* Theodorus Gaza, in præfatione in Problemata Alexandri Aphrodisæi ad Nicolaum V. statim ab initio, libros de hierarchia non esse Dionysii Atheniensis viri doctissimi significat. Idem facit Laurentius Valla in annotationibus in Act. cap. XVII. addito etiam, quosdam suæ ætatis eruditissimos Græcos collegisse, authorem horum librorum fuisse Apollinarem. Item Johannes Caletus, concedente ipsomet Hardingo in Replica adversus Juellum[y], Erasmus Roterodamus et in annotationibus suis in Acta, et contra censuras Parisiensium[z]; et Thomas de Vio Cajetanus cardinalis S. Christi in commentariis Actuum apostolicorum, et tertii libri Regum. Inprimis vero memorabile est, quod refert Erasmus sua memoria de Guilhelmo Grocino Anglo, "viro (ut ait) incomparabili, ecclesiasticarum constitutionum observantissimo pene usque ad superstitionem,

[x] Ita Possevinus (in Photio, pag. 91.) "Opera B. Dionysii ut Pseudepigrapha videntur ab eo notari."

[y] Fol. 44.

[z] "Plurimum utique Laurentii, sed multo magis Erasmi judicio tribuendum puto:" inquit hac in causa Roffensis contra Velenum, pag. 1357. Opinatur tamen Erasmus in principio method. perveniendi ad veram theologiam (tom. 5. operum ipsius, pag. 3.) Dionysium hunc Augustino antiquiorem, "Et ante Augustinum," inquit, "opinor, Dionysius quidam De div. nominibus."

scholasticæ theologiæ ad unguem docto, natura etiam acerrimi judicii, demum in omni disciplinarum genere exacte versato." Circa initium regni Henrici VIII. auspicaturus Londini in æde Paulina, magna celebritate, enarrationem cœlestis hierarchiæ, meditata præfatione multum asseveravit, hoc opus esse Dionysii Areopagitæ; vehementer destomachans in eorum impudentiam, qui dissentirent. Verum ubi jam aliquot hebdomadas esset professus; atque, ut fit, propius, ac familiarius introspexisset autoris ingenium; priusquam operis dimidium confecisset, non dubitavit apud eosdem auditores παλινῳδεῖν priorem sententiam; ingenue profitens, sibi, verso calculo, nequaquam videri id opus esse Dionysii Areopagitæ. Hæc[z] annotasse necessarium fuit, ut occurreretur tum Bellarmino, qui nullo modo verisimile putat, tot[a] patres non potuisse videre id, quod nunc Valla et Erasmus vidisse se dicunt (neque enim recens fuit hæc controversia, et a paucis agitata;) tum etiam Parisiensibus theologis, qui, (censura sua in epistola proposita Erasmi paraphrasi in primam epistolam ad Corinthios) aiunt neminem hac de re dubitare præter ineruditos, temerarios, et novitatum studiosos: cum viri doctissimi, et papisticarum superstitionum tenacissimi libros hosce ψευδεπιγράφους arguant. Nostros igitur insimulare non possunt pontificii; quod Dionysii libros ideo tantum commentitios esse clament, quia contra ipsos testimonium dicant. Ceremonias enim plurimas habet Dionysius, quibus Romanenses non utuntur (ut exempli gratia, capite tertio Hierarchiæ ecclesiasticæ, quod ait, solitos fuisse cadaver salutare, et oleo perfundere:) et in rebus, quæ substantiæ sunt, nostras partes tuetur. Hierarchiæ enim ecclesiasticæ, capite tertio in actione cœnæ sacræ, quam ἱερουργίαν συμβόλικην nominat, communionem publicam proponit, non privatam; eamque non dimidiatam, sed integram; et theatricis gesticulati-

[z] Ex Matthæi Galeni Areopagiticis intelligere licet, alios pontificios de libris hisce dubitasse.

[a] Ad hoc vide responsionem Fr. Junii contra Bellarm. de monachis, pag. 222, 223.

onibus liberam: Scripturæ item lectionem factam esse vernacule, ac preces similiter publicas eodem in loco commemorat; ut alia omittamus. Nos[b] quidem Bellarmino[c] non inviti concedimus, libros hosce nec recentes esse, nec contemnendos: sed nunquam protulerunt pontificii argumentum, quo a Dionysio Pauli discipulo scriptos fuisse persuaderent. Multa quidem patrum nomina allegant[d], quæ Dionysium antiquum quidem, non autem apostolicum evincunt. At urgent[e], apparere illud ex ipsis libris; in quibus multorum meminit, et nonnullorum dicta proponit, qui temporibus illis floruerunt; quorum et Actuum liber, et epistolæ Pauli meminerunt. Quibus, cum Erasmo contra Parisiensium censuram, respondemus: eum, qui hos libros scripsit, id studio curasse[f], ut ab illo magno Dionysio scripti viderentur. Nec id videri potest absurdum; quum illo seculo ejusmodi libris falso celebrium virorum titulo commendatis undique scaterent omnia. "Tum enim," inquit Erasmus, "piis etiam viris persuasum erat, Deo gratum esse, si tali fuco populus ad aviditatem legendi provocaretur[g]." Magdeburgenses[h] de Dionysii scripto ita statuunt: "Probabilibus ducti rationibus, maxime quæ ex statu, forma, gubernatione, ritibus Ecclesiæ, quos in

[b] Dionysii scripta citantur ab authore quæst. ad Antiochum tomo 2. Athanas. Græco-Lat. pag. 277.) Jobio, vel Jovio Monacho (in Bibliotheca Photii, pag. 312. edit. Græc.) et Ephræmio Antiocheno (ibid. pag. 400.) Justiniani temporibus, (ibid. pag. 406.)

[c] De Eucharist. lib. 2. cap. 4. De gratia et libero arbitr. lib. 5. cap. 25. De verbo Dei, lib. 4. cap. 7. (ubi a Pauli tamen discipulo hæc profecta, pro certo affirmare non audet.)

[d] Vide Garetii præfat. in Classes suas de Euchar.

[e] Ambrosius Camaldulensis præfat. in translat. librorum Dionysii.

[f] Vide cap. 2. et 3. De divinis nominibus.

[g] Vid. Delrii disquisit. Magic. lib. 6. pag. 519, 520. et Stephanum de Sampayo (T. 11. 6. 11.) fol. 26. &c. et Calvinum in Act. cap. 17. ver. ult. Hamelman de traditionibus, pag. 731, 732. 743. Chemnitium, part. 1. loc. theolog. fol. 2. Guilh. Eisengreyn centenario 1. Hist. ecclesiasticæ. Matthæum Galenum in Areopagiticis; ubi Dionysii scripta a nostrorum objectionibus vindicare conatur (teste Baronio in martyrolog. Roman. Oct. 9. pag. 456. et 458. vide eund. in annalibus ad ann. 109.) Et Godefridum Tilmannum in apologia, quam præfixit Pachymeræ paraphrasi in Dionysium a se Latine conversæ (de qua T. 1. 7. 6. pag. 640. et Michæl. Syngelum in censur. de hoc lib. pag. 104.

[h] Centur. 4. cap. 10. col. 1129.

hierarchiis liber iste, Dionysii Areopagitæ inscriptus nomine, depingit; et judicamus, et pronunciare non dubitamus, ad hoc quartum seculum id genus scripti pertinere, a quocunque tandem authore consarcinatum." Hæc illi. Ego potius ad quintum seculum retulerim. Vide[i] paginam 161. in Joanne Scythopolita. Sed si Apollinarius hæreticus author sit, ut Græci sentiunt apud Laurentium Vallam in Act. cap. XVII. tum recte sentiunt Magdeburgenses. Fertur Dionysii ad apostolum Paulum epistola; sed non est ejus; ut ipsamet epistola clamat. In Jacobi de Voragine Legenda aurea multa ex hac epistola citantur in Vita Petri[k] et Pauli[l]. Godefridus Tilemannus, Carthusianus, paraphrasi Georgii Pachymerii in Dionysii epistolas Latine a se versæ comitem dedit.

[1] In hoc loco (uti et supra sec. 4.) Cl. Usserius lectorem ad Bibliothecam suam theologicam remittere videtur.

JACOBI USSERII ARMACHANI

DISSERTATIO

DE

EPISTOLA AD LAODICENSES.

DISSERTATIO

DE

EPISTOLA

AD LAODICENSES.

Tertullianus contra Marcionem: "Prætereo[a] hic et de alia epistola; quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, hæretici vero ad Laodicenos." Et capite decimo septimo, cui vetus inscriptio hæc attexebatur (teste Pamelio) "De epistola ad Laodicenos sive ad Ephesios; Ecclesiæ quidem," inquit Tertullianus, "veritate epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos. Sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit; quasi et in isto diligentissimus interpolator. Nihil autem de titulis interest; cum ad omnes apostolus scripserit, dum ad quosdam." Hactenus Tertullianus.

Epiphanius[b] a Marcione locum hunc productum notat ex epistola ad Laodicenos. Εἷς Κύριος. *μία πίστις, ἓν βάπτισμα, εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν,* quod habetur in quarto capite ad Ephesios, *προσέθετό* δε (inquit de Marcione) *ἐν τῷ ἰδίῳ Ἀποστολικῷ καλουμένῳ, καὶ τῆς καλουμένης πρὸς Λαοδικέας εἷς Κύριος, μία πίστις,* &c. *συναδόντως μὲν τῇ πρὸς Ἐφεσίους· ὦ Μαρκίων καὶ ταύτας τὰς κατὰ σοῦ μαρτυρίας ἀπὸ*

[a] Lib. 5. cap. 11.

[b] Hæres. 42. pag. 142. lin. 2.

τῆς λεγομένης πρὸς Λαοδικέας συνήγαγες κατὰ σοῦ μαρτυρίας. Et paulo post: Οὐ[b] γὰρ ἔδοξε τῷ ἐλεεινοτάτῳ Μαρκίωνι ἀπὸ τῆς πρὸς Ἐφεσίους ταύτην τὴν μαρτυρίαν λέγειν, ἀλλὰ τῆς πρὸς Λαοδικέας, τῆς μὲν οὔσης ἐν τῷ Ἀποστόλῳ. Ubi nota, inter epistolas Paulinas a Marcione receptas septimo loco collocatam esse epistolam ad Ephesios, quæ apud nos ordine est quinta, secundum Epiphanium[c]. Unde illa ab eo citata testimonia eadem habentur in nostra ad Ephesios epistola: quæ eadem Marcioni epistola fuit ad Laodicenos, secundum Tertullianum (ubi supra.) Præter hanc tamen ad Ephesios epistolam, putat Epiphanius recepta etiam esse a Marcione epistolæ ad Laodicenses fragmenta: Ἔχει δὲ καὶ τῆς πρὸς Λαοδικέας μέρη, inquit[d]. E quibus tamen unicum illud a se productum reperit.

Jacobus Pamelius[e], "Fortassis," inquit, "occasionem dedit Marcioni hujus tituli huic epistolæ imponendi; quod legisset, Col. cap. IV. "*Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc: facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur. Legatur vobis et ea quæ est Laodicensium.*" Quæ autem Marcionem moverint, ista fuisse videntur.

I. Supracitata apostoli sententia ex Col. cap. IV. collata cum his duabus rationibus: 1. Quod epistola ad Colossenses ejusdem sit argumenti cum ea, quæ scripta est ad Ephesios (quod etiam notat Chrysostomus[f]) nec quicquam differat ab ea, nisi quod in hac sit aperta significatio Judaicarum ceremoniarum, ad Ephesios vero tenuis earum mentio: quod ad finem explicationis epistolæ ad Colossenses notat Adamus Sasbout. Cum igitur eædem res eodem fere modo et ordine in utraque epistola tractarentur, ut altera videri posset explicatio alterius: est enim epistola ad Colossenses quasi epitome epistolæ ad Ephesios, ut epistola ad Ephesios epistolæ ad Romanos; jure mandare videatur apostolus, ut utraque epistola ab utris-

[b] Pag. 164. lin. 16.
[c] Pag. 138. 141. 162.
[d] Pag. 138. lin. 21.
[e] Annot. 259. in lib. 5. Tertulliani adv. Marcionem.
[f] Initio homil. 10. in Coloss. cap. 4.

que legeretur. 2. Quod utraque epistola eodem tempore scripta videatur; et per eundem nuncium Tychicum, quemadmodum ad sextum caput epistolæ ad Ephesios notat Hieronymus ex collatione Coloss. cap. IV. ver. 7, 8. cum Ephes. cap. VI. ver. 21, 22. Ex qua etiam colligit Adamus Sasbout epistolam ad Colossenses plane eodem tempore, loco et impetu scriptam esse, quo scripta est illa ad Ephesios: ut in qua succurrerent Paulo eadem verba ex propinqua cogitatione de præcedente epistola. Contra tamen Baronius[g]. Confer et Theodoreti argumentum in epistolam ad Ephesios. Erasmus, qui multa habet de supposititia ad Laodicenses epistola, initio annotationum in caput primum ad Ephesios, " Certe," inquit, " stylus tantum dissonat a cæteris Pauli epistolis, ut alterius videri possit : nisi pectus atque indoles Paulinæ mentis hanc prorsus illi vindicaret." At tamen stylus plane convenit cum epistola ad Colossenses.

II. In utriusque epistolæ argumento, quod extat apud Oecumenium (vide et Theophylactum) ita scriptum est tam de epistola ad Ephesios, quam de illa quæ est ad Colossenses: *Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ Ῥώμης, οὔπω μὲν ἑωρακὼς αὐτοὺς, ἀκούσας δὲ περὶ αὐτῶν.* Et de epistola ad Colossenses confirmat id Johannes Chrysostomus, homilia prima in eam epistolam, reclamante tamen Theodorito, et ex eo Baronio[h]. De epistola vero ad Ephesios id collegisse videantur ex Ephes. cap. I. ver. 15. et cap. III. ver. 2. 4. Certum vero est Paulum antea Ephesios vidisse; quippe apud quos biennio commoratus sit; et ad vincula proficiscens, solenni modo benedixit, Act. cap. XX.

III. In antiquis exemplaribus, illud *ἐν Ἐφέσῳ*[i] defuisse apparet ex illis Basilii verbis circa medium libri secundi adversus Eunomium. *Τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων, ὡς γνησίως ἡνωμένοις τῷ ὄντι δι' ἐπιγνώσεως, ὄντας αὐτοὺς ἰδιαζόντως* (id est, per excellentiam) *ὠνόμασεν, εἰπών. Τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι, καὶ ἡμεῖς ἔν τισι τῶν ἀντι-*

[g] Anno 59. sec. 19. collat. cum anno 60. sect. 9.
[h] Anno 60. sec. 14.
[i] Cap. 1. ver. 1.

γράφων εὑρήκαμεν. vel (ut est in Græca Basilii editione[l]) ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν. Hinc Hieronymus in commentariis ad Ephes. cap. I. "Quidam (ait) curiosius, quam necesse est, putant ex eo quod Moysi dictum sit: *Hæc*[m] *dices filiis Israel: Qui est, misit me;* etiam eos qui in Epheso sunt sancti et fideles, essentiæ vocabulo nuncupatos. Alii vere simpliciter, non ad eos qui sunt, sed qui Ephesi sancti et fideles sint, scriptum arbitrantur." Theodorus Beza in fine notarum in epistolam ad Ephesios suspicatur verba illa ἐν Ἐφέσῳ ideo sublata; quod non tam ad Ephesios ipsos proprie missa fuerit epistola, quam Ephesum, ut ad cæteras Asiaticas ecclesias transmitteretur.

De epistola ad Laodicenses plura habet Jacobus Pamelius[n], Bellarminus in Recognitione controversiarum suarum, Pontificii in colloquio Ratisbonensi, Baronius[o], Sixtus Senensis[p], commentatores in postremum caput ad Colossenses, Zegerus tum in Epanorthote (ubi ait, non sibi probabile judicari Marcionis judicium) tum in scholiis, Salmeron[q], et Beza (ubi uterque ait; male ab Epiphanio citari eam, quæ extat, supposititiam epistolam: cum in ea citata ab Epiphanio sententia non reperiatur, sed in epistola ad Ephesios) Ambrosius Catharinus, Cajetanus, Claudius Guilliaudus, Johannes Gagneus, Erasmus. Quibus adde etiam Theodoritum, Oecumenium, et Chrysostomum.

[k] Sic enim citat Candarius in Scholiis ad Ephes. cap. 1.

[l] Pag. 668. lin. 13.

[m] Exod. cap. 3.

[n] Annot. 259. in lib. 5. Tertulliani adversus Marcionem.

[o] Anno 60. sect. 12, 13, 14. quem etiam vide de epistola ad Ephesios, anno 59. sect. 19, 20, 21.

[p] Biblioth. sanct. lib. 2. in Paulo.

[q] Pag. 357. lin. 8.

THE

REDUCTION OF EPISCOPACY

UNTO THE FORM OF

SYNODICAL GOVERNMENT,

RECEIVED IN THE

ANCIENT CHURCH:

PROPOSED IN THE YEAR 1641,

AS AN EXPEDIENT FOR THE PREVENTION OF THOSE TROUBLES, WHICH AFTERWARDS DID ARISE ABOUT THE MATTER OF CHURCH-GOVERNMENT.

TO

THE READER.

THE original of this was given me by the most reverend primate, some few years before his death, wrote throughout with his own hand, and of late I have found it subscribed by himself, and Doctor Holsworth, and with a marginal note at the first proposition, which I have also added. If it may now answer the expectation of many pious, and prudent persons, who have desired the publishing of it, as a seasonable preparative to some moderation in the midst of those extremes, which this age abounds with, it will attain the end intended by the author: and it is likely to be more operative, by the great reputation he had, and hath in the hearts of all good men, being far from the least suspicion to be biassed by any private ends, but only aiming at the reducing of order, peace, and unity, which God is the author of, and not of confusion. For the recovery of which, it were to be wished, that such as do consent in substantials for matter of doctrine, would consider of some conjunction in point of discipline, that private interests and circumstantials, might not keep them thus far asunder.

N. BERNARD.

Grayes-Inne,
Octob. 13th, 1657.

THE

REDUCTION OF EPISCOPACY,

&c. &c.

Episcopal and Presbyterial Government conjoined.

By order of the Church of England, all presbyters are charged "to[a] administer the doctrine and sacraments, and the discipline of Christ, as the Lord hath commanded, and as this realm hath received the same;" and that they might the better understand what the "Lord had commanded" therein, the[b] exhortation of St. Paul to the elders of the Church of Ephesus is appointed to be read unto them at the time of their ordination: "Take heed unto yourselves, and to all the flock among whom the Holy Ghost hath made you overseers to rule[c] the congregation of God, which he hath purchased with his blood."

Of the many elders, who in common thus ruled the church of Ephesus, there was one president, whom our Saviour in his epistle unto this church in a peculiar manner stileth "the[d] angel of the Church of Ephesus:" and

[a] The book of ordination. [b] Ibid. ex Act. cap. 20. 27, 28.

[c] Ποιμαίνειν, so taken in Mat. chap. 2. ver. 6. and Rev. chap. 12. ver. 5 and chap. 19. ver. 15.

[d] Rev. cap. 2. ver. 1.

Ignatius in another epistle, written about twelve years after unto the same church, calleth the bishop thereof. Betwixt the bishop and the presbyter of that church, what an harmonious consent there was in the ordering of the church government, the same Ignatius doth fully there declare, by the presbytery, with St. Paul[e], understanding the community of the rest of the presbyters, or elders, who then had a hand not only in the delivery of the doctrine, and sacraments, but also in the administration of the "discipline of Christ:" for further proof of which, we have that known testimony of Tertullian in his general apology for Christians: "In[f] the Church are used exhortations, chastisements, and divine censure; for judgment is given with great advice as among those who are certain they are in the sight of God, and it is the chiefest foreshowing of the judgment which is to come, if any man have so offended, that he be banished from the communion of prayer, and of the assembly, and of all holy fellowship. The presidents that bear rule therein are certain approved elders, who have obtained this honour not by reward, but by good report," who were no other, as he himself intimates, elsewhere, but those[g] from whose hands they used to receive the sacrament of the eucharist.

For with the bishop, who was the chief president, (and therefore stiled by the same Tertullian in another place, "summus[h] sacerdos," for distinction sake) the rest of the dispensers of the Word and sacraments joined in the common government of the church; and therefore, where

[e] 1 Tim. cap. 4. ver. 14.

[f] "Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina; nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur: præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti." Tertull. apologet. cap. 39.

[g] "Nec de aliorum manibus quam præsidentium sumimus." Tertull. De corona militis, cap. 3.

[h] "Dandi quidem baptismi habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi." Tertull. de bapt. cap. 17.

in matters of ecclesiastical judicature, Cornelius bishop of Rome used the received form of "gathering[i] together the presbytery;" of what persons that did consist, Cyprian sufficiently declareth, when he wisheth him to read his letters "to[k] the flourishing clergy, which there did preside," or rule "with him:" the presence of the clergy being thought to be so requisite in matters of episcopal audience, that in the fourth council of Carthage it was concluded, "That[l] the bishop might hear no man's cause without the presence of the clergy: and that otherwise the bishop's sentence should be void, unless it were confirmed by the presence of the clergy:" which we find also to be inserted into the canons of Egbert[m], who was archbishop of York in the Saxon times, and afterwards into the body of the canon law[n] itself.

True it is, that in our Church this kind of presbyterial government hath been long disused, yet seeing it still professeth that every pastor hath a right to rule the church (from whence the name of rector also was given at first unto him) and to administer the discipline of Christ, as well as to dispense the doctrine and sacraments, and the restraint of the exercise of that right proceedeth only from the custom now received in this realm; no man can doubt, but by another law of the land, this hindrance may be well removed. And how easily this ancient form of government by the united suffrages of the clergy might be revived again, and with what little shew of alteration the synodical conventions of the pastors of every parish might be accorded with the presidency of the bishops of each diocese and province, the indifferent reader may quickly perceive by the perusal of the ensuing propositions.

[i] "Omni actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium." Cornel. apud Cyp. epist. 46. op. pag. 60.

[k] "Florentissimo illic clero tecum præsidenti." Cyprian. epist. 55. ad Cornel. op. pag. 89.

[l] "Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi nisi clericorum præsentia confirmetur." Concil. Carthag. IV. cap. 23.

[m] Excerption. Egberti, cap. 43. [n] 15. qu. 7. cap. Nullus.

I.

How the Church might synodically be governed, archbishops and bishops being still retained.

In every parish, the rector, or incumbent pastor, together with the church-wardens and sidesmen, may every week take notice of such as live scandalously in that congregation, who are to receive such several admonitions and reproofs, as the quality of their offence shall deserve; and if by this means they cannot be reclaimed, they may be presented to the next monthly synod; and in the mean time debarred by the pastor from access unto the Lord's table.

II.

Whereas by a statute in the six and twentieth year of King Henry the eighth, revived in the first year of Queen Elizabeth, suffragans are appointed to be erected in twenty six several places of this kingdom; the number of them might very well be conformed unto the number of the several rural deaneries, into which every diocese is subdivided; which being done, the suffragan supplying the place of those, who in the ancient church were called chorepiscopi, might every month assemble a synod of all the rectors, or incumbent pastors within the precinct, and according to the major part of their voices, conclude all matters that shall be brought into debate before them.

To this synod the rector and church-wardens might present such impenitent persons, as by admonitions and suspension from the sacrament would not be reformed; who if they should still remain contumacious and incorrigible, the sentence of excommunication might be decreed against them by the synod, and accordingly be executed

in the parish where they lived. Hitherto also all things that concerned the parochial ministers might be referred, whether they did touch their doctrine, or their conversation, as also the censure of all new opinions, heresies, and schisms, which did arise within that circuit; with liberty of appeal, if need so require, unto the diocesan synod.

III.

The diocesan synod might be held once or twice in the year, as it should be thought most convenient: therein all the suffragans, and the rest of the rectors, or incumbent pastors, or a certain select number of every deanery within the diocese, might meet, with whose consent, or the major part of them, all things might be concluded by the bishop, or superintendent[o], call him whether you will, or in his absence, by one of the suffragans; whom he shall depute in his stead to be moderator of that assembly.

Here all matters of greater moment might be taken into consideration, and the orders of the monthly synods revised, and, if need be, reformed: and if here also any matter of difficulty could not receive a full determination, it might be referred to the next provincial, or national synod.

IV.

The provincial synod might consist of all the bishops and suffragans, and such other of the clergy as should be elected out of every diocese within the province; the archbishop of either province might be the moderator of this meeting, or in his room some one of the bishops ap-

[o] "Ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes; unde et nomen episcopi tractum est." Hieron. epist. 85. ad Evagrium.

pointed by him, and all matters be ordered therein by common consent as in the former assemblies.

This synod might be held every third year, and if the parliament do then sit, according to the act of a triennial parliament, both the archbishops and provincial synods of the land might join together, and make up a national council: wherein all appeals from inferior synods might be received, all their acts examined and all ecclesiastical constitutions which concern the state of the church of the whole nation established.

We are of the judgment that the form of government here proposed is not in any point repugnant to the Scripture; and that the suffragans mentioned in the second proposition, may lawfully use the power both of jurisdiction and ordination, according to the word of God, and the practice of the ancient Church.

JA. ARMACHANUS.
RICH. HOLDSWORTH.

THE JUDGMENT

OF THE LATE

ARCHBISHOP OF ARMAGH,

AND

PRIMATE OF IRELAND,

WHAT IS UNDERSTOOD BY BABYLON,

IN APOC. CAP. XVII. AND XVIII.

WHAT IS UNDERSTOOD

BY

BABYLON,

&c.

APOC. CHAP. XVIII. VER. 4.

"Go out from her my people, that ye be not partakers of her sins, and receive not of her plagues."

IN these words we are straightly enjoined, upon our peril, to make a separation from Babylon, for the understanding of which charge, these three positions following are to be considered.

THE FIRST POSITION.

That it is plainly foretold in the Word of God, that after the planting of the faith by the apostles, the kings and inhabitants of the earth should be seduced and drawn into damnable errors; and that the mother of all these abominations of the earth, should be a certain great city called Babylon, in a mystery.

PROOF.

This we find directly laid down in the Revelation, that

a "great[a] city" called[b] in a mystery Babylon should become the mother of the spiritual "whoredom and abominations of the earth," so that the "Kings[c] of the earth should commit fornication with her," and the inhabitants of the earth should "be made drunk with the wine of her fornication."

THE SECOND POSITION.

That by this great city Babylon (the mother of all the abominations of the earth) is understood Rome.

PROOF.

1. By the clear testimony of Scripture, in the seventeenth chapter of the Revelation; where this city is described unto us, first by the situation, that it is seated upon "seven hills[d];" and then by the largeness of the dominion thereof, that it is that "great[e] city that ruleth over the kings of the earth." Now that by these two marks Rome was most notoriously known in the apostles' days, may appear even by the Roman poets, who describe Rome just after the same manner, as Ovid[f];

> Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
> Montibus, imperii Roma Deumque locus.

"Rome, the place of the empire, and of the Gods, which from seven hills doth take a view of the whole world." And more shortly Propertius:

> Septem urbs alta jugis toti quæ præsidet orbi.

"The city mounted on seven hills which ruleth the whole

[a] Apoc. chap. 17. ver. 18. and chap. 18. ver. 2. and chap. 21.
[b] Apoc. chap. 17. ver. 5.
[c] Apoc. chap. 17. ver. 2. and chap. 18. ver. 3.
[d] Rev. chap. 17. ver. 9. 18. [e] Ibid. ver. 18.
[f] Horat. in Car. seculari: "Dii quibus septem placuere colles."
[g] Trist. lib. 1. eleg. 4. lib. 3. eleg. 10.

world." No man reading Propertius, ever made question, but that Rome was here described; and therefore no reason why any doubt should be made, what that great city may be, which with the same colours is painted out unto us in the book of the Revelation.

2. By the judgment of the ancient fathers, affirming expressly that Rome is meant by Babylon, in the seventeenth chapter of the Revelation, as the Rhemists themselves do voluntarily confess in their last note upon the first epistle of Peter.

3. By the confession of those who are most devoted to the see of Rome, as (to name one for many), Bellarmine[h] the cardinal Jesuit; whose words are these: "John in the Revelation every where calleth Rome Babylon, as Tertullian hath noted in his third book against Marcion, and in his book against the Jews: and it is plainly gathered out of the seventeeth chapter of the Revelation: where great Babylon is said to sit upon seven mountains, and to have dominion over the kings of the earth. For there is no other city which in the time of John had dominion over the kings of the earth, but Rome; and the building of Rome upon seven hills is a matter most famous." Hitherto Bellarmine.

THE THIRD POSITION.

That old Rome only under the heathen persecutors, from the time of the first emperor till Constantine's days, was not Babylon (as the proctors of the Church of Rome would persuade us) but Rome in her last days being free from the government both of heathen and Christian emperors. And that Rome was to be that Babylon, which should draw the kings and nations of the world unto superstition and idolatry from such time as it ceased to be subject to the civil prince (and became the possession of the pope) until the last destruction thereof, which is yet to come.

[h] De Rom. pontif. lib. 2. cap. 2.

PROOF.

1. The matter of Babylon is revealed unto St. John as a mystery[i]. But the persecution of the Church by the heathen emperor was far from being a mystery: for it being openly committed, St. John[k] himself at the same time being a companion with the rest of the saints in this tribulation, banished for the word of God, and for the witnessing of Jesus Christ into the island Pathmos: this could not be shewed as a secret and mystical thing. And therefore some further matter, not then openly known to the world, must here be intended.

2. The state of Babylon after her fall is thus declared: "It[l] is fallen, it is fallen, Babylon the great city is become the habitation of devils, and the hold of all foul spirits, and a cage of every unclean and hateful bird; for all nations have drunken of the wine of the wrath of her fornication, and the kings of the earth have committed fornication with her," &c. If heathen Rome only were Babylon, it would follow that upon the fall thereof in the days of Constantine the emperor, Rome professing the faith of Christ should then become the "habitation of devils, and a cage of every unclean and hateful bird." Which being a most gross and absurd imagination, it must needs be granted, that after the days of the Christian emperor, "the faithful city should become a harlot;" even Rome[m] (whose faith was once renowned throughout all the world) should become "Babylon[n] the mother of whoredoms and abominations of the earth."

3. Such a desolation is foretold should come upon the great city Babylon (which in the second position is proved to be Rome) that it should utterly be destroyed and never built again, nor reinhabited[o]. Now at that very time

[i] Apoc. chap. 17. ver. 6.
[k] Ibid. chap. 1. ver. 9.
[l] Apoc. chap. 18. ver. 2.
[m] Romans, chap. 1. ver. 8.
[n] Apoc. chap. 17. ver. 5.
[o] Ibid. chap. 18. ver. 21, 22, 23.

when this judgment shall come, it is said that "the[p] kings of the earth which have committed fornication with her, shall bewail her and lament her;" whereby it is most evident that Rome is not to cease from being Babylon, till her last destruction shall come upon her; and that unto her last gasp she is to continue her spiritual fornications, alluring all nations unto her superstition and idolatry.

4. St. Paul, 2 Thessalonians, chap. II. verse 7. declareth that there was one in his time who did hinder the revealing of that wicked man, who was to be the head of this apostacy, and falling away from the faith. And when that he should be taken out of "the way, then," saith the apostle[q], "shall that wicked man be revealed." He that withheld and made this hindrance in the apostles time could be no other but the emperor, in whose hands, as long as the possession and government of Rome remained, it was impossible that that wicked one (of whom the apostle speaketh) should reign there. So that upon his removal, that man of sin must succeed in his room, whereupon that great city, wherein he placeth his throne, falleth to be that Babylon, which "should[r] deceive all nations with her enchantments." Now all the world can witness, that the emperor, who some time was the sovereign lord of Rome, is now quite turned out of the possession thereof, and the pope entered thereupon in his stead. Whereupon it followeth, that the pope (for all his holiness) is that wicked one[s] of whom the apostle prophesied, that he should "sit in the temple of God exalting himself above all that is called God or worshipped:" and consequently, that Rome, where he hath settled his chair, hath long since begun, and yet continueth to be that Babylon; from whose communion we are charged to sever ourselves, by that voice from heaven, "Go[t] out of her my people, that ye be not partakers of her sins, and receive not of her plagues."

[p] Rev. chap. 18. verse 9.
[q] Verse 8.
[r] Revel. cap. 18. ver. 23.
[s] 2 Thess. chap. 2. ver. 4.
[t] Apoc. chap. 18. ver. 4.

THE

JUDGMENT OF THE PRIMATE,

WHAT IS MEANT BY

THE BEAST THAT WAS, AND IS NOT, AND YET IS,

AND OTHER PASSAGES IN THE

SEVENTEENTH AND EIGHTEENTH OF THE REVELATION.

WRITTEN

IN ANSWER TO THE REQUEST OF A LEARNED FRIEND.

WHAT IS MEANT

BY

THE BEAST THAT WAS, AND IS NOT, AND YET IS,

&c. &c.

In the Revelation these four particulars must be carefully distinguished. The woman, which is the great city of Babylon.

The first beast which ariseth out of the sea[a].

The second beast which ariseth out of the earth[b], and the false prophet which ministereth to the second beast that goeth to destruction[c], by which are meant (as I conceive) *urbs Romana*, *imperium Romanum*, *pontifex Romanus*, and *clerus Romanus*. The two beasts in chapter XIII. verse 11. are plainly distinguished, and that distinction must necessarily be observed in the seventeenth chapter. Likewise for the great beast mentioned in the third and seventh verses of that chapter is the same with the first beast of the thirteenth chapter, as appeareth by the like description of the seven heads and ten horns: the lesser beasts mentioned in the eighth and eleventh verses,

[a] Apoc. chap. 13. ver. 1.
[b] Ibid. ver. 11.
[c] Apoc. chap. 16. ver. 13. 19, 20.

(which is the last head of the former) can be no other but the second beast mentioned in the thirteenth chapter, verse 22. who revived the image of the former, that is, of the empire, and made all to admire and adore it.

Now the question is, how this latter which is *pontifex Romanus* can be said to be the beast, "that was, and is not, and yet is?" My conceit of this is singular, but such as it is, I will not conceal from you; the pontifices among the ancient Romans (as Dionysius Halicarnassæus noteth in his second book of Roman antiquities) were obnoxious to no other jurisdiction, neither were bound to render account of their doings to any, they were only at the command of the *pontifex maximus*, whose authority was so great that the emperors thought it inconvenient that this supremacy should be committed to any other, therefore by assuming it to themselves, and annexing it to their imperial crown, they did by this means extinguish the spiritual magistracy, and in a sort extinguish the solemn magistracy, which (under the five former heads) was distinguished from all other superior governments, and prosecuted with special regard and reverence. That is if now, for example, in our state, one should prophesy of the government of the dukes of Lancaster under the like type, he might say of them in this manner; the beast that was (for the dukes of Lancaster in their time have been great) and is not (for by annexing of the dutchy to the crown, there is now no speech of any duke) and yet is (for the dutchy still remaineth with the several offices appertaining thereunto, though the state of the duke lieth as it were drowned in the person of the king.) So in like manner, the angel might speak of these *pontifices Romani*, the beast that was (for he was in former time of special account) and is not (being now confounded, and, in a manner, swallowed up with the state of the emperor) and yet is (for the priesthood remained still,) the title and dignity thereof resting in the emperor. This beast, this *pontifex Romanus* shall hereafter appear in his *pontificalibus*, and by his creatures (the false prophet) induce the world to accept his pontifical power for the highest upon earth, as before

they did the imperial, the image whereof is in this perfectly revived.

As for the second, we are to consider that the seven heads of the first beast are expounded[d] to be both the seven mountains on which the woman, that is, the great city[e], was seated, and the seven kings (or head governors,) by which that city was ruled.

The pope in regard of his civil power over the woman, that is, his regal power over the city of Rome, orderly succeedeth the six heads that went before him, and so becometh the seventh, claiming that respect in higher headship than did his predecessors.

But not content with that, for whereas the state of *pontifex maximus*, which in St. John's time after a sort was, and is not, as hath been shewed, by means of the Christian emperors was clean extinguished (the first of them bearing only the title, but not exercising the office, and Gratian the emperor at last abolishing both the title and the office, as by Zosimus a heathen historian we understand) the pope raised it again out of the grave and took it to himself, and after he had gotten to be the seventh head, retained not the pontificality as an appendant of his regal power (as did the emperors before him) but advanced the head thereof far above any of the seven civil supreme governments, making himself by that means an eighth head distinct from any of the former, which in respect of his civil power was one of the seven; neither was he content to extend the jurisdiction of his pontificality, *ad urbem et regiones suburbicarias* only, or to bound it within the confines of Italy, but (which was never done by any *pontifex maximus*, before him) by being *pontifex urbis*, he challenged a title of *summus pontifex orbis*, and so became not only a head of the former beast, but also a several beast by himself, receiving in his government the "image of the former beasts," drawing all the world to worship the same, for, (as Augustinus Steuchus writeth

[d] Apoc. chap. 17. ver. 9. and 10. [e] Ibid. ver. 18.

in his second book against Laurentius Valla) when the pontificality was first set up in Rome, all nations from east to west did worship the pope, no otherwise than of old the Cæsars.

THE JUDGMENT

OF THE LATE

ARCHBISHOP OF ARMAGH, AND PRIMATE OF IRELAND,

OF THE

TRUE INTENT AND EXTENT

OF

CHRIST'S DEATH

AND SATISFACTION UPON THE CROSS.

WRITTEN IN ANSWER TO THE REQUEST OF A FRIEND,
MARCH 3, 1617.

THE

TRUE INTENT AND EXTENT

OF

CHRIST'S DEATH AND SATISFACTION

UPON THE CROSS.

The all-sufficient satisfaction of Christ, made for the sins of the whole world. The true intent and extent is *lubricus locus* to be handled, and hath, and doth now much trouble the Church: this question hath been moved *sub iisdem terminis quibus nunc*, and hath received contrary resolutions; the reason is, that in the two extremities of opinions held in this matter, there is somewhat true, and somewhat false; the one extremity extends the benefit of Christ's satisfaction too far, as if hereby God, for his part, were actually reconciled to all mankind, and did really discharge every man from all his sins, and that the reason why all men do not reap the fruit of this benefit, is the want of that faith whereby they ought to have believed, that God in this sort did love them: whence it would follow, that God should forgive a man his sins, and justify him before he believed; whereas the elect themselves, before their effectual vocation, are said to be

"without[a] Christ, and without hope, and to be utter strangers from the covenants of promise."

2. The other extremity contracts the riches of Christ's satisfaction into too narrow a room; as if none had any kind of interest therein, but such as were elected before the foundation of the world, howsoever by the Gospel every one be charged to receive the same; whereby it would follow, that a man should be bound in conscience to believe that which is untrue, and charged to take that wherewith he hath nothing to do.

Both extremities then, drawing with them unavoidable absurdities: the word of God (by[b] hearing whereof, faith is begotten) must be sought unto by a middle course, to avoid these extremities.

For finding out this middle course, we must, in the matter of our redemption, carefully put a distinction betwixt the satisfaction of Christ absolutely considered, and the application thereof to every one in particular: the former was once done for all, the other is still in doing: the former brings with it sufficiency, abundant to discharge the whole debt; the other adds to it efficacy. The satisfaction of Christ only makes the sins of mankind fit for pardon, which without it could not well be; the injury done to God's majesty being so great, that it could not stand with his honour to put it up without amends made. The particular application makes the sins of those to whom that mercy is vouchsafed to be actually pardoned: for, as all sins are mortal, in regard of the stipend due thereunto by the law, but all do not actually bring forth death, because the gracious promises of the Gospel stayeth the execution: even so all the sins of mankind are become venal, in respect of the price paid by Christ to his Father (so far, that in shewing mercy upon all, if so it were his pleasure, his justice should be no loser,) but all do not obtain actual remission, because most offenders do not take out, nor plead their pardon as they ought to do. If Christ had not assumed our nature, and therein made

[a] Ephes. chap. 2. ver. 2. [b] Ibid. chap. 1. ver. 13.

satisfaction for the injury offered to the divine Majesty, God would not have come unto a treaty of peace with us, more than with the fallen angels, whose nature the Son did not assume: but this way being made, God holds out to us the golden sceptre of his word, and thereby not only signifieth his pleasure of admitting us unto his presence, and accepting of our submission, which is a wonderful grace, but also sends an embassage unto us, and "entreats[e] us that we would be reconciled unto him."

Hence, we infer against the first extremity, that by the virtue of this blessed oblation, God is made placable unto our nature (which he never will be unto the angelical nature offending) but not actually appeased with any, until he hath received his son, and put on the Lord Jesus. As also against the latter extremity, that all men may be truly said to have interest in the merits of Christ, as in a common, though all do not enjoy the benefit thereof, because they have no will to take it.

The well spring of life is set open unto all: "Whosoever[d] will, let him take of the water of life freely," but many have nothing to draw with, and the well is deep, faith is a vessel whereby we draw all virtue from Christ, and the apostle tells us, that "faith[e] is not of all." Now the means of getting this faith is "the[f] hearing of the word of truth, the Gospel of our salvation," which ministereth this general ground for every one to build his faith upon.

Syllogism. What Christ hath prepared for thee, and the Gospel offereth unto thee, that oughtest thou with all thankfulness to accept, and apply to the comfort of thy own soul.

But Christ by his death and obedience hath provided a sufficient remedy for the taking away of all thy sins, and the Gospel offereth the same unto thee. Therefore thou oughtest to accept, and apply the same to the comfort of thine own soul.

Now this Gospel of salvation many do not hear at all,

[e] 2 Cor. chap. 5. ver. 20.
[d] Apoc. chap. 22. ver. 17.
[e] 2 Thess. chap. 3. ver. 2.
[f] Ephes. chap. 1. ver. 13.

being destitute of the ministry of the word; and many hearing do not believe, or lightly regard it; and many that do believe the truth thereof, are so wedded to their sins, that they have no desire to be divorced from them, and therefore they refuse to accept the gracious offer that is made unto them. And yet notwithstanding their refusal on their part, we may truly say, that good things were provided for them on Christ's part, and a rich "price[g] was put into the hands of a fool, howsoever he had no heart to use it."

Our blessed Saviour, by that which he hath performed on his part, hath procured a jubilee for the sons of Adam, and his Gospel is his trumpet, whereby he doth proclaim "liberty[h] to the captives, and preacheth the acceptable year of the Lord." If for all this some are so well pleased with their captivity that they desire no deliverance, that derogates nothing from the generality of the freedom annexed to that year. If one say to sin his old master, "I[i] love thee, and will not go out free," he shall be bored for a slave, and serve for ever. But that slavish disposition of his, maketh the extent of the privilege of that year not a whit the straighter, because he was included within the general grant as well as others; howsoever, he was not disposed to take the benefit of it: the kingdom of heaven is like to a certain king that made a marriage of his son, and sent his servants to those that were bidden to the wedding with this message: "Behold[k], I have prepared my dinner; my oxen, and my fatlings are killed, and all things are ready, come to the marriage." If we look to the event, they that were bidden made light of their entertainment, and went their ways, "one[l] to his farm, and another to his merchandize;" but that neglect of theirs doth not falsify the word of the king[m], viz. That the dinner was prepared, and these unworthy guests were invited thereunto;

[g] Prov. chap. 17. ver. 16.
[h] Luke, chap. 4. ver. 18, 19.
[i] Levit. chap. 25. ver. 24. Exod. chap. 21. ver. 5. Deut. chap. 15. ver. 26.
[k] Matt. chap. 22. ver. 4.
[l] Ibid. ver. 5.
[m] Matt. chap. 22. ver. 4.

"For[n] what, if some did not believe, shall their unbelief disannul the faith, and truth of God? God forbid, yea, let God be true, and every man a liar, as it is written, that thou mayest be justified in thy sayings, and overcome when thou judgest. Let not the house of Israel say, the way of the Lord is unequal." For when he cometh to judge them, the inequality will be found on their side, and not on his. "O[o] house of Israel, are not my ways equal, and your ways unequal saith the Lord. The Lord is right in all his ways, and holy in all his works. All the ways of our God are mercy and truth;" when we were in our sins it was of infinite mercy that any way or remedy should be prepared for our recovery. And when the remedy is prepared, we are never the nearer, except he be pleased of his free mercy to apply the same to us, that so the whole praise of our redemption, from the beginning to the end thereof, may entirely be attributed to the riches of his grace, and nothing left to sinful flesh wherein it may rejoice.

The freeing of the Jews from the captivity of Babylon, was a type of that great deliverance, which the Son of God hath wrought for us.

Cyrus, king of Persia, who was *Christus Domini* (and herein but a shadow of *Christus Dominus*, the author of our redemption) published his proclamation in this manner: "Who[p] is amongst you of all his people, the Lord his God be with him, and let him go up." Now it is true, they alone did follow this calling, whose spirit God had raised to go up[q]. But could they that remained still in Babylon, justly plead, that the king's grant was not large enough, or that they were excluded from going up by any clause contained therein? The matter of our redemption purchased by our Saviour Christ lieth open to all, all are invited to it, none that hath a mind to accept of it, is excluded from it. "The beautiful feet of those that

[n] Rom. chap. 3. ver. 3, 4.
[o] Ezek. chap. 18. ver. 29, 30.
[p] 2 Chron. chap. 36. ver. 23. and 1 Ezra, chap. 2.
[q] Ezra, chap. 1. ver. 5.

preach the Gospel of peace, to bring glad tidings" of good things to every house where they tread. The first part of their message being this peace to this house[r]. But, unless God be pleased out of his abundant mercy "to guide our feet into the way of peace," the rebellion of our nature is such, that we run headlong to the "ways[s] of destruction and misery, and the ways of peace do we not know." They have not all obeyed the Gospel[t], all are not apt to entertain this message of peace, and therefore, though God's ambassadors make a true tender of it to all unto whom they are sent, yet "their peace only resteth on the sons of peace," but if it meet with such as will not listen to the motion of it, "their[u] peace doth again return unto themselves." The proclamation of the Gospel runneth thus: "Let[v] him that is athirst come," for him this grace is specially provided, because none but he will take the pains to come. But lest we should think this should abridge the largeness of the offer, a *quicunque vult*, is immediately added, and "whosoever will, let him take of the water of life freely:" yet withal this must be yielded for a certain truth, that it is God who must work in us "to will and to do of his good pleasure;" and though the call be ever so loud and large, yet none can "come[x] except the Father draw him." For the universality of the satisfaction derogates nothing from the necessity of the special grace in the application: neither doth the speciality of the one any ways abridge the generality of the other. Indeed Christ our Saviour saith, "I[y] pray not for the world, but for them that thou hast given me:" but the consequence hereby referred may well be excepted against, viz. he prayed not for the world, therefore he payed not for the world; because the latter is an act of his satisfaction, the former of his intercession; which, being divers parts of his priesthood, are distinguishable one from another by

[r] Rom. chap. 10. ver. 15. Luke, chap. 10. ver. 5. Ibid. chap. 17.
[s] Rom. chap. 3. ver. 16.
[t] Ibid. chap. 10. ver. 16.
[u] Luke, chap. 10. ver. 6.
[v] Apoc. chap. 22. ver. 17.
[x] John, chap. 6. ver. 46.
[y] John, chap. 17. ver. 6.

sundry differences. This his satisfaction doth properly give contentment to God's justice, in such sort as formerly hath been declared; his intercession doth solicit God's mercy. The first contains the preparation of the remedy necessary for man's salvation; the second brings with it an application of the same. And consequently the one may well appertain to the common nature, which the son assumed, when the other is a special privilege vouchsafed to such particular persons only, as the father hath given him. And therefore we may safely conclude out of all these premisses, that "the Lamb of God, offering himself a sacrifice for the sins of the whole world," intended by giving sufficient satisfaction to God's justice, to make the nature of man, which he assumed, a fit subject for mercy and to prepare a medicine for the sins of the whole world, which should be denied to none that intended to take the benefit of it: howsoever he intended not by applying this all-sufficient remedy unto every person in particular to make it effectual unto the salvation of all, or to procure thereby actual pardon for the sins of the whole world. So, in one respect he may be said to have died for all, and in another respect not to have died for all; yet so as in respect of his mercy he may be counted a kind of universal cause of the restoring of our nature, as Adam was of the depraving of it; for as far as I can discern, he rightly hits the nail on the head that determineth the point in this manner.

THOM. CONTRA GENTILES, LIB. IV. CAP. LV.

Mors Christi est quasi quædam universalis causa salutis; sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut effectum universalis causæ participet. Effectus igitur peccati primi pa-

rentis pervenit ad unumquemque per carnis originem, effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem, per quam Christo homo quodammodo conjungitur et incorporatur.

AN ANSWER

OF THE

ARCHBISHOP OF ARMAGH,

TO

SOME EXCEPTIONS

TAKEN

AGAINST HIS AFORESAID LETTER.

AN ANSWER,

&c. &c.

I CANNOT sufficiently wonder, why such exceptions should be taken against a letter of mine, which without my privity came to so many men's hands, as if thereby I had confirmed Papism, Arminianism, and I know not what error of Mr. Culverwell's, which (as you write) is, and hath been, opposed by many, yea, all good men. The papist (saith one) doth thus distinguish a mediator of redemption and intercession; and Bellarmine (saith another) divides the satisfaction and application of Christ. To which, what other answer should I make but this? To hold that Christ is the only mediator of redemption, but that the saints are also mediators of intercession, that Christ by his merits hath made satisfaction to his father in gross, and the pope by his indulgence, and his priests by their oblations in the mass do make a particular application to particular persons. To join thus partners with Christ in this manner in the office of mediation is popery indeed; but he who, attributing the entire work of the mediation unto Christ alone, doth yet distinguish the act of redemption from the act of intercession, the satisfaction made by him unto God, from the application thereof communicated unto men, is as far from popery, as he that thinks otherwise is from the grounds of the catechism; for that Christ hath so died for all men (as they lay down in the conference of

Hague) "ut reconciliationem cum Deo, et peccatorum remissionem singulis impetraverit," I hold to be untrue, being well assured, that our Saviour hath obtained at the hands of his father reconciliation, and forgiveness of sins, not for the reprobate, but elect only, and not for them neither, before they be truly regenerated, and implanted into himself; for election being nothing else but the purpose of God, resting in his own mind, makes no kind of alteration in the party elected, but only the execution of that decree and purpose, which in such as have the use of reason is done by an effectual calling, in all by spiritual regeneration, which is the new birth, without which no man can see the kingdom of God.

That impetration, whereof the Arminians speak, I hold to be a fruit, not of his satisfaction, but intercession; and seeing I have learned from Christ's own mouth, "I[a] pray not for the reprobate world:" I must needs esteem it a great folly to imagine that he hath impetrated reconciliation and remission of sins for that world. I agree therefore thus far with Mr. Aimes in his dispute against Grevinchovius, that application and impetration, in this matter we have in hand, are of equal extent; and, that forgiveness of sins is not by our Saviour impetrated for any unto whom the merit of his death is not applied in particular. If in seeking to make straight that which was crooked in the Arminian opinion, he hath bended it too far the contrary way, and inclined too much unto the other extremity, it is a thing which, in the heat of disputation, hath befallen many worthy men before him; and, if I be not deceived, gave the first occasion to this present controversy. But I see no reason why I should be tied to follow him in every step, wherein he treadeth: and so much for Mr. Aimes.

The main error of the Arminians[b] and of the patrons of universal grace is this, that God offereth unto every man those means that are necessary unto salvation, both sufficiently and effectually; and, that it resteth in the free will

[a] John, chap. 17. ver. 9.

[b] Vid. Corvin. in Defens. Armini. cap. 11.

of every one to receive, or reject the same; for the proof thereof they allege, as their predecessors, the Semipelagians, did before them, that received axiom of Christ's dying for all men, which being rightly understood, makes nothing for their purpose. Some of their opposites (subject to oversights as well as others) more forward herein than circumspect, have answered this objection, not by expounding (as was fit) but by flat denying that famous axiom: affirming peremptorily, that Christ died only for the elect, and for others *nullo modo:* whereby they gave the adverse party advantage to drive them unto this extreme absurdity, viz. that seeing Christ in no wise died for any, but for the elect, and all men were bound to believe that Christ died for themselves, and that upon pain of damnation for the contrary infidelity; therefore all men were bound to believe that they themselves were elected, although in truth the matter were nothing so:

> Non tali auxilio nec defensoribus istis
> Tempus eget.

Neither is their hope that the Arminians will be drawn to acknowledge the error of their position, as long as they are persuaded the contrary opinion cannot be maintained without admitting that an untruth must be believed, even by the commandment of him that is God of truth, and by the direction of that word, which is the word of truth.

Endeavouring therefore to make one truth stand by another, and to ward off the blow given by the Arminians in such sort that it should neither bring hurt to the truth, nor give advantage to error, admit I failed of mine intent, I ought to be accounted rather an oppugner than anywise an abettor of their fancies. That for the Arminians. Now for Mr. Culverwell, that which I have heard him charged withal, is the former extremity, which in my letter I did condemn, viz. That Christ in such sort did die for all men, that by his death he made an actual reconcilement between God and man; and, that the especial reason why all men reap not the fruit of this reconciliation, is the want

of that faith, whereby they ought to have believed that God in this sort did love them. How justly he hath been charged with this error, himself can best tell; but if ever he held it, I do not doubt, but he was driven thereunto by the absurdities, which he discerned in the other extremity; for what would not a man fly unto rather than yield, that Christ in no manner of ways died for any reprobate, and none but the elect had any kind of title to him, and yet so many thousand reprobates should be bound in conscience to believe that he died for them, and tied to accept him for their redeemer and Saviour; yea, and should be condemned to everlasting torments for want of such a faith (if we may call that faith, which is not grounded upon the word of truth) whereby they should have believed that which in itself was most untrue, and laid hold of that in which they had no kind of interest; if they who dealt with Mr. Culverwell laboured to drive out one absurdity by bringing in another, or went about to stop one hole by making two, I should the less wonder at that you write, that though he hath been dealt withal by many brethren, and for many years, yet he could not be drawn from his error. But those stumbling blocks being removed, and the plain word of truth laid open, by which faith is to be begotten, I dare boldly say he doth not hold that extremity wherewith he is charged, but followeth that safe and middle course, which I laid down; for after he had well weighed what I had written, he heartily thanked the Lord and me, for so good a resolution of this question, which for his part he wholly approved, not seeing how it could be gainsayed. And so much likewise for Mr. Culverwell.

Now for Mr. Stock's public opposition in the pulpit, I can hardly be induced to believe that he aimed at me therein; if he did, I must needs say he was deceived, when he reckoned me amongst those good men, who make the universality of all the elect, and all men to be one. Indeed I wrote but even now, that God did execute his decree of election in all by spiritual generation: but if any shall say, that by all thereby I should understand the universality of

all and every one in the world, and not the universality of all the elect alone, he should greatly wrong my meaning, for I am of no other mind than Prosper was: "Habet[c] populus Dei plenitudinem suam, et quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen et præscitis atque ab omni generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut de toto mundo, totus mundus liberatus, et de omnibus hominibus, omnes homines videantur assumpti." That Christ died for his apostles[d], for his sheep[e], for his friends[f], for his Church[g], may make peradventure against those, who make all men to have a share alike in the death of our Saviour: but I profess myself to hold fully with him, who said: "Etsi Christus pro omnibus mortuus est, tamen specialiter pro nobis passus est, quia pro Ecclesia passus est." Yea, and in my former writing I did directly conclude, that as in one respect Christ might have been said to die for all, so in another respect truly said not to have died for all; and my belief is, that the principal end of the Lord's death, was, "that[h] he might gather together in one the children of God scattered abroad," and, that for their sakes he did specially sanctify himself, that they "also[i] might be sanctified through the truth." And therefore it may be well concluded, that Christ in a special manner died for these; but to infer from hence, that in no manner of respect he died for any others, is but a very weak collection, especially the respect by me expressed being so reasonable, that no sober mind advisedly considering thereof can justly make question of it, viz. That the Lamb of God offering himself a sacrifice for the sins of the world, intended by giving satisfaction to God's justice to make the nature of man which he assumed, a fit subject for mercy, and to prepare a sovereign medicine that should not only be a sufficient cure for the sins of the whole world, but also should be laid open to all, and denied to none, that

[c] De vocat. Gent. lib. 1.
[d] Luke, chap. 22. ver. 19.
[e] John, chap. 10. ver. 15.
[f] Ibid. chap. 15. ver. 13.
[g] Ephes. chap. 5. ver. 25.
[h] John, chap. 11. ver. 52.
[i] John, chap. 17. ver. 19.

indeed do take the benefit thereof: for he is much deceived that thinks a preaching of a bare sufficiency is able to yield sufficient ground of comfort to a distressed soul, without giving a further way to it, and opening a further passage.

To bring news to a bankrupt that the king of Spain hath treasure enough to pay a thousand times more than he owes, may be true, but yields but cold comfort to him the miserable debtor: sufficiency indeed is requisite, but it is the word of promise that gives comfort.

If here exception be taken, that I make the whole nature of man fit for mercy, when it is as unfit a subject for grace as may be.

I answer, That here two impediments do occur, which give a stop unto the peace, which is to be made betwixt God and man. The one respects God the party offended, whose justice hath been in such sort violated by his base vassals, that it were unfit for his glorious majesty to put up such an injury without good satisfaction. The other respects man the party offending, whose blindness, stupidity, and hardness of heart is such, that he is neither sensible of his own wretchedness, nor God's goodness, that when God offers to be reconciled unto him, there must be much entreaty to persuade him to be reconciled to God[k]. In regard of the latter I acknowledge with the apostle, "That[l] the natural man receives not the things of the spirit, for they are foolishness to him; neither can he, because spiritually discerned." And this impediment is not taken away by Christ's satisfaction (which is a work of his priestly function) but by the enlightening of the mind, and softening the heart of the sinner, which are effects issuing from the execution of the prophetical, and kingly office of our Redeemer. When therefore I say, that by Christ's satisfaction to his Father he made the nature of man a fit subject for mercy, I mean thereby, that the former impediment arising on God's part is taken away, that if it were not for the other (for the having whereof we can blame

[k] 2 Cor. chap. 5. ver. 20. [l] 1 Cor. chap. 2. ver. 14.

none but ourselves, and in the not removing whereof we cannot say God hath done us any wrong) there were no let, but all men might be saved; and if it pleased God to extend his mercy unto all, as he keeps his freedom therein, in having compassion on whom he will have mercy, and leaving others in blindness, natural hardness of their own heart, yet the worth of Christ's satisfaction is so great, that his justice therein should be no looser.

But if this justice (you will say) be satisfied, how comes it to pass that God exacts payment again from any? I answer, We must take heed we stretch not our similitudes beyond their just extent, lest at last we drive the matter too far, and be forced to say (as some have done) that we cannot see how satisfaction and forgiveness stand together, and so by denying Christ's satisfaction be injurious to God's justice, or by denying remission of sins become injurious to God's mercy. We are therefore to understand, that the end of the satisfaction of God's justice is to make way for God's free liberty in shewing mercy, that so mercy and justice meeting, and embracing one another, God may be just, and the justifier of him that believes in Jesus[m]. Now the general satisfaction of Christ, which was the first act of his priestly office, prepares the way for God's mercy, by making the sins of all mankind pardonable, the interposition of any bar from God's justice notwithstanding, and so puts the sons of men only in a possibility of being justified, a thing denied to the nature of fallen angels, which the Son was not pleased to assume; but the special application of this satisfaction vouchsafed by Christ unto those persons only whom his father hath given him out of the world, which is an appendant, or appertaineth to the second act of his priesthood, viz. his intercession, produceth this *potentia in actum*, that is, procureth an actual discharge from God's anger; and maketh justification, which before was a part of our possibility, to be a part of our present possession.

If it be said: It is a great derogation to the dignity of

[m] Rom. chap. 3. ver. 26.

Christ's death to make the sins of mankind only pardonable, and brings in a bare possibility of justification.

I answer, It is a most unchristian imagination to suppose the merit of Christ's death, being particularly applied to the soul of a sinner, produceth no further effect than this. St. Paul teacheth us that we be not only justifiable, but "justified[n] by his blood," yet not simply as offered on the cross, but "through[o] faith in his blood," that is, through his blood applied by faith. "The blood of Jesus Christ his son," saith St. John[p], "cleanseth us from all sins;" yet cleanse it doth not by being prepared, but by being applied: prepared it was when he poured it out once upon the cross, applied it is when he washeth us from our sins therein[q]. It is one thing therefore to speak of Christ's satisfaction, in the general absolutely considered; and another thing, as it is applied to every one in particular. The consideration of things as they are in their causes, is one thing; and as they have an actual existence, is another thing. Things as they are in their causes are no otherwise considerable, but as they have a possibility to be. The application of the agent to the patient, with all circumstances necessarily required, is it that gives to the thing an actual being. That disease is curable for which a sovereign medicine may be found, but cured it is not till the medicine be applied to the patient; and if it so fall out, that, the medicine being not applied, the party miscarries, we say, he was lost, not because his sickness was incurable, but because there wanted a care to apply that to him that might have helped him.

All Adam's sons have taken a mortal sickness from their father, which, if it be not remedied, will, without fail, bring them to the second death: no medicine under heaven can heal this disease, but only a potion confected of the blood of the Lamb of God, who came "to take away the sins of the world;" which, as Prosper truly notes, "habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur

[n] Rom. chap. 5. ver. 9.
[o] Rom. chap. 3. ver. 25.
[p] 1 John, chap. 1. ver. 17.
[q] Rev. chap. 1. ver. 5.

non medetur." The virtue thereof is such, that if all did take it, all without doubt should be recovered, but without taking it there is no recovery; in the former respect it may be truly said, that no man's state is so desperate, but by this means it is recoverable, (and this is the first comfortable news that the Gospel brings to the distressed soul) but here it resteth not, nor feedeth a man with such a possibility, that he should say in his heart, "Who shall ascend into heaven to bring Christ from above?" but it brings the word of comfort nigh unto him, even to his mouth and heart, and presents him with the medicine at hand, and desireth him to take it; which being done accordingly, the cure is actually performed.

A LETTER

TO

DR. TWISS,

CONCERNING THE SABBATH,

AND

OBSERVATION

OF

THE LORD'S DAY.

OF

THE SABBATH.

Worthy Sir,

Your letter of the first of February came unto my hands the seventh of April; but, my journey to Dublin following thereupon, and my long stay in the city (where the multiplicity of my public and private employments would scarce afford me a breathing time) was such, that I was forced to defer my answer thereunto, until this short time of my retiring into the country: where being now absent also from my library: I can rather signify unto you, I concur in judgment with those grounds, which you have so judiciously laid in this question of the Sabbath, than afford any great help unto you in the building, which you intend to raise thereupon. For when I gave myself unto the reading of the fathers, I took no heed unto any thing that concerned this argument: as little dreaming that any such controversy would have arisen among us. Yet generally I do remember that the word Sabbathum in their writings doth denote our Saturday: although by analogy from the manner of speech used by the Jews, the term be sometimes transferred to denote our Christian festivities also, as Sirmondus, the

Jesuit, observeth, out of Sidonius Apollinaris[a]; where, describing the moderation of the table of Theodoric, King of the Goths upon the eves, and the excess on the holyday following; he writeth of the one, that his "convivium diebus profestis simile privato est;" but of the other: "De luxu autem illo Sabbatario narrationi meæ supersedendum est, qui nec latentes potest latere personas." And because the τὸ ῥητὸν of the fourth commandment pointeth at the Sabbath, as it was in the first institution, the seventh day from the creation: therefore they held that Christians were not tied to the observance thereof. Whereupon you may observe, that St. Augustine in his Speculum[b], purposely selecting those things which appertained unto us Christians, doth wholly pretermit that precept in the recital of the commandments of the Decalogue. Not because the substance of the precept was absolutely abolished, but because it was in some parts held to be ceremonial[c], and the time was afterwards changed in the state of the New Testament, from the seventh to the first day of the week: as appeareth by the author of the twenty-fifth Sermon, De tempore[d], and that place of Athanasius in Homilia de semente, where he most plainly saith, touching the Sabbath, Μετέθηκεν ὁ Κύριος τὴν τοῦ σαββάτου ἡμέραν εἰς τὴν κυριακήν. Whereupon Cæsarius Arelatensis, in his twelfth homily, doubted not to preach unto the people: "Vere dico, Fratres, satis durum et prope nimis impium est, ut Christiani non habeant reverentiam diei Dominico, quam Judæi observare videntur in Sabbato," &c. Charles the Great in his laws, taketh it for granted, that our observation of the Lord's day is founded upon the διάνοια of the fourth commandment. "Statuimus[e]," saith he, "secundum quod et in lege Dominus precepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur; sicut et bonæ memoriæ genitor

[a] Lib. 1. epist. 2. [b] Op. tom. 3.
[c] Vid. Augustin. præfat. in Speculum.
[d] Augustin. Op. tom. 5.
[e] Lib. 1. Capitularium, cap. 81. edit. Lindebrog. pag. 842.

meus in suis synodalibus edictis mandavit." And Lotharius likewise: "Die[f] Dominico nemo opera servilia præsumat facere: quia hoc lex prohibuit, et sacra Scriptura in omnibus contradicit." Accommodating the law of God touching the Sabbath unto our observation of the Lord's day, by the self same analogy, that the Church of England now doth in her public prayer: "Lord have mercy upon us, and incline our hearts to keep this law."

The Jews commonly hold two things touching their Sabbath, as Manasses Ben Israel showeth in his eighth problem, De creatione, which he published at Amsterdam the last year. First, that the observation thereof was commanded only unto the Israelites[g]: where he speaketh also of the seven precepts of the sons of Noah; which have need to be taken in a large extent, if we will have all the duties that the heathen were tied unto to be comprised therein. Secondly, that it was observed by the patriarchs, before the coming out of Egypt. For that then the observation began, or that the Israelites were brought out of Egypt, or the Egyptians drowned upon the Sabbath; I suppose our good friend Mr. Mead will not be able to evince, either out of[h] Deut. chap. V. ver. 15. or out of any other Scripture whatsoever. And the text, Gen. chap. II. ver. 2. as you well note, is so clear for the ancient institution of the Sabbath, and so fully vindicated by D. Rivet from the exceptions of Gomarus; that I see no reason in the earth why any man should make doubt thereof; especially considering withal, that the very Gentiles, both civil and barbarous, both ancient and of later days, as it were by a universal kind of tradition, retained the distinction of the seven days of the week, which if Dr. Heylin had read, so well proved as it is by Rivetus and Salmasius, he would not have made

[f] In legibus Alamannorum, tit. 38. pag. 373. edit. Lindebrog.

[g] Whether the proselyte, or גר תושב were tied thereunto, is handled in the Talmud of Jerusalem, Seder נשים, fol. 8. d. of my edition.

[h] Compare with Deut. chap. 16. ver. 12. 8.

such a conclusion as he doth: that because the "heathen[h] of the four great monarchies at least had no distinction of weeks, therefore they could observe no Sabbath;" whereas he might have found, that the distinction of the days of the week did reach "etiam ad ipsos usque Sauromatas;" for even of the Sclavonians themselves, while they yet continued in their ancient paganism, thus writeth Helmoldus: "Illic[i] secunda feria populus terræ, cum flamine et regulo, convenire solebant propter judicia;" the same order of the days of the week being retained by them, which Theophilus the old bishop of Antioch noteth to have been observed by all mankind. Ἔτι μὴν[k] saith he, καὶ περὶ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας, ἣν πάντες μὲν ἄνθρωποι ὀνομάζουσιν· οἱ δὲ πλείους ἀγνοοῦσιν ὅτι παρ' Ἑβραίοις ὃ καλεῖται σάββατον Ἑλλήνιστι ἑρμηνεύεται ἑβδομὰς (confounding as it seemeth שבת with שבע as also doth Lactantius[l]:) ἥτις εἰς πᾶν γένος ἀνθρώπων ὀνομάζεται μὲν, δι' ἣν δὲ αἰτίαν καλοῦσιν αὐτὴν οὐκ ἐπίστανται. Wherewith we may join that other place of Johannes Philoponus: Ἐκεῖνο[m] γὲ μὴν συμπεφώνηται πᾶσιν ἀνθρώποις, ἕπτα μόνας εἶναι τὰς ἡμέρας αἵ τινες εἰς ἑαυτὰς ἀνακυκλοῦμεναι τὸν ὅλον ποιοῦσι χρόνον. who, with shewing the cause thereof, thus shuts up the whole work: Μόνος ἄρα τὴν αἰτίαν τοῦ ἑβδομαδικοῦ τῶν ἡμερῶν ἀριθμοῦ θεόθεν ἐμπνευσθεὶς ὁ μέγας τοῖς ἀνθρώποις ἀποδέδωκε Μοϋσῆς.

We see it almost[n] generally observed in all nations, though never so far distant, and strangers one to another, that in their reckoning of the numbers, when they come to ten, they return to their addition of 1, 2, and 3. again. If it should be demanded, how they did all come to agree upon this kind of arithmetic, and not some place their period at 8. some at 12. some at 15. I suppose this could not be better resolved, than by saying they had this

[h] Part. 1. cap. 4. pag. 83, 84. 90.

[i] Chronic. Slavon. lib. 1. cap. 84.

[k] Lib. 2. ad Antolycum.

[l] Lib. 7. cap. 14.

[m] Περι κοσμοποίας lib. 7. cap. ult.

[n] The variation of some rude American breaketh here no square: no more than it doth in the unskilful reckoning of their times. They being mere savages.

by tradition from the first fathers that lived before the dispersion; and that this is not an improbable evidence of that truth propounded by the apostle unto the philosophers of Athens, that God "made[o] of one blood all nations of men to dwell on all the face of the earth." How much more when we find a far greater agreement among the nations, in the computation of the seven days of the week; the self same day, which is accounted the first by one, being in like manner reckoned so by all; notwithstanding that great variety of differences, which is betwixt them in the ordering of their years and months: how much more strongly, I say, may we conclude from hence, that the tradition of the seventh day was not of Moses, but of the fathers, and did not begin with the commonwealth of Israel, but was derived unto all nations by lineal descent from the sons of Noah?

Add hereunto that those heathens, who were strangers from the commonwealth of Israel, though they made not the seventh day a festival as the Jews did, yet did they attribute some holiness to it, and gave it a peculiar honour above the other days of the week; wherein they retained some relics, and preserved still some clear footsteps of the first institution. "Quin etiam populi jam olim[p]," saith Josephus, "multum nostram pietatem æmulantur: neque est civitas Græcorum ulla usquam aut Barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanæ, in qua vacamus, consuetudo minime pervenerit; jejuniaque et candelabra accensa," &c. of which rite of lighting of candles, or lamps rather, mention also is made by Seneca in his ninety-fifth epistle: "Accendere aliquam lucernam Sabbathis prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine." And by Tertul-

[o] Acts, chap. 17. ver. 26.

[p] This word was not well left out by Gomarus, investigat. pag. 123. The Greek S. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πλήθεσιν ἠδὴ πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας· οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἔν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδόμαδος ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, καὶ αἱ νηστεῖαι, καὶ λύχνων ἀνακαύσεις, καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν οὐ νενομισμένων παρατετήρηται. Sub fin. lib. 2. contra Apion.

lian[p], where he noteth also those to be the Sabbaths observed by the nations, saying thus unto them: "Qui solem et diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem: Non longe a Saturno et Sabbatis VESTRIS sumus;" wherein though their devotion were somewhat like unto that of the Jews, (which is all that those words of Josephus do import: "Multum nostram pietatem æmulantur,") yet that it was not done by any late imitation of them, or with any relation at all to their observances; that other place of Tertullian doth seem to evince, in the sixteenth chapter of his Apologeticum. "Æque si diem solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione quam religione solis; secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a Judaico more, quem[q] ignorant." And that they did not celebrate their Saturdays, with that solemnity wherewith themselves did their annual festivities, or the Jews their weekly Sabbaths, may appear by the words of this same author, in the fourteenth chapter of his book De idololatria, thus speaking unto the Christian, who observed fifty-two Lord's days every year; whereas all the annual festivities of the Pagans put together did come short of fifty: "Ethnicis semel annuus dies quisque festus est; tibi octavo quoque die. Excerpe singulas solemnitates nationum, et in ordinem texe; Pentecosten implere non poterunt." And yet, as I said, that they accounted Saturday more holy, and requiring more respect from them than the other ordinary days of the week, may be seen by that of Tibullus[r].

> Aut ego sum causatus aves, aut omina dira
> Saturni SACRA me tenuisse die.

And that of Lucian[s], in his ψευδολογιστὴς, of boys get-

[p] Lib. 1. ad Nationes, cap. 13.

[q] Upon these two words I ground the strength of the argument: which will hold, notwithstanding the correction of Gortofredus, out of that in lib. 1. ad Nationes, cap. 13. "Quod quidem facitis, exorbitantes et ipsi a vestris ad alienas religiones."

[r] Eleg. 3. lib. 1.

[s] Oper. tom. 3. pag. 174.

ting leave to play ἐν ταῖς ἑβδόμαις, and that of Ælius Lampridius, touching Alexander Severus, using to go unto the capitols and other temples, upon the seventh day. Whereunto we may add those verses of the ancient Greek poets, alleged by Clemens Alexandrinus[s] and Eusebius[t], which plainly show that they were not ignorant, that the works of creation were finished on the seventh day, for so much doth that verse of Linus intimate :

Ἑβδομάτη δὴ οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται.

And that of Homer:

Ἑβδομὸν ἦμαρ ἔην, καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.

And that of Callimachus :

Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ καὶ οἱ τετύκοντο ἅπαντα,

The Israelites, by the law of Moses, were not only to observe their weekly Sabbath every seventh day, but also their feast of weeks once in the year: which although by the vulgar use of the Jewish nation it may now fall upon any day of the week ; yet do the Samaritans until this day constantly observe it on the first day of the week, which is our Sunday, for which they produce the letter of the law[u], where the feast of the first fruits (otherwise called Pentecost, or the feast of weeks) is prescribed to be kept the morrow after the Sabbath: which not they only, but also amongst our Christian interpreters, Isychius and Rupertus do interpret to be the first day of the week. "Planius[x]," saith Isychius, "Legislator intentionem suam demonstrare volens, ab altero die Sabbati memorari præcepit quinquaginta dies: Dominicum diem proculdubio volens intelligi. Hic enim est altera dies Sabbati, (in hac

[s] Lib. 5. Stromat.

[t] Lib. 13. Præparat. evangelic.

[u] Levit. chap. 23. ver. 15, 16.

[x] Isych. lib. 6. in Levit. cap. 23. vid. Lidyat. de variis annorum formis, cap. 5.

enim resurrectio facta est) qua hebdomadæ numerantur septem, usque ad alterum diem expletionis hebdomadæ. Dominica rursus die Pentecostes celebramus festivitatem, in qua Sancti Spiritus adventum meruimus[y]." Where you may observe by the way, that although this author made a little bold to strain the signification of *altera dies Sabbathi*, (which in Moses denoteth no more than the morrow after the Sabbath,) yet he maketh no scruple to call the day of Christ's resurrection another Sabbath day, as in the council of Friuli[z] also (if I greatly mistake not the matter) you shall find Saturday called by the name of *Sabbatum ultimum*, and the Lord's day of *Sabbatum primum*, (with some allusion perhaps to that of St. Ambrose: "Ubi[a] Dominica dies cœpit præcellere, qua Dominus resurrexit; Sabbatum, quod primum erat secundum haberi cœpit a primo) not much unlike unto that, which Dr. Heylin[b] himself noteth out of Scaliger of the Æthiopian Christians; that they call both of them by the name of Sabbaths: the one the first, the other the latter Sabbath; or in their own language, the one *Sanbath Sachristos*, that is, Christ's Sabbath, the other *Sanbath Judi*, or the Jews' Sabbath.

But touching the old Pentecost it is very considerable, that it is no where in Moses affixed unto any one certain day of the month, as all the rest of the feasts are: which is a very great presumption, that it was a moveable feast, and so varied[c], that it might always fall upon the day immediately following the ordinary Sabbath. And if God so order the matter, that in the celebration of the feast of weeks the seventh day should purposely be passed over, and that solemnity should be kept upon the first: what other thing may we imagine could be præsignified thereby, but that under the state of the Gospel the solemnity of the weekly service should be celebrated upon that day? That on that day the famous Pentecost in the second of the Acts was observed, is in a manner generally acknowledged

[y] Consecuti sumus, (juxta usum loquendi veterum.)
[z] Concil. Forojuliens. cap. 13. [a] In Psal. 47.
[b] Part. 2. cap. 2. pag. 191.
[c] Against Doctor Heylin, part. 2. cap. 1. pag. 14.

by all: wherein the truth of all those that went before being accomplished, we may observe the type and the verity, concurring together in a wonderful manner. At the time of the Passover "Christ[d] our Passover" was slain for us: the whole Sabbath following he rested in the grave. The next day after that Sabbath, the עמר[e], or sheaf of the first fruits of the first (or barley) harvest, was offered unto God; and Christ rose from the dead, and became the "first[f] fruits of them that slept;" "many[g] bodies of the saints that slept" arising likewise after him. From thence was the count taken of the seven Sabbaths; and upon the morrow after the seventh Sabbath (which was our Lord's day) was celebrated the feast of weeks, the day of the first fruits of the second[h] (or wheat) harvest: upon which day the apostles having themselves received the first fruits of the Spirit, begat three thousand souls with the word of truth, and presented them as the first[i] fruits of the Christian Church unto God, and unto the Lamb. And from that time forward doth Waldensis note that the Lord's day was observed in the Christian Church in the place of the Sabbath. "Quia[k] inter legalia," saith he, "tunc sublata Sabbati custodia fuit unum, planum est tunc intrasse Dominicam loco ejus: sicut baptisma statim loco circumcisionis. Adhuc enim superstes erat sanctus Johannes, qui diceret: *Et*[l] *fui in spiritu die Dominica*, cum de Dominica die ante Christi resurrectionem nulla prorsus mentio haberetur. Sed statim post missionem Spiritus Sancti, lege nova fulgente, in humano cultu sublatum est Sabbatum; et dies Dominicæ resurrectionis clarescebat Dominica."

The revelation[l] exhibited unto St. John upon the

[d] 1 Cor. chap. 5. ver. 7.
[e] Levit. chap. 23. ver. 10, 11.
[f] 1 Cor. chap. 15. ver. 20.
[g] Matth. chap. 27. ver. 52, 53. Levit. chap. 23. ver. 15, 16, 17.
[h] Numb. chap. 28. ver. 26. Exod. chap. 34. ver. 22.
[i] Acts, chap. 2. ver. 1. 4, 5. 41. James, chap. 1. ver. 18. Rev. chap. 14. ver. 4.
[k] Thom. Waldens. doctrinal. tom. 3. tit. 16. cap. 140.
[l] Revel. chap. 7. ver. 10.

Lord's day, is by Irenæus (in his fifth book) referred unto the empire of Domitian, or, as St. Hierome in his catalogue more particularly doth express it, to the fourth year of his reign: which answereth partly to the forty-ninth, and partly to the ninety-fifth year of our Lord, according to our vulgar computation; and was about eleven or twelve years before the time when Ignatius did write his epistles. Of whom then should we more certainly learn, what the apostle meant by the Lord's day, than from Ignatius? who[m] was by the Apostles themselves ordained bishop of that church wherein the disciples were first called Christians; and in his epistle to the Magnesians clearly maketh the Lord's day to be a weekly holyday, observed by Christians, in the room of the abrogated Sabbath of the Jews: than which, can we desire more? But here you are to know, beside the common edition, wherein the genuine epistles of Ignatius are foully depraved by a number of beggarly patches, added unto his purple by later hands; there is an ancient Latin translation to be found in the library of Caius college in Cambridge; which, although it be very rude, and corrupt both in many other, and in this very same place also of the epistle to the Magnesians; yet is it free from these additaments, and in many respects to be preferred before the common Greek copy, as well because it agreeth with the citations of Eusebius, Athanasius, and Theodoret, and hath the sentences vouched by them out of Ignatius (and particularly that of the Eucharist, in the epistle to the Smyrnians) which are not all to be found in our Greek; and hath in a manner none of all those places in the true epistles of Ignatius, against which exception hath been taken by our divines which addeth great strength to those exceptions of theirs, and sheweth that they were not made without good cause. Now in this translation there is nothing to be found touching the Sabbath and the Lord's day in the epistle to the Magnesians, but these words only: "Non amplius sabbatizantes, sed secundum Dominicam viventes, in qua et vita nostra orta

[m] Acts. chap. 11. ver. 26.

est;" whereunto these of our common Greek may be made answerable. *Μηκέτι οὐν σαββατίζωμεν, ἀλλ' ἑορτάζωμεν*[n] *τὴν Κυριακὴν, ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν.* all those other words alleged by Dr. Heylin[o], to prove that Ignatius would have both the Sabbath and the Lord's day observed, being afterwards added by some later Grecian; who was afraid that the custom of keeping both days observed in his time should appear otherwise to be directly opposite to the sentence of Ignatius, whereas his main intention was to oppose the Ebionites of his own time: who, as Eusebius witnesseth in the third book of his Ecclesiastical history, did both keep the Sabbath with the Jews, and also *ταῖς κυριακαῖς ἡμέραις ἡμῖν τὰ παραπλήσια εἰς μνήμην τοῦ σωτηρίου ἀναστάσεως τέλουν.* By whose imitation of the Church herein, the antiquity of the observation of the Lord's day may be further confirmed: Ebion being known to have been St. Paul's antagonist; and to have given out of himself, that he was one of those that "brought the prices of their goods, and laid them down at the apostles' feet:" as the universality of the observance may be gathered by the argument drawn from thence by Eusebius (towards the end of his oration of the praises of Constantine) to prove the preeminency of our Saviour Christ, above all the gods of the heathen: because this prescript of his touching the celebration of this day was admitted and submitted unto, not within the dominions of Constantine only, but also throughout the compass of the whole world. "Quis[p] in," saith he, "cunctis totius orbis terrarum incolis, seu terra seu mari illi sint, præscripserit ut singulis septimanis in unum convenientes diem Dominicum

[n] It may be the three first syllables of this word were wanting in the Greek copy, which the translator used; and thence came his *viventes.*

[o] Part. 2. pag. 43.

[p] *Τίς τοῖς το μέγα στοιχεῖον τῆς γῆς οἰκοῦσι, τοῖς τὲ κατὰ γῆν καὶ τοὶς κατὰ θάλατταν, ἐφ' ἕκαστης ἑβδομάδος τὴν Κυριακὴν χρηματιζοῦσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἄγειν ἐπὶ ταὔτο συνιόντας παραδέδωκε· καὶ αὐτὰ σώματα πιαίνειν, τὰς δὲ ψυχὰς ἐν θέοις παιδεύμασιν, ἀναζωπυρεῖν παρασκεύασε.*

festum celebrarent; instituentque ut sicut corpora pascerent cibariis, sic animos divinis disciplinis reficerent?"

We see then that the doctrine, which the true Ignatius received immediately from the hands of the apostles, was the very same with that which was delivered by the fathers of the council of Laodicea, about two hundred and fifty years after, (for the proofs produced by the authors, to whom my Lord of Ely[q] referreth us, for having it to be held before the first Nicene, are nothing worth.) "Non oportet Christtianos Judaizare et in Sabbatho otiari; sed ipsos eo die operari, diem autem Dominicum præferentes otiari (si modo possint) ut Christianos:" the contrary whereunto pope Gregory[r] the first esteemeth to be the doctrine of the preachers of antichrist: "qui veniens, diem Dominicum et Sabbatum ab omni opere faciet custodiri:" which my Lord of Ely, rendereth; "upon the old Sabbath day or upon the Sunday," by a strange kind of mistake turning the copulative into a disjunctive.

[q] D. White, pag. 73.
[r] In regist. lib. 11. epist. 3.
[s] Pag. 219.

A CLAUSE IN A LETTER

TO

MR. LEY,

OF

THE SABBATH.

PART

OF

A LETTER,

&c.

For mine own part, I never yet doubted, but took it for granted; that as the setting of some whole day apart for God's solemn worship was *juris divini naturalis*, so that this solemn day should be one in seven, was *juris divini positivi* recorded in the fourth commandment. And such a *jus divinum positivum* here I mean, as baptism and the Lord's Supper are established by: which lieth not in the power of any man, or angel to change, or alter; wherein methinks your second position is a little too waterish, viz. "That this doctrine rather than the contrary is to be held the doctrine of the Church of England; and may well be gathered out of her public liturgy, and the first part of the homily concerning the place, and time of prayer." Whereas, you should have said that this is to be held undoubtedly the doctrine of the Church of England. For if there could be any reasonable doubt made of the meaning of the Church of England in her liturgy, who should better declare her meaning than herself in her homily? where she peremptorily declareth her mind; "That in the fourth commandment God hath given express charge to all men, that upon the Sabbath day, which is now our Sunday, they should cease from all weekly and work day labour, to the intent that like as God himself wrought six days, and rested the

seventh, blessed and sanctified it, and consecrated it to rest and quietness from labour, even so God's obedient people should use the Sunday holily, and rest from their common and daily business, and also give themselves wholly to heavenly exercises of God's true religion and service;" than which, what could you devise to say more yourself? For the further maintenance of which doctrine, I send you here with a treatise written by a learned man[a] (now with God) against Theophilus Brabourn; who gave occasion to the raising up of these unhappy broils; which if it may conduce to the furtherance of your more exact treatise, &c. I shall be very glad, and be ready to, &c.

[a] Mr. Hely of Berry.

PART OF A LETTER

OF

THE PRIMATE'S

NOT LONG AFTER THE COMING FORTH OF DR. HEYLIN'S BOOK,

OF

THE HISTORY OF THE SABBATH.

PART

OF

A LETTER,

&c.

As for Dr. Heylin's relation[a], concerning our Articles of Ireland, it is much mistaken. For first where he saith, they did pass when his Majesty's commissioners were employed about the settling of the Church, in the year MDCXV. and chargeth them with this strict austerity (as he termeth it) in the prescript observation of the Lord's day, he sheweth himself very credulous, there having been no such commissioners here at that time, and our Articles having been published in print, divers years before the commissioners (whom he meaneth) came hither, as Sir Nathaniel Rich (who was one of them himself) can sufficiently inform you. Secondly, where he saith, he is sure, "that till that time, the Lord's day had never attained such credit as to be thought an article of the faith," he speaks very inconsiderately. He that would confound the ten Commandments (whereof this must be accounted for one, unless he will leave us but nine) with the articles of the faith, he had need be put to learn his catechism again: and he that would have every thing, which is put into the articles of religion (agreed upon in the synod for the avoiding of diversity of opinions, and for the maintenance

[a] Hist. of the Sabbath, part. 2. cap. 8.

of peace, and uniformity in the Church) to be held for an article of the faith, should do well to tell us whether he hath as yet admitted[b] the book of the ordination of bishops, and the two volumes of homilies into his creed; for sure I am, he shall find these received in the articles of religion, agreed upon in the synod held at London, MDLXII. To which Dr. Heylin himself having subscribed, I wonder how he can oppose the conclusion, which he findeth directly laid down in the homily of the time and place of prayer in the fourth commandment, viz. "God hath given express charge to all men that upon the Sabbath day which is now our Sunday, (for these are the plain words of the homily, which the Doctor with all his sophistry will never be able to elude,) they shall cease from all weekly, and week-day labour, to the intent that like as God himself wrought six days, and rested the seventh, and blessed, and consecrated it to quietness, and rest from labour, even so God's obedient people should use the Sunday holily, and rest from their common and daily business, and also give themselves wholly to the heavenly exercise of God's true religion and service." By the verdict of the Church of England, I am sure the Lord's day had obtained such a pitch of credit, as nothing more could be left to the Church of Ireland in their articles, afterward to add unto it. Thirdly, he shameth not to affirm, that "the whole book of the articles of Ireland is now called in;" which is a notorious untruth. And lastly, that the articles of the Church of England were confirmed by Parliament in this kingdom, anno MDCXXXIV." where it is well known that they were not so much as once propounded to either house of Parliament, or ever intended to be propounded. The truth is, that the house of Convocation in the begin-

[b] These two here instanced were not by way of diminution, for he did highly approve of both, as being excellent composures, but because they are either for the most part to be reckoned among the *agenda*, rather than the *credenda*, or that in both there are some circumstantials observed, and exhorted unto only for decency and order, according to the wisdom of the Church, which come not within the compass of the creed, as upon the view of them, without descending to particulars, may easily appear.

ning of their canons, "for the manifestation of their agreement with the Church of England, in the confession of the same Christian faith, and the doctrine of the sacraments," as they themselves profess, and for no other end in the world, did receive and approve of the articles of England; but that either the articles of Ireland were ever called in, or any articles, or canons at all, were ever here confirmed by act of Parliament, may well be reckoned among Dr. Heylin's fancies. Which shows what little credit he deserves in his Geography, when he brings us news of the remote parts of the world, that tells us so many untruths of things so lately, and so publicly acted in his neighbour nation.

END OF THE TWELFTH VOLUME.

Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01085 1717

DATE DUE

JUN 03			

DEMCO 38-297